






# THEOLOGIA NATURALIS

BIBLIOTHECA COMILLENSIS




# THEOLOGIA NATURALIS

*T. de Diego Diez, S. J.*

IN PONTIFICIA UNIVERSITATE COMILLENSI PROFESSOR

Editorial «SAL TERRAE»
SANTANDER
1955

Imprimi potest:
Gregorius Sánchez Céspedes, S. J.
Praep. Prov. Legionensis

*Comillis, 15 martii 1955*

Nihil obstat:
Dr. Francisco Pajares
Censor Ecclesiasticus

*Santanderii, 1955*

Imprimatur:
† JOSEPHUS, episcopus santanderiensis

*Santanderii, 1955*

ALDUS, S. A. Artes Gráficas. Santander

# PROLOGUS

*Hunc* Theologiae Naturalis tractatum, *quem ab anno* 1937 *in Universitate Pontificia Comillensi explico, plurium votis obsecundans auctum et exactiori conformatione intextum in lucem effero.*

*In eo doctrinae moderata copia illorum systematum novae, quam vocant, metaphysicae continetur. Maxime vero invenies Philosophiae traditionalis praesertim S. Thomae doctrinam, quam Suárez lucidissime exponit, commentatur, evolvit. Alii etiam auctores in multis nos adiuverunt, quos fideliter citatos in decursu tractationis invenies.*

Methodum *in singulis quaestionibus exponendis et defendendis sequemur in philosophia scholastica consuetam, quae, ut longa et quotidiana experientia docet, ad mentes instituendas aptissima est. Cum vero hoc opus ad scholarum usum primario destinetur dum illum conficiebam semper prae oculis habui experientiae lectiones ex diuturno iam docendi exercitio haustas. Qua de causa incessanter per multos annos hinc inde dicendi modum mutare curavimus ut in dies magis magisque discipulorum captui explicatio accommodaretur. Item plenitudini rerum expositionisque simul compendio consulere voluimus ita tamen ut brevitas ne perspicuitati noceat. Hinc forte alicui longiusculus liber videatur, sed si attente eius dispositionem, divisiones, congruam typorum varietatem consideret non dubito quin de eius facili usu convincatur.*

Theses *enim, una alterave excepta, illam continent doctrinam, quae principalis et praecipua vocari potest quaeque in omnibus tam Universitatibus quam Seminariis facile in decursu curriculi explicari et disci potest.*

Scholia *inseruntur multa ut ad illa plurimas amandare possimus quaestiones sive aliquantulum principales, sed non praecipuas; sive secundarias, quae certe in explicationibus omitti possunt, in tractatu vero completo Theologiae Naturalis deesse non debent.*

Obiectiones *congeruntur et arcte frequenter inter se connectuntur, non praecise ad problematis eiusque solutionis arduitatem manifestandam, sed ut iuvenibus arma praebeantur armorumque periti evadant.*

*Rogo te, benigne lector, ut tuis admonitionibus me adiuves ut liber, quem prae oculis habes magis magisque perficiatur. Quod si absque ullo studiorum profectu non fuerit, laus Deo Virginique Matri, quibus libentissime opus nostrum dicamus.*

*Comillis, in festo Annuntiationis B. M. Virginis anno 1955.*

# INDEX GENERALIS

# INDEX THESEON

# BIBLIOGRAPHIA GENERALIS

## I. TRACTATUS COMPLETI.

### a) Auctores classici.

S. Anselmus, *Opera omnia* I. (Edimburgi, 1946); Obras completas, I. (Madrid, ed. lat. y castell. BAC. 1952).
Areopagita, Ps. Dyonisius, *De divinis nominibus.* (Migne, P. G., t. 3).
Lessius, *De perfectionibus moribusque divinis.* (París, 1881).
Scotus, I. D., *Opera omnia.* (Parisiis, 1891).
Suárez, *Disputationes Metaphysicae* 28-30; etiam *De Deo...*
S. Thomas, *Summa Theologica*, 1, q. 1-26; q. 44-49; q. 103-105; *De veritate*, q. 1-3; q. 5; q. 23; *De potentia*, q. 1; q. 3-8; *Contra Gentiles.*

### b) Auctores scholastici Thomistae Caietanistae et Banneziani.

Álvarez D., O. P., *De auxiliis divinae gratiae...* (Romae 1610).
Arnou S. J., *Theologia Naturalis.* (Romae, 1947).
Báñez O. P., *Scholastica Commentaria in 1. p. A. D.* (Salmanticae, 1585).
Billot, S. J., *De Deo uno et trino*[7] (Romae, Univ. Gregoriana, 1935).
Boyer, S. J., *Cursus philosophiae.* (Parisiis, 1937).
Caietanus, *In 1. p. Summae D. Thomae.* (Lugduni, 1587).
Finlayson C., *Dios y la Filosofía.* (Medellín, Colombia. 1945).
Garrigou Lagrange, O. P., *Dieu...* (Parisiis, 1928); *De Deo uno.* (París, 1938).
Gonet, O. P., *Clypeus Theologiae thomisticae.* (Burdig. 1659).
Goudin, O. P., *Philosophia Thomistica.* (Matriti, 1767).
González Álvarez A., *Teología Natural.* (Madrid, 1949).
Gredt *J., O. S. B., Elementa philosophiae Aristotelico-thomistae.* (Friburgi-Brisg., 1900).
Grégoire, S. J., *Immanence et Transcendence.* (Brux.-París, 1939).
Hugon, O. P., *De Deo uno et trino.* (París, 1920).
Jansens L., O. S. B., *De Deo uno et trino.* (Friburgi, 1900).
Joannes a S. Thoma, O. P., *Cursus philosophicus.* (Parisiis, 1883).
Maquart F. X., *Elementa philosophiae.* (Parisiis, 1938).
Mattiusi, S. J., *Les points fondamentaux de la philosophie thomiste.* (Torino, 1926).
Munnynck, *Praelectiones de Dei exsistentia.* (Lovanii, 1904).
Salmanticenses, O. C. D., *Cursus theologicus.* (Parisiis, 1870).
Sertillanges, O. P., *Sources de la croyance en Dieu.* (Parisiis, 1913); *Las fuentes de la crcencia en Dios.* (Barcelona, 1943); *Dieu ou Rien.* (París, 1933); *Les grandes thèses de la philosophie thomiste.* (Parisiis, 1928).
Van der Meersch, O. P., *De Deo uno et trino.* (Bruges, 1928).
Zigliara, O. P., *Summa Philosophica.* (Romae, 1876).

c) **Auctores scholastici thomistae-Suareziani.**

BOEDDER, S. J., *Theologia Naturalis.* (Friburgi, 1911).
BROSNAN, S. J., *Institutiones Theologiae Naturalis.* (Chicago, 1921).
CUESTA, S. J., *Ontología.* (Santander, 1948).
DALMAU, SAGÜES, S. J., *Sacrae Theologiae Summa II.* (Madrid, BAC. 1952).
DELMAS, S. J., *Ontología.* (Parisiis, 1896).
DE SAN, S. J., *Tractatus de Deo uno.* (Lovanii, 1894).
DESCOQS, S. J., *Praelectiones Theologiae Naturalis.* (Parisiis, 1932-35).
DONAT, S. J., *Theodicea.* (Barcelona, 1944).
FRANZELIN B., S. J., *Quaestiones selectae ex philosophia scholastica.* (Oeniponte, 1921).
FRANZELIN J. B., S. J., *Tractatus de Deo uno.* (Romae, 1910).
HELLÍN, S. J., *Theologia Naturalis.* (Matriti, BAC., 1950); *Philosophiae Scholasticae Summa.* (Matriti, BAC., 1952).
HONTHEIM, S. J., *Institutiones Theodiceae.* (Friburgi, 1893).
KLEUTGEN, S. J., *De ipso Deo.* (Ratisbonae, 1881).
LAHR PICARD, S. J., *Cours de Philosophie.* (París, 1923).
LENNERZ, S. J., *De Deo uno.* 4 (Romae, 1948).
LOINAZ, S. J., *Praelectiones e Theologia Naturali.* (Taurini, 1929).
LOSADA, S. J., *Cursus philosophici.* (Barcinone, 1883).
MARÍA (DE), S. J., *Philosophia peripatetico-scholastica.* (Romae, 1898).
MARTÍNEZ DEL CAMPO, S. J., *Theologia Naturalis.* 2 (México, 1943).
MONACO, S. J., *Theologia Naturalis.* (Romae, 1918).
MUNCUNILL, S. J., *De Deo uno et trino.* (Barcinone, 1918).
PALMIERI, S. J., *Institutiones philosophicae.* (Romae, 1874).
PICCIRELLI, S. J., *De Deo.* (París, 1885).
RAST, S. J., *Theologia Naturalis.* (Friburgi, 1939).
ROMEYER, S. J., *Theodicea.* (Vals, 1931).
SCHAAF, S. J., *Theologia Naturalis.* (Romae, 1906).
SCHIFFINI, S. J., *Disputationes Metaphysicae specialis.* (Taurini, 1898).
TOLETUS, S. J., *In S. theol. S. Thomae enarratio I.* (Romae, 1869).
TONGIORGI, S. J., *Institutiones philosophicae.* (Bruxellis, 1875).
URRABURU, S. J., *Institutiones philosophiae.* (Vallisoleti, 1900).

d) **Auctores scholastici Scotistae.**

BELMOND S., O. F. M., *Dieu, existence, cognoscibilité.* (París, 1913).
FRASSEN, O. F. M., *Scotus academicus.* (Romae, 1901).
VAN DE WOESTYNE, O. F. M., *Cursus philosophicus.* (Mechliniae, 1925).

## II. QUAESTIONES SPECIALES.

DICTIONAIRE APOLOGETIQUE DE LA FOI CATOLIQUE articuli respectivi, maxime *Dieu* P. GARRIGOU-LAGRANGE, O. P.
DICTIONAIRE PRATIQUE DES CONNAISSANCES RELIGIEUSES.
DICTIONAIRE DE THÉOLOGIE CATHOLIQUE, articuli respectivi, maxime *Dieu* a P. CHOSSAT, S. J.
HELLÍN, S. J., *La analogía del ser y el conocimiento de Dios en Suárez.* (Madrid, 1947).
IGLESIAS, S. J., *De Deo in operatione naturae vel voluntatis operante.* (México, 1946).
MARECHAL, S. J., *Le point du départ de la Metaphysique.* (Parisiis, 1926).
MARTÍNEZ DEL CAMPO, *Doctrina S. Thomae de actu et potentia et de concursu.* (México, 1944).
MOLINA, S. J., *Concordia liberi arbitrii.* (Parisiis, 1876).
STUFFLER, S. J., *Divi Thomae doctrina de Deo operante.* (Oeniponte, 1926).

N. B. Aliae citationes suis locis opportune indicabuntur.

# SIGLA ET BREVIATIONES

| | |
|---|---|
| ActPontAcRomSTh. | Acta Pontificiae Academiae Romanae S. Thomae Aquin. et Religionis Catholicae. |
| Ang. | Angelicum. |
| AnnPhChr. | Annales de Philosophie chrétienne. |
| ArchPh. | Archives de Philosophie. |
| BAC. | Biblioteca de Autores Cristianos. |
| BullThom. | Bulletin Thomiste. |
| CyF. | Ciencia y Fe. |
| CT. | Ciencia Tomista. |
| DAFC. | Dictionaire Apologétique de la foi catholique. |
| DB. | Denzinger Bannwart. |
| DivThom (Fr). | Divus Thomas. (Freiburg i der Schweiz). |
| DivThom (Pi). | Divus Thomas. Piacenza. |
| DM. 29, 1, 3. | Disputationes Metaphysicae Francisci Suárez, disputatio 29, sectio prima, numerus tertius. |
| DPCR. | Dictionaire pratique des connaissances religieuses. |
| DTC. | Dictionaire de Théologie Catholique. |
| EstEcls. | Estudios Eclesiásticos. |
| Et. | Etudes. |
| Greg. | Gregorianum. |
| MiscCom. | Miscelánea Comillas. |
| NouvRevTh. | Nouvelle Revue Théologie. |
| Pens. | Pensamiento. |
| RazFe | Razón y Fe. |
| RechThAntMéd. | Recherches de Théologie ancienne et Médiévale. |
| RevEcclLiège. | Revue Ecclésiastique de Liège. |
| RevFil. | Revista de Filosofía. |
| RevPortFil. | Revista Portuguesa de Filosofía. |
| RevNéoscolPh. | Revue Néoscolastique de Philosophie. |
| RevPh. | Revue de Philosophie. |
| RevPhLouv. | Revue Philosophique de Louvain. |
| RevPratApol. | Revue pratique d'apologétique. |
| RevScPhTh. | Revue des Sciences Philosophiques et Théologiques. |
| RevThom. | Revue Thomiste. |
| SalTer. | Sal Terrae. |
| Sa. | Sapientia. |
| Sap. | Sapienza. |

# INTRODUCTIO

1. **Bibliographia.**— DESCOQS, *Prael. Theod.* 1, Introd., p. 1 ss.—URRABURU, *Theod.* 1, p. 1 ss.—LOINAZ, *Prael. e Th. Nat.*, p. 1 ss.—RAST, *Theol. Nat.*, p. 1 ss.

## 2. 1. De definitione Theologiae Naturalis.

**Theologia:** -*etymologice* est sermo de Deo (λόγος τοῦ θεοῦ).
-*realiter* est scientia de Deo.

Theologia supernaturalis et naturalis.

THEOL. SUPERNATURALIS: est scientia de Deo lumine supernaturali seu revelatione comparata. Communiter appellatur—*Theologia*—simpliciter.

THEOLOGIA NATURALIS: est scientia philosophica de Deo naturali rationis lumine comparata.

*Est scientia* et quidem stricto sensu:

*obiective*, quia est complexus harmonicus veritatum certo obtentarum ope demonstrationis.

*subiective*, quia est cognitio rerum certa et evidens discursiva seu per demonstrationen comparata. Est cognitio rerum certa et evidens ex causis.

*Demonstratio* est argumentatio in qua ex praemissis certis et evidentibus eruitur conclusio pariter certa et evidens.

*Per causas:* Sive per causas solum in cognoscendo (causae rei uti cognitae) ut accidit in demonstratione a posteriori: sic ordo mundi est causa Dei uti cogniti seu est causa nostrae cognitionis de Deo;

sive per causas in essendo (causae ipsius rei) et in cognoscendo (causae rei uti cognitae) ut accidit in demonstratione a priori; tales sunt causa efficiens, materialis, formalis, exemplaris, finalis. Cum demonstro ordinem mundanum ex sapiente ordinatore, sapiens ordinator est causa et in essendo et in cognoscendo ordinis mundani;

sive per quasi causas: i. e principium naturale, ratio ontologica et in genere omne id, quod ad rem intime explicandam valet sc. quid sit, unde sit, cur res sit. Sic asseitas vel ipsum esse per se subsistens est quasi causa et in essendo et in cognoscendo omnium attributorum divinorum; et unum attributum Dei potest considerari quasi causa et radix alterius: immutabilitas respectu aeternitatis;

*Philosophica:* inquirit enim causas ultimas rerum; scientiae humanae non philosophicae inquirunt tantum causas proximas earum.

*De Deo:* Deus est obiectum materiale quod Theologia Naturalis considerat et quo distinguitur ab aliis scientiis philosophicis.

*Ut est auctor naturae* cognoscendus lumine naturali: his verbis exprimitur obiectum formale, quo Theologia Naturalis differt a Theologia supernaturali.

N. B. Theologia Naturalis vocatur etiam *Theodicea* (i. e. iustificatio Dei sc. contra mala in mundo; a voce θεος et δικη vel δικαια) quae ex se designat tantum partem aliquam Theologiae Naturalis; sed iam ex usu etiam significat totum tractatum de Deo.

Hoc nomen introduxit LEIBNITZ. Anno enim 1710 opus scripsit contra PETRUM BAYLE impugnantem exsistentiam Dei ex malis mundanis idque nuncupavit: «*Essai de Théodicée sur la bonté de Dieu, la liberté de l'homme et l'origine du mal*».

## 4. 2. De obiecto Theologiae Naturalis.

**Obiectum** alicuius scientiae:

*in genere* est illud circa quod scientia versatur.

Potest esse materiale et formale:

*Obiectum materiale* est res qualis in se est; seu totalitas illius, quod quocumque modo attingitur a scientia. Pro Theodicea est Deus qualis in se est, seu omnia illa, quae sunt in Deo exsistentia, essentia, omnia attributa etc... Pro Theologia est Deus qualis in se est seu omnia quae sunt in Deo etiam mysteria.

*Obiectum formale* est illa pars, ille respectus sub quo obiectum materiale attingitur, qui respectus dat speciem scientiae.

Pro Theodicea est ipse Deus ut est auctor ordinis naturalis attingibilis per rationem; vel omnia, quae sunt in Deo attingibilia lumine naturali. Pro Theologia est Deus ut est auctor gratiae et ordinis supernaturalis, vel omnia, quae sunt in Deo attingibilia per revelationem.

Obiectum formale potest esse: quod et quo.

*Obiectum formale quod* est ipsa pars, ipse respectus, qui attingitur consideratus secundum suum esse. Pro Theodicea est ipse auctor ordinis naturalis secundum suum esse. Pro Theologia est ipse auctor ordinis supernaturalis secundum suum esse.

*Obiectum formale quo* vel sub quo est status vel conditio vel medium sub quibus obiectum formale quod consideratur. Pro Theodicea erit cognoscibilitas Dei ut est auctor naturae lumine naturali; vel etiam ipsa principia, axiomata, dictamina rationis ex quibus ratio conclusiones derivat Pro Theologia erit cognoscibilitas Dei ut est auctor gratiae lumine supernaturali; vel etiam articuli fidei, seu principia revelata a quibus ad ulteriores illationes et fructus vehitur.

## 5. 3. De relatione inter Theodiceam et Theologiam.

*a)* QUOAD OBIECTUM. *Conveniunt* in obiecto materiali; est enim idem Deus pro utraque. Partim tamen: pro Theodicea est exsistentia Dei eiusque attributa; in Theologia ad plura se extendit ut sunt mysteria stricta dicta, quae transcendunt omnino rationem.

*Differunt* in obiecto formali quod: pro Theodicea est Deus auctor naturae, cognoscendus lumine naturali; pro Theologia est Deus auctor ordinis supernaturalis, cognoscendus lumine supernaturali.

Differunt etiam in obiecto formali quo secundum diversum lumen sub quo utraque Deum considerat.

6. *b)* QUOAD FONTES: Theodicea haurit veritates ex experientia interna et externa, ex principiis metaphysicis, quae sunt fontes solo lumine naturali manifesti. Theologia ex revelatione divina: ex Sacra Scriptura et Traditione, quae sunt fontes supernaturales.

*c)* QUOAD EVIDENTIAM: in Theodicea habetur evidentia intrinseca et veritatis, quae ex rationibus internis manifesta est; in Theologia habetur evidentia extrinseca veritatis et credibilitatis quae manifesta est ex testimonio externo, i. e. propter auctoritatem Dei revelantis. Veritates enim fidei sunt tantum evidenter credibiles non autem evidenter verae et consequenter Theologia, etiam in conclusionibus, quae ex revelatione inferuntur, solum evidentia credibilitatis, illationis, consequentiae gaudet.

7. *d)* QUOAD CERTITUDINEM. In Theodicea habetur certitudo metaphysica, sed mere naturalis fundata in principiis rationis; —in Theologia certitudo est supernaturalis fundata in absoluta infallibilitate Dei.

Unde certitudo maior et firmior in Theologia supernaturali; evidentia vero quoad principia et conclusiones minor in Theologia supernaturali quam in Theodicea.

*e)* QUOAD DIGNITATEM. Theologia, ut patet, est multo praestantior Theodicea; haec autem inter reliquas philosophiae partes excellit ut ex eius obiecto nobilissimo manifestum est. Et si metaphysica est *regina scientiarum* certe inter eius partes iterum primum locum obtinet Theodicea.

8. *f)* EST PRAESUPPOSITUM Theodicea pro Theologia, siquidem scientifice demonstrat «praeambula fidei»: exsistentiam Dei, possibilitatem miraculorum et sic possibilitatem ipsius revelationis.

*g)* IUVATUR Theodicea a Theologia non ut norma positiva nec tamquam ultimum et universale criterium veritatis, quia ratio et certitudo naturalis supernaturalem praecedit; sed ut norma negativa, i. e. nihil in Theodicea affirmare licet quod contradicat doctrinae revelatae; etsi enim illud rationi conforme videretur, necessario falsum esset.

*h)* COMPLETUR Theodicea a Theologia siquidem aliqua facta, demonstrabilia quidem ratione naturali, plerumque non fuissent adinventa solo lumine rationis; v. c. facta creationis, concursus, providentiae specialis...

## 9. 4. De utilitate et necessitate Theologiae Naturalis.

UTILITAS et necessitas Theodiceae maxima est tum in ordine speculativo tum in ordine practico.

a) *In ordine speculativo* seu relate ad omnes scientias et ceteras philosophiae partes speculativas: nam Deus est prima causa efficiens, finalis et exemplaris rerum cunctarum et scientia de Deo est culmen omnium scientiarum ad quod tendunt et ordinantur omnes.

b) *In ordine practico* seu relate ad philosophiam practicam seu ethicam est non solum maxime utilis, sed etiam necessaria, quia solus Deus est finis ultimus homini dignus, cuius scientia est fundamentum vitae religiosae et

moralis et praesuppositum Theologiae dogmaticae et optimum instrumentum apologeticae.

**10. 5. De possibilitate Theologiae Naturalis.**

Possibilitas Theodiceae apparet ex eo quod ex una parte mundus ut effectus exigit necessario Deum ut ultimam eius causam; et ex alia parte in intellectu nostro datur et capacitas et naturale desiderium cognoscendi ultimam causam mundi.

Methodus: Theodicea non est scientia mathematica, quae versatur in ordine ideali et abstracto. Nec est scientia pure empyrica seu mere experimentalis: utitur enim tum factis experimentalibus, tum principiis metaphysicis et methodo tum ascendente tum descendente.

*Methodus ascendens* a posteriori: ab experientia sive sensibili sive intellectuali proficiscitur et mediante ratiocinio et principiis rationis ad Deum, ens a se, primam causam et ens absolute necessarium ascendit.

*Methodus descendens* a priori: ex analysi entis absolute necessarii et a se deducit a priori diversa Dei attributa.

**11. 6. Tractationis divisio.**

Pars prima: de exsistentia Dei.

Pars secunda: de natura seu essentia Dei et de praedicatis quidditativis divinis.

Pars tertia: De attributis Dei quiescentibus.

Pars quarta: De attributis Dei operativis.

N. B.—Hellín, *Theol. Nat.*, p. 25 ss., ibi brevem conspectum historiae Theologiae Naturalis invenies.

# PARS PRIMA

## DE EXSISTENTIA DEI

# CAPUT I

## De definitione nominali Dei

**THESIS 1. Deus est prima causa et ens a se, necessarium in exsistendo et personale, auctor et gubernator mundi, nobis venerandus et colendus.**

12. **Bibliographia.**—Suárez, *D. M.* 29, s. 2, n. 4-5.—Urraburu, *Theod.* 1, p. 9 ss., et 702.—Hontheim, *Inst. Theod.*, p. 8-20. Descoqs, *Prael. Theod.* 1, p. 127.—Hellín, *Theol. Nat.*, p. 51 ss.—Mz. del Campo, *Theol. Nat.*[2], p. 3. Rast, *Theol. Nat.*, p. 8.

13. **Nexus.** An sit seu exsistat Deus est quaestio, quae in doctrina de Deo primo loco sese nobis offert. Sed praesupponi debet quid intelligatur nomine Dei, conceptus sc. Dei, quem omnes rationis compotes habemus, aliquo modo est determinandus.

### 14. NOTIONES.

**Conceptus seu idea** in genere est similitudo obiecti expressa in mente percipiente.

1. Idea subiectiva et obiectiva. *Subiectiva* est actus mentis repraesentans rem. *Obiectiva* est ipsa res prout hic et nunc apprehensa.

2. Idea obscura et clara. *Obscura* est illa, quae tot ac tales notas rei exhibet ut non clare distinguatur ab omni alia re. Sic forsam alumni seminarii minoris habent ideas claras grammaticae et obscuras philosophiae; sic Deus est pro multis *Ens magnum; Ideale veritatis; Absolutum. I. Clara* est illa, quae tot ac tales notas rei exhibet ut ab omni alia re secundum aliquid proprium discerni possit v. c. idea solis est clara pro omnibus, qui illum semel viderunt.

3. Idea clara potest esse confusa et distincta. *Confusa* est illa, quae distinguit aliquam rem ab aliis rebus quin tamen aliquid determinate de eius intrinseca natura indicet, nec proinde rationem cur distinguatur ab aliis rebus, v. c. hortulanus habet ideam claram et confusam, plantarum, quas colit; botanicus autem habet ideam distinctam. Idea clara et confusa Dei continetur in eius definitione vulgari. *Distincta* est illa, quae exhibet intrinsecam naturam alicuius rei, notas sc. constituentes eius essentiam sive complete sive incomplete.

4. Idea distincta potest esse incompleta et completa. *I. d. incompleta* est illa, quae exhibet aliquas tantum notas essentiales v. c. si cognosco hominem

ut viventem et intelligentem. *I. d. completa* est illa, quae exhibet omnes notas constituentes essentiam rei v. c. si cognosco hominem ut substantiam corpoream, viventem, sensitivam, rationalem.

**15. Definitio** est oratio breviter explicans notionem rei sive complete sive incomplete. Tamen si definitio non exhibet notionem rei completam potius est declaratio rei.

1. Definitio nominalis et realis. *D. nominalis* est illa, quae explicat significationem nominis; de re ipsa per se nihil enuntiat. Sic philosophia est amor sapientiae; Deus est prima causa. Unde in definitione nominali Dei abstrahitur adhuc utrum huic nomini et conceptui correspondeat extra mentem aliquid reale necne. *D. realis* est illa, quae explicat quid de facto res sit i. e. explicat naturam rei significatae. Sic definitio plantae ut corpus praeditum sola virtute vegetandi est realis quatenus declarat naturam rei significatae; simul est nominalis quatenus explicat significationem nominis. Definitio realis Dei convenit iam illi ut rei exsistenti a parte rei.

**16.** 2. D. essentialis et descriptiva; vulgaris et scientifica. *Essentialis* est oratio enumerans notas, quae essentiam rei constituunt v. c. homo est animal rationale; est ens compositum ex anima rationali et corpore organico. *Descriptiva* est oratio enumerans aliquas rei proprietates v. c. homo est ens liberum, capax meriti, risibile. *Vulgaris* est illa, quam omnes etiam rudes efformant. Sic *Deus est ens summum, mente et voluntate praeditum, auctor et gubernator mundi, ab eo distinctus et personalis, nobis venerandus et colendus. Scientifica* est illa quam sapientes efformant. Ut plurimum notio Dei scientifica est fructus reflexionis scientificae vel per traditionem transmissam.

**Definitio Dei scientifica** exhibens ideam distinctam et completam continetur in illis verbis Concilii Vaticani: DB 1782:

*«Sancta Catholica apostolica Romana Ecclesia credit et confitetur unum esse Deum verum et vivum, Creatorem ac Dominum coeli et terrae, omnipotentem aeternum, immensum, incomprehensibilem, intellectu ac voluntate omnique perfectione infinitum, qui cum sit una singularis, simplex omnino et incommutabilis substantia spiritualis, praedicandus est re et essentia a mundo distinctus, in se et ex se beatissimus et super omnia, quae praeter ipsum sunt et concipi possunt ineffabiliter excelsus.»*

Bene notandum est quod utraque notio vulgaris et scientifica convertibilis invicem est, unde idem Deus in utraque notione sicut idem est Deus philosophorum et Abraham et Isaac et Iacob.

**17. Definitio Dei vulgaris** aliquantulum scientifica exhibens ideam claram, distinctam, incompletam. *Deus est prima causa et ens a se, necessarium in exsistendo* et *personale, auctor et gobernator mundi, nobis venerandus et colendus.*

EXPLICATIO.

**18.** *Prima causa* est illa quae a nulla alia esse accepit et producit cetera entia extra se. Sic excluditur Deus materialisticus seu materia infecta sese evolvens.

**19.** *Ens a se* a) *Negative* sumptum est illud ens, quod a nullo alio esse accepit. b) *Positive* est illud quod formaliter vi essentiae suae exsistit, inde in sua essentia habet rationem sufficientem exsistendi physice a parte rei.

Dicitur *formaliter* i. e. ex eo quod sit tale ens, talis forma, talis essentia exsistit; sicut homo est rationalis ex eo qood sit talis essentia, tale ens, homo. Unde exsistit vi essentiae suae formaliter, seu vi essentiae suae identificatae penitus etiam in conceptu cum exsistentia.

Non dicitur *efficienter*, quia nemo potest dare efficienter sibimetipsi exsistentiam.

Nec solum identice seu *materialiter*, nam hoc etiam de entibus creatis dici potest: v. c. Petrus exsistit vi essentiae suae identice seu materialiter i. e. vi essentiae suae de facto identificatae cum exsistentia in nostra sententia in ontologia vindicata.

**20.** *Necessarium in exsistendo* est illud ens quod nequit non exsistere, seu illud quod repugnat non exsistere independenter ab omni conditione.

Et sic dicit a) *Negative:* esse absolute impossibile ut non exsistat.
b) *Positive:* exsistere vi essentiae suae.

*Personale* modo *vulgari* intelligitur ens intellectu et voluntate praeditum, actu sui conscium et independenter subsistens ab aliis rebus. Sic excluditur Deus pantheisticus, qui permanens mundo identicus in illum se evolvit.

*Auctor et gubernator mundi*, quia est causa prima mundi.
*Nobis venerandus et colendus* quia est dominus absolutus omnium rerum.

**21.** *N. B.* OMNES TERMINI DEFINITIONIS MUTUO SE INCLUDUNT.

*Si est prima causa* est ens a se: si enim esset ab alio, esset aliquid causatum. Si vero est ens a se exsistit vi essentiae suae et inde repugnat ut non exsistat seu est ens absolute necessarium.

*Si est ens a se* est etiam prima causa incausata; si enim esset aliquid causatum, esset ab alio, non vero ens a se. Est etiam ens absolute necessarium, quia si est ens a se, exsistit vi essentiae suae formaliter et inde repugnat ut non exsistat.

*Si est ens absolute necessarium* est etiam prima causa incausata; secus esset aliquid causatum, contigens, non vero illud ex quo ultimatim explicatur exsistentia contigentium. Est etiam ens a se; nam quod exsistit vi essentiae suae formaliter et est impossibile ut non exsistat, non admittit aliud a quo procedat.

Prima causa differt ab ente a se in eo quod ens a se non implicat per se ordinem ad productionem aliarum rerum.

Ens a se differt ab ente absolute necessario, quia secundum non exprimit per se radicem huius necessitatis in exsistendo sicut exprimit terminus ens a se et explicite non dicit non esse factum ab alio.

*Auctor et gubernator mundi* est prima causa et vicissim et eo ipso ens a se; distinctus a mundo et personalis: omnis enim causa realiter distinguitur ab effectu et continet perfectionem effectus.

*Nobis venerandus et colendus;* siquidem est ens supremum a quo omne contingens dependet, inde sequitur a nobis esse maxime colendum.

## 22. STATUS QUAESTIONIS.

Definitio Dei a nobis allata:

1. *Est nominalis et quasi descriptiva;* non enim sufficit definitio nominalis et etymologica nisi sit simul descriptiva per exclusivas notas, saltem unam, Dei.

*Est vulgaris*, non tamen penitus vulgaris, sed iam aliquantulum scientifica ita ut praedicata aliqua principaliora explicite, totam autem Dei naturam (proinde etiam unicitatem) implicite ac veluti in synthesi exhibeat.

Exprimit proinde *ideam Dei claram:* non sufficit ad nostram quaestionem idea Dei obscura, quae non exprimat saltem unam notam exclusivam Dei;

ideam claram et CONFUSAM, cui essentiales sunt personalitas et inde realis distinctio a mundo, et haec iam potest fundare vitam religiosam et moralem; immo ideam claram et *aliquo modo distinctam* quamvis *incompletam*. Et eam tradimus initio Theodiceae attentis, non praecise captu cuiusvis rudioris, sed fine polemico et disputantium diversitate.

23. 2. Unde hic adhuc abstrahitur utrum tali ideae respondeat aliquid a parte rei necne: agitur enim praecise de exsistentia Dei demum demonstranda, unde nequimus incipere a definitione supponente iam hanc Dei exsistentiam. Sed probata exsistentia Dei, —argumenta afferenda proxime eam probant sub conceptu vulgari et ex parte iam sub conceptu scientifico—eo ipso definitio nominalis fit realis iam Deo realiter exsistenti conveniens.

## 24. PROBATUR.

Definitio nominalis alicuius rei initio posita talis esse debet: *a)* ut non sit arbitraria sed communis omnibus, qui de Deo loquuntur; *b)* ut exhibeat aliquid certum in quo omnes facile convenire possint; *c)* ut ex eo sine magna difficultate probato, veritates in decursu tractationis discutiendae facile tamquam ex primo principio deduci possint. Atqui talis est nostra definitio nominalis Dei initio Theodiceae posita. Ergo definitio a nobis allata admittenda est.

*Maior* patet ex ipsis verbis.

*Minor*. Definitio allata. *a)* Non est arbitraria; talis enim notio, audito nomine Dei, excitatur communissime in mente omnium, et quamvis homines vulgo verba illa scientifica *ens a se...* non adhibeant, tamen verbis aequivalentibus praedictam Dei notitiam extrinsecus proferunt. *b)* Facile omnes conveniunt in illis notis attenta litigantium diversitate adhibitis, quae optime secundum aliqua praedicata principalia Deum theistarum describunt. *c)* Ex toto tractatu Theodiceae patebit. Nam probata exsistentia Dei sub praedicatis causa prima, ente a se, ente absolute necessario, licet initio non demonstremus explicite exsistere ens cum omnibus praedicatis, quae unusquisque apprehendit cum audit de Deo loqui, tamen manet demonstratum saltem implicite et virtualiter, siquidem demonstratur exsistentia talis praedicati, ex quo cetera praedicata propria Dei deduci possint.

25. **SCHOLIUM I.** **De origine ideae seu conceptus Dei.**

**Bibliographia.** — URRABURU, *Theod.* 1, p. 15 ss.—RAST, *Theod.*, p. 10 ss.—MZ. DEL CAMPO, *Theol. Nat.*[2], p. 5.

26. **Solutio.** Hoc problema triplicem sensum involvit:

1. Quomodo genus humanum de facto ad notionem Dei pervenit? Est quaestio historica cuius solutio petenda imprimis est in scientia ethnologica et historica.

2. Quomodo singuli homines de facto adquirunt ideam seu conceptum Dei? De facto et ordinarie per communicationem cum aliis hominibus.

3. Quomodo homo normalis sponte sua potest pervenire ad primam notionem seu ideam Dei? Per discursum facilem ex rebus creatis.

Unde ex dictis prima idea Dei:

*a)* Ordinarie accipitur ab aliis.

*b)* Influxu mundi physici tum ex contemplatione spontanea tum ex obvia reflexione facimus talem ideam propriam.

*c)* Tandem fit magis magisque perfecta attentis adiunctis et diligentia uniuscuiusque.

*d)* Semper tamen in idea sive vulgari sive scientifica habentur:

*influxus mundi* obiectivi, qui multiplex fundamentum praebet ut Deum quaeramus;

*intellectus* quaerens verum et causas proximas et ultimas rerum;

*voluntas* tendens in bonum experitur propriam indigentiam, inconstantiam rerum...

*Affectus* seu emotiones, imaginatio... sunt magni momenti...

Unde totus mundus hominem in Deum impellit.

27. Ergo idea Dei non est illusoria, opus imaginationis aut sensus timoris, sine ullo fundamento obiectivo, ut affirmant materialistae et positivistae. Indubium enim est multos homines habere ideam Dei qualem descripsimus; si idcirco per positiva argumenta probemus Deum exsistere, idea eius obiectiva est et non inanis.

Non est fictio quaedam utilis pro vita ut volunt pragmatistae; nec explicari potest ex aliqua categoria religiosa a priori cum neokantianis; nec est nobis innata ad mentem inneismi (PLATO, CARTESIUS, LEIBNITZ); nec habetur ex instinctu caeco secundum fideistas; nec ex sentimento secundum sentimentalistas; nec intuitione immediata iuxta placita ontologorum; nec ex sola primaeva revelatione facta primis parentibus et generi humano per traditionem transmissam secundum traditionalistas; nec aliqua intuitione in actu religioso iuxta scholam phaenomenologicam; nec unice per revelationem iuxta protestantes.

28. **SCHOLIUM II. Quid sentiat Ecclesia;** quod, ut diximus, habendum est ut norma negativa.

29. 1. **Circa rationis et revelationis habitudinem.**

«Huic divinae revelationi tribuendum est ut ea quae in rebus divinis humanae rationi impervia non sunt, in praesenti quoque generis humani conditione ab omnibus expedite, firma certitudine et nullo admixto errore cognosci possint. Non tamen hac de causa revelatio absolute necessaria dicenda est.» Vat. Ses. III, c. 2 (DB, 1786).

«Neque solum fides et ratio inter se dissidere numquam possunt, sed opem quoque sibi mutuo ferunt, cum recta ratio fidei fundamenta demonstret, eiusque lumine illustrata, rerum divinarum scientiam excolat, fides vero rationem ab erroribus liberet ac tueatur eamque multiplici cognitione instruat.» Ibid., ses. III, c. 4 (DB, 1799).

30. 2. **Circa exsistentiam Dei eiusque naturam.**

«Sancta Catholica apostolica Romana Ecclesia credit et confitetur, unum esse Deum verum et vivum, creatorem ac Dominum caeli et terrae, omnipotentem, aeternum, incomprehensibilem, etc.» Conc. Vat. Ses. III, c. 1 (DB, 1708).

31. 3. **Circa cognoscibilitatem naturalem exsistentiae Dei.**

«Eadem Sancta mater Ecclesia tenet et docet, Deum rerum omnium principium et finem naturali humanae rationis lumine e rebus creatis certo cognosci posse.» Ibid., c. 1 (D. 1.785). «Si quis dixerit Deum unum et verum, creatorem et Dominum nostrum per ea quae facta sunt naturali humanae rationis lumine certo cognosci non posse: A. S.» (DB, 1806).

Et constat ex Actis Concilii aliquos frustra tentasse ut vox *certo* omitteretur. Ergo de fide est certo cognosci posse a nobis naturaliter exsistentiam Dei. In Concilio incapacitas cognoscendi naturaliter Deum damnatur. Ergo est haereticus qui hoc neget.

32. 4. **Circa demonstrabilitatem exsistentiae Dei.**

«Deum rerum omnium principium et finem, naturali rationis lumine per ea quae facta sunt, hoc est per visibilia opera, tamquam causam per effectum certo cognosci adeoque demonstrari etiam posse profiteor.» (Iuramentum Pii X; DB, 2145. Cfr. DB, 1622; 1650).

Ergo in hoc documento affirmatur possibilitas tum cognoscendi tum demonstrandi exsistentiam Dei naturali rationis lumine. Inde possibilitas demonstrationis est Doctrina catholica; vel etiam proximum fidei; vel theologice certa. Cfr. D. T. C. in art. *Dieu* P. CHOSSAT, S. I. ubi mens Ecclesiae exponitur circa problema de cognitione naturali exsistentiae Dei.

*Temerarie* negabitur de facto a nobis cognosci immo et demonstrari classicis argumentis in

Scholastica adhibitis. Ut videbimus, si argumenta classica complexive sumantur, talis est eorum vis ut apodictice Deum demonstrent. Hinc certitudo de facto, ut videbimus, obtenta est.

**33. SCHOLIUM III. Quaenam praesupponantur ex aliis tractatibus ut certo probata.**

Ex Critica. Aptitudo mentis humanae ut possit transire a certitudine spontanea et naturali ad reflexam et scientificam, uno vel alio processu electo ad iustificationem obtinendam. Quo fit ut nos possimus legitimare spontaneam certitudinem quam circa exsistentiam Dei habemus.

Ex Ontologia. 1) Obiectivitas notionis entis apta ut infinitum repraesentet, si datur; quae notio est analoga analogia simplicis similitudinis seu quae, ut talis, praescindit formaliter a quacumque determinatione sive attributionis sive proportionalitatis.

2) Prima principia pertinentia ad leges entis, nempe: principia identitatis, contradictionis exclusi medii et rationis sufficientis. Item principium causalitatis efficientis, exemplaris et finalis.

3) Obiectivitas etiam notionum substantiae, causae, finis.

Ex Cosmologia. Exsistentia et pluralitas corporum.

Ex Psychologia. Spiritualitas animae humanae eiusque libertas.

Haec sunt praecipua. Si quid aliud supponi debeat suo loco dicetur.

# CAPUT II

## De necessitate demonstrationis exsistentiae Dei

**THESIS 2. Propositio *Deus exsistit* est per se nota quoad se, non autem quoad nos. Et sine demonstratione a nobis cognosci non potest.**

34. **Bibliographia.**—S. Th., 1, q. 2, a. 1.—Suárez, *D. M.* 29, 3, 33-34; *De Deo* 1, 1, c. 1, n. 7-9.—Descoqs, *Th. Nat.* 1, 135 ss.—Urraburu, *Theod.* 1, p. 28-39; *Logica*, p. 758-772.—Loinaz, *Prael. e Th. Nat.*, p. 10.—Schaaf, *Theol Nat.*, p. 62.—Hellín, *Th. N.*, p. 54.—Brosnan, S. J., *Inst. Th. N.*, p. 12.—Boedder, *Th. Nat.*, p. 8.

35. Nexus. Determinata et explicata in thesi praecedenti definitione nominali Dei, quaeritur utrum huic conceptui, quem omnes de Deo habemus, respondeat aliquid a parte rei necne; seu utrum exsistat revera Deus non solum in mente nostra sed etiam in rerum natura: Quomodo haec veritas a nobis certo cognosci potest? Per demonstrationem. Unde de necessitate demonstrationis exsistentiae Dei.

### 36. NOTIONES.

*Exsistentia:* hic significat exsistere a parte rei.

**Propositio:** est oratio, quae aliquid de aliquo affirmat aut negat... (enuntiativa).

1. Propositio formalis et obiectiva:

a) *Propositio formalis:* est expressio sive mentalis sive oralis iudicii.

*F. mentalis:* est actus mentis affirmantis aliquid de aliquo. Est expressio mentalis iudicii.

*F. oralis:* est expressio oralis actus mentis seu iudicii.

b) *Obiectiva:* est obiectum circa quod versatur propositio formalis; est ipsa connexio obiectiva realis extramentalis terminorum seu praedicati cum subiecto. De hac est quaestio.

37. 2. Propositio immediata et mediata.

*Immediata* est illa quae est cognoscibilis sive ex sola analysi subiecti et praedicati (sine termino medio) sive ex experientia aut intuitione ipsius rei (sine medio obiectivo).

Exempla. Anima humana est substantia spiritualis (est immediata in se,

in esse rei; non vero in esse cognitionis pro nobis). Totum est maius sua parte (est immediata in se et etiam nobis); hic cibus est dulcis, sol exsistit.

*Mediata* est illa, quae non est cognoscibilis sine termino medio; unde eget medio in essendo aut in cognoscendo. Sic v. c. homo est capax meriti (est mediata in se et nobis); Deus exsistit (est mediata nobis, unde eget medio in cognoscendo).

**38.** 3. Propositio analytica et synthetica.

*Analytica* est illa cuius praedicatum necessario (sive ut pars constitutiva essentiae sive ut proprietas) convenit subiecto; seu est illa in qua ex sola analysi et comparatione notionum obiectivarum subiecti et praedicati (citra omnem experientiam) cognosci potest praedicatum necessario convenire subiecto.

Et vere, cum enim praedicatum contineatur in comprehensione subiecti, intellectus qui penitus penetret conceptum subiecti et conceptum praedicati videbit nexum eorum solis terminis perspectis sine recursu ad aliud medium diversum ab illis. Sed, ut patet, analysis non est medium exclusivum; forsam eadem propositio cognosci etiam possit per experientiam.

*Synthetica:* (empyrica seu experimentalis prout opponitur analyticae) est illa cuius praedicatum non continetur necessario in subiecto, sed aliunde ipsi unitur. Seu est illa in qua ex sola analysi et comparatione notionum obiectivarum subiecti et praedicati non potest cognosci praedicatum convenire subiecto, sed ad aliud diversum ab illis recurrendum est, sc. ad experientiam. Sic v. c. sol exsistit, Petrus est albus (experientia externa); hic cibus est dulcis, habeo dolorem (experientia interna).

*a)* Synthetica necessaria: est illa quae absolute verificari debet. Sic iuxta aliquos scholasticos principium causalitatis.

*b)* Synthetica contingens: est illa quae potest verificari aut non verificari v. c. Petrus est albus, nix est alba.

N. B. Propositio synthetica seu experimentalis vocatur ab aliquibus propositio per se nota improprie dicta: est immediata siquidem est evidens per experientiam sine medio demonstrationis.

**39.** 4. Propositio analytica immediata et mediata.

*Analytica immediata* est illa cuius praedicatum necessario et immediate convenit subiecto. Unde est immediata in esse rei et immediate ab aliquo intellectu cognosci potest. Seu est illa ante quam nulla est ontologice prior per quam debeat aut possit cognosci et demonstrari a priori; caret enim medio in essendo. Sic homo est animal rationale; rationale est risibile.

Relate ad nostrum intellectum potest esse:

a) *Immediata in se solum*, in esse rei, non in esse cognitionis pro nobis: est illa cuius praedicatum necessario et quidem immediate convenit subiecto, sed sine medio in cognoscendo nobis non manifestatur v. c. anima humana est substantia spiritualis; Deus exsistit.

b) *Immediata etiam nobis:* si caret medio in essendo et sine medio in cognoscendo nobis manifestatur v. c. totum est maius sua parte; duo et duo sunt quattuor.

*Analytica mediata:* est illa cuius praedicatum necessario convenit subiecto mediate; aut si immediate saltem sine ratiocinio a nobis attingi non potest. Inde potest esse:

*a) Mediata in se*, in esse rei (et a fortiori nobis): est illa cuius praedicatum necessario, sed mediate convenit subiecto. Seu illa ante quam datur alia ontologice prior ex qua a priori demonstrari queat; habet enim medium in essendo. Sic anima humana est immortalis quia est spiritualis; homo est risibilis quia est rationalis; homo est liber quia est rationalis; homo est capax meriti, quia est liber.

Conceptus—homo—immediate formaliter explicite tantum dicit animal rationale; ex essentia autem derivantur proprietates: liber, capax meriti etc... Inde sine ratiocinio, seu sine recursu ad aliam proprietatem diversam a praedicato, quamquam intra comprehensionem subiecti, nos non cognoscimus nexum inter utrumque.

b) *Mediata solum nobis*, seu in esse cognitionis pro nobis: est illa quae est immediata in se, sed a nobis sine medio in cognoscendo cognosci non potest. Sic anima humana est substantia

spiritualis; Deus exsistit. In his exemplis sine recursu ad aliud medium diversum a subiecto et praedicato nos non possumus videre nexum inter utrumque.

**40.** 5. Propositio per se nota et per aliud nota.

PROPOSITIO PER SE NOTA (analytica immediata) est illa quae per se (et quoad se) ipsam cognoscibilis est. Dicitur:

*Nota:* i. e. intelligibilis, cognoscibilis, non vero actu cognita.

*Per se:* i. e. ratione sui solius seu ex sola analysi subiecti et praedicati. Et vere, nam in ea praedicatum est nota constitutiva essentialis subiecti vel saltem immediate sequitur essentiam subiecti; et sic ab aliquo intellectu immediate sine ullo medio cognoscitur vel cognosci potest praedicatum necessario convenire subiecto.

*Quoad se:* i. e. ex parte sua seu in se, absolute considerata, non relate ad determinatum intellectum, est immediata in esse rei; et etiam immediata in esse cognitionis, sed solum pro intellectu directe penetrante terminos propositionis.

PROPOSITIO PER ALIUD NOTA (non per se nota; analytica mediata): est illa quae per se ipsam solam non est cognoscibilis. Dicitur: *Per se solam:* i. e. ratione sui solius seu ex solis conceptibus formalibus subiecti et praedicati non est cognoscibilis immediate pro nullo intellectu. Sic omnes propositiones analyticae mediatae in se; habent enim medium ontologice prius per quod cognoscantur.

N. B. Omnes propositiones syntheticae quamvis possent dici immediate notae i. e. sine medio demonstrationis; non sunt proprie per se notae.

**41.** 6. Propositio per se et quoad se nota relate ad nostrum intellectum.

*Per se nota quoad se solum* seu solum in esse rei (analytica immediata in se) est illa quae per se ipsam cognoscibilis est, sed nos immediate ex solis terminis illam percipere nequimus. Sic anima humana est substantia spiritualis; Deus exsistit... manifestantur nobis mediante aliquo medio logico seu in cognoscendo.

*Propositio per se nota quoad se et quoad nos* (analytica immediata in se et nobis) est illa quae per se ipsam cognoscibilis est et nos immediate ex solis terminis illam percipere possumus. Sic propositiones: totum est maius sua parte; duo et duo sunt quattuor; quod est nequit simul non esse; corpora partibus constant... sine medio logico seu in cognoscendo, sine novo motivo aut medio aut iudicio nobis manifestantur.

**42.** 7. Propositio per se nota quoad nos potest esse:

a) *Quoad omnes:* si omnes possunt penetrare subiectum et praedicatum sufficienter, ita ut nexum inter utrumque statim videant. Sic totum est maius sua parte; duo et duo sunt quattuor.

b) *Quoad sapientes tantum:* si solum illi possunt penetrare subiectum et praedicatum ita ut nexum necessarium inter utrumque statim videant. Sic quae incorporalia sunt in loco non sunt; actus purus est infinitus in ea linea in qua est actus. Sic etiam iuxta aliquos propositio Deus exsistit.

**43.** N. B. *Medium in essendo* (ontologice prius) est ratio vel causa cur praedicatum subiecto conveniat v. c. homo est capax meriti, quia est liber; homo est liber, quia est rationalis.

*Medium in cognoscendo* (logice prius) est ratio vel causa cur intellectus cognoscat praedicatum convenire subiecto v. c. Deus exsistit et hoc cognosco quia exsistunt res contingentes.

## 44. STATUS QUAESTIONIS.

Thesis habet tres partes. Et quaeritur:

*In prima parte* utrum Deum a parte rei exsistere sit propositio per se nota quoad se, seu propositio ratione sui solius immediate cognoscibilis pro aliquo intellectu terminos propositionis penitus penetrante; seu propositio analytica immediata in se.

**45.** *In secunda parte* utrum Deum exsistere a parte rei sit propositio per se nota etiam quoad nos i. e. utrum sit nobis immediate cognoscibilis necne ex sola consideratione seu analysi terminorum seu ex sola idea Dei qualem habemus in hac vita, ita ut independenter ab omni demonstratione et sine recursu ad aliud medium logicum diversum a terminis propositionis, videamus illos inter se tali modo esse connexos ut absoluta certitudine possimus affirmare Deum a parte rei exsistere sicut affirmamus ex sola analysi terminorum: totum esse maius sua parte.

**46.** *In tertia parte* utrum propositio Deus exsistit demonstratione indigeat necne? Si nos ideam Dei haberemus sive vulgarem in cognitione spontanea efformata sive scientificam per reflexionem elaboratam sine persuasione exsistentiae Dei aut cum praecisione ab illa persuasione, id quod per se loquendo fieri potest, indigeremus aliquo discursu, aliqua demonstratione ad adquirendam solo lumine naturali certitudinem de exsistentia Dei? Responsio est haec.

1) *In cognitione directa et spontanea* ratiocinium est necessarium, est enim unicum medium primum, naturale et universale, quia haec certitudo oritur de facto ex variis syllogismis fere inconsciis una cum experimentis affectivis et sic ad argumenta scientifica, ad strictam demonstrationem paratur via.

2) *In cognitione reflexa et scientifica* est necessaria demonstratio stricte dicta sive ad iustificandam certitudinem vulgarem sive ad adquirendam primam persuasionem scientificam de exsistentia Dei.

Philosophi hanc certitudinem philosophicam, reflexam quaerunt; contenti enim non possunt esse illa notitia vulgari Dei; sed necessarium est contra atheorum obiectiones et dubia demonstrationem exsistentiae Dei summa diligentia exponere.

Et nos in ordine cognitionis reflexae et scientificae versamur.

## 47. SENTENTIAE.

*1.ª Sententia.* SCOTUS, HENRICUS GANDAVENSIS et alii pauci affirmant propositionem Deum exsistere nullo modo esse per se notam; si enim non est per se nota quoad nos nec est per se nota quoad se, quia per se nota exigit ut sit

immediata in se et nobis. N. B. Lis cum SCOTO potius quam de re forsam de verbo sit, nam admittit procul dubio exsistentiam Dei esse de essentia Dei; sed non vult dicere per se nota, quia pro Scoto *per se nota* idem est ac immediate evidens.

*2.ª Sententia.* S. ALBERTUS MAGNUS, O. P. (1206-1280); AEGIDIUS ROMANUS (O. E. S. A.; m. 1316); DIONISIUS CARTUSIANUS (m. 1471); THOMAS DE ARGENTINA (O. E. S. A.) et alii affirmant Deum a parte rei exsistere esse per se notum etiam quoad nos—quoad sapientes—unde negant eum indigere demonstratione.

Hic etiam possemus enumerare illos, qui sustinent demonstrationem a simultaneo. Quid enim est demonstratio a simultaneo nisi affirmatio exsistentiae Dei ex ipsa terminorum declaratione? Sed cum hoc non nisi cum aliquo discursu fiat, relinquamus illos ad illam thesim in qua agamus de demonstratione a simultaneo.

**48.** *3.ª Sententia. Omnes scholastici* et nos cum illis affirmamus Deum a parte rei exsistere esse propositionem per se notam quoad se, inde esse immediate cognoscibilem ex sola consideratione terminorum pro aliquo intellectu directe penetrante terminos propositionis.

Tamen non esse propositionem per se notam quoad nos, neque quoad doctos, seu non esse immediate cognoscibilem pro intellectu nostro limitato, sed tantum mediante aliquo medio logico diverso a terminis. Unde sine demonstratione a nobis cognosci non potest.

**CENSURA.** Certa quoad tres partes.

**PROBATUR.**

**49.** *1.ª Pars.* Propositio per se nota quoad se, ea dicitur cuius praedicatum est de ratione subiecti sive ut nota constitutiva sive ut immediata eius proprietas, inde ratione sui solius immediate cognoscibilis pro aliquo intellectu penitus penetrante terminos propositionis. Atqui in propositione Deus exsistit, praedicatum exsistere est de esentia subiecti, Dei. Ergo Deum exsistere a parte rei est propositio per se nota quoad se.

*Maior:* Est definitio propositionis per se nota quoad se.

*Minor:* Deus est ens a se. Atqui in ente a se exsistentia seu esse actuale est de eius essentia, immo perfecte identificatur cum essentia, ut infra probabitur. Ergo in propositione Deus exsistit, praedicatum exsistere est de esentia subiecti, Dei.

**50.** EXPLICATIO MINORIS.

1. De conceptu nominali Dei est haec nota: ens a se, ens de cuius essentia est exsistentia mere cogitata. Unde est mihi per se notum illud ens exsistere in ordine pure logico seu mere cogitato.

Sed adhuc nescio utrum exsistentia realis sit necne de essentia Dei: proinde non possum adhuc statuere hanc primam partem theseos: «Propositio Deus exsistit est per se nota quoad se».

2. Non immediate, sed mediate a posteriori ex creaturis per demonstrationem cognosco dari ens a se, ens de cuius essentia est exsistentia realis. Iam vero si tale ens datur, non est chi-

maericum, sed aliquid actu exsistens et positive possibile. Unde de conceptu iam reali Dei (cui respondet aliquid actu exsistens aut saltem aliquid positive possibile) est exsistentia realis.

3. Nunc statuo thesim: *Propositio Deus exsistit est per se nota quoad se*, seu praedicatum exsistentia realis est de conceptu essentiae Dei, inde immediate cognoscibilis ex sola analysi conceptus subiecti et praedicati pro intellectu directe penetrante terminos propositionis seu essentiam etiam pure metaphysicam Dei.

4. Hinc thesis nostra absolute enuntianda est, non conditionate sic: Propositio *Deus exsistit, si exsistit...*

Talis enim propositio est analytica et de conceptu Dei etiam in ordine metaphysico seu de essentia pure metaphysica Dei est exsistentia realis, proinde intellectus qui sufficienter penetret subiectum propositionis statim videt exsistentiam realem convenire subiecto sicut qui sufficienter penetret conceptum hominis statim videt esse rationalem.

5. Ergo ut vides: scio *Deum exsistere* esse propositionem analyticam immediatam in se, hoc autem immediate nescio, sed solum mediate.

**51. 2.ª Pars.** I. Propositio per se nota quoad se et quoad nos est illa, quae est immediata in esse rei et etiam immediata in esse cognitionis pro nobis.

Atqui propositio—Deus exsistit—nullo modo est immediata nobis.

Ergo propositio—Deus exsistit—non est propositio per se nota quoad nos.

*Maior.* Est Definitio.

*Minor.* Probatur excludendo omnes modos possibiles cognitionis immediatae.

1) *Non ex analysi terminorum* propositionis—Deus exsistit.

Nam subiectum propositionis—Deus seu essentia Dei—hic et nunc ante omnem demonstrationem, non habet ullam realitatem nisi mere cogitatam a me. Atqui praedicatum non potest habere maiorem realitatem quam subiectum. Ergo praedicatum—exsistentia realis a parte rei—in propositione—Deus exsistit—est etiam mere cogitatum a me.

Unde *a)* ex sola analysi terminorum non possumus deducere exsistentiam realem a parte rei convenire Deo.

*b)* Immo nec possibilitatem positivam: nam quamvis non videamus repugnantiam in notis Dei (possibilitatem mere negativam) non videmus positive non adesse talem repugnantiam (possibilitatem positivam) siquidem essentia Dei constat notis complicatissimis pro nobis (sic simplicitas et omniperfectio, libertas et immutabilitas...) quas notas est difficile intelligere multo magis conciliare etiam postquam aliunde scimus exsistentiam et realitatem Dei a posteriori. Remanet ergo hypothesis ex sola analysi conceptus Dei, quod forsam sit impossibilis, etsi ergo illud non videam.

2) *Non ex experientia externa.* Deus enim non est obiectum experientiae externae ope sensuum externorum.

3) *Nec experientia interna* saltem communiter (ex conscientia) secus neque posset dubitari aut negari eius exsistentia et de facto a multis negatur vel de illa dubitant.

N. B.: Propositio—Deus exsistit—nullo modo potest dici propositio empirica, uti empyrica opponitur analyticae et dicit eam, in qua praedicatum non pertinet necessario ad subiectum, sed cum eo est tantum contingenter coniunctum, quae contingens coniunctio non ex conceptibus, sed unice ex experientia cognosci potest.

4) *Nec intuitione intellectuali* ad mentem ontologorum: iam alibi probatum est talem intuitionem non dari, secus et rudes et athei intuerentur et non possent negare Deum.

5) *Nec ulla alia via irrationali* vel intuitione ad mentem modernorum (intuitio bergsoniana et exsistentialistarum...). Nam:

*aut intellectus intervenit* et videt immediate exsistentiam Dei et tunc habetur intuitio intellectualis iam reiecta et nos postea refutabimus;

*aut intellectus non intervenit* vel affirmat exsistentiam Dei non videndo eam immediate nec arguendo ex illis modis et erit affirmatio caeca et infundata, quae non potest gignere certitudinem formalem;

*aut intellectus arguit* ex illis modis et tunc adhibetur demonstratio, quod nos intendimus.

**52.** II. Proprium est propositionis per se notae etiam quoad nos ut ex cognitione et consideratione terminorum, immediate sine recursu ad aliud medium diversum a terminis, certo et ab omni intellectu satis versato veritas cognoscatur. Atqui propositio—Deus exsistit—tales characteres non habet. Ergo propositio «Deus exsistit» non est per se nota quoad nos.

*Maior.* Patet.

*Minor.* Nam athei negant Dei exsistentiam, sceptici dubitant, multi alii non facile persuadentur; ipsi philosophi catholici, sine discursu esse pro nobis veritatem immediate cognoscibilem plerique negant; tandem illi pauci auctores, qui demonstratione a simultaneo vel ex analysi terminorum cum aliquo discursu rem manifestam esse affirmant, potius quam probare de facto, subtiliter probare conantur. Ergo propositio—Deus exsistit—non habet characteres propositionis per se notae etiam quoad nos, neque quoad omnes, neque quoad sapientes. Immo neque est immediata nobis ullo modo.

**53. 3.ª Pars.** Propositio—Deus exsistit—non est per se nota nobis, immo nec immediata ullo modo nobis.

Ergo egemus aliquo medio ut illam cognoscere possimus.
Atqui unicum medium est demonstratio.
Ergo exsistentia Dei a nobis sine demonstratione cognosci non potest.

*Antecedens.* Probatum manet in parte praecedente.

*Consequens.* Si est cognoscibilis et non immediate. Ergo mediate.

*Minor subsumpta.* Media stricte dicta possent esse: testimonium divinum seu revelatio; testimonium humanum et demonstratio. Iam vero testimonium divinum seu *revelatio*, quae est locutio Dei attestans (causans fidem) et fides stricta dicta ei correspondens, quae est assensus praestitus solum propter auctoritatem Dei revelantis numquam potest esse primus fons cognitionis pro exsistentia Dei, ut postea contra protestantes probabitur. *Testimonium humanum* est medium derivatum supponens ratiocinium.

Ergo remanet solum medium demonstrationis.

**54. SCHOLIUM I. De doctrina cognitionis Dei innatae.**

ASSERTORES INNATISMI dicunt ab initio dari in anima nostra plures ideas immediate a Deo naturaliter inditas inter quas est idea Dei. Unde cognitio Dei est nobis a natura indita; revera non semper actu datur talis cognitio, nec Deum intuemur, sed adest talis cognitio dispositive sive habitualiter ita ut egeat excitari, non vero adquiri ad actualem cognitionem Dei habendam.

Haec doctrina derivatur a PLATONE, magis systematice eam proposuit CARTESIUS († 1692) et ab eius sectatoribus. Eam tenuit etiam ROSMINIUS († 1855) qui potius pertinet ad formam mitigatam ontologismi quam ad merum innatismum. Tandem KUHN († 1887) et KLEE († 1840) sacerdotes catholici germani eam defenderunt; de quibus loquemur postea cum agamus de demonstrabilitate exsistentiae Dei.

REICITUR sub aspectu cognitionis Dei ex sola idea proprie innata seu immediata.—Ideae innatae reiciuntur in Psychologia.

—Quoad ideam innatam seu immediatam Dei: est inutilis quia datur in nobis facultas qua facile ad ideam et cognitionem Dei pervenire possimus modo paulo ante dicto.

—Si idea Dei omnibus a natura indita esset, cur tot homines Deum negant vel de eo dubitant?

**55. SCHOLIUM II. De cognitione immediata Dei ad mentem Ontologismi.**

**Bibliographia.** DESCOQS, *Prael. Theod.* 1. p. 526 ss.—RAST, *Theol Nat.* p. 69.

**56. Intuitio:** In genere est perceptio immediata alicuius obiecti concreti actu exsistentis sive materialis sive spiritualis.

*I. Obscura* (late dicta) est illa quae causatur simplici praesentia ontologica obiecti quolibet modo quin requiratur praesentia intentionalis.

*I. Clara* (seu stricte dicta) est illa quae exhibet praesentiam obiecti ut obiecti et requirit intentionem intellectus. Unde representat obiectum hic et nunc exsistens et praesens prout exsistens et praesens et quidem directe et immediate i. e. per speciem propriam cognitum v. c. cognitio libri quem habeo prae oculis; cognitio doloris immediate apprehensi per conscientiam.

Conditio essentialis cognitionis intuitivae duplex est: 1.ª ut respiciat obiectum physice exsistens et praesens prout exsistens et praesens. 2.ª ut illud immediate per speciem propriam referat.

*I. Clara-confusa* est illa quae terminatur tantum ad exsistentiam et ad aliquas proprietates obiecti v. c. intuitio mei ego et actuum meorum.

*I. Clara-distincta* est illa quae terminatur tantum ad essentiam et notas intrinsece constituentes obiectum v. c. sic beati in caelo divinam essentiam intuentur (intuitio non comprehensiva); sic Deus se ipsum videt (intuitio comprehensiva).

**57. Sententiae.** *Prima.* ONTOLOGISMUS. Iuxta ontologistas:

homines in hac vita a primo instanti exsistentiae directa et immediata cognitione intellectuali ipsum Deum intuentur vel aliquid divinum et a quo initium habet omnis cognitio saltem intellectualis. Sed non cognoscunt essentiam divinam absolute spectatam secundum omnes suas notas, sed relative quatenus dicit relationem ad creaturas et est per ipsas participabilis ut causa efficiens vel exemplaris. Inde cognoscunt etiam immediate alias res: omnes (universalia, singularia, sensibilia et suprasensibilia) iuxta rigidiores (MALEBRANCHE † 1705; GIOBERTI † 1852 etc...); universalia et suprasensibilia iuxta mitiores (UBAGHS † 1875; FABRE DE ENVIEU † 1901; BRANCHEREAU, HUGONIN, ROSMINI † 1855).

Haec autem intuitio Dei dicitur clara, confusa et imperfecta; distinguenda est igitur a visione beatorum quae est clara, distincta et perfecta. Talis cognitio non est iudicium, sed simplex mentis apprehensio, qua nixus intellectus facit iudicium: Deus exsistit in rerum natura. Ergo demonstratio exsistentiae Dei non est necessaria.

*Secunda.* SCHOLASTICI OMNES concedunt intuitionem supernaturalem beatis in caelo; et mysticis in terra; sed negant dari de facto intuitionem ullam Dei, neque confusam, in hac vita modo naturali.

**58.** Reicitur 1. Si daretur intuitio Dei ab Ontologistis asserta, ex testimonio conscientiae saltem reflexe manifestaretur.

Atqui conscientia nobis non refert quidquam de tali intuitione. Ergo exsistentia Dei immediate intuitione intellectuali a nobis cognosci non potest.

*Maior.* Si enim conscientia omnes alios actus intellectivos refert; hic actus cognoscendi perpetuus et constans, utpote fundamentum aliarum cognitionum intellectivarum, a fortiori a conscientia renuntiari deberet. Cognitio—et fons cognitionis—inconscia est impossibilis.

*Minor.* Nemo, etsi summa cura et diligentia aciem mentis ad semetipsum convertat, exceptis paucis ontologis procul dubio certo deceptis, est sibi conscius immediate intuitionis Dei.

**59.** 2. Obiectum primo et per cognitum intellectus nostri debet esse maxime proportionatum facultati cognoscitivae. Atqui non Deus, sed intelligibile in sensibile est obiectum maxime proportionatum intellectui humano. Ergo Deus non est obiectum primo et per se congnitum, inde intuitione immediata non cognoscitur.

*Maior.* Facultas enim natura sua ordinatur ad hoc obiectum immediate percipiendum et ratione huius cetera obiecta cognoscuntur.

*Minor.* Probatur in Psychologia. Nam intellectus est potentia animae, quae est forma corporis, inde fit ut materialibus maxime proportionetur, incorporea cognoscat per corporea seu materialia: haec autem intellectus, qui est immaterialis ratione suae immaterialitatis (intellectus), modo immateriali intelligere sibi vindicat.

**60. SCHOLIUM III. De cognitione exsistentiae Dei per dynamismum intellectualem P. Maréchal.**

**Bibliographia.**—Maréchal, *Le point de départ de la métaphysique*, t. V (1926); *Le dynamisme intellectual dans la connaisance objective* (1927); *Au seuil de la métaphysique: abstraction ou intuition.* RevNéoscolPh. (1929); *A propos du Point de départ de la Métaphysique* (1938).—Roland Gosselin, BullThom. (1927, 1928, 1930).—Descoqs, *Prael. Theol. Nat.* 1, p. 57-114; 2, p. 97, 122; 135-253; 772, 852.—Maquart, *Elem. Phil.*, 3 (1938), p. 187.—Romeyer, *Greg.* (1927).—Gredt, *DivThom (Fr.)*, 1927.—Hellín, *Theol. Nat.*, p. 71.—Martínez del Campo, *Theol. Nat.*, p. 200 ss.

**61.** P. Maréchal sua methodo quaerit monstrare intellectum esse capacem veritatis et solvere problema criticum de veritate nostrarum cognitionum per affirmationem exsistentiae Dei sine ullo medio cognito, ita ut haec affirmatio sit ratio affirmandi realitatem et veritatem omnium rerum.

*Positio initialis* legitima ad statum reflexionis est suspensio iudicii circa ens et veritatem.

*Obiectivatio cognitionis humanae* per analysim iudicii. Intellectus humanus habet appetitum innatum:

*ad simplices apprehensiones faciendas;* sed simplex apprehensio non ostendit dualitatem inter subiectum et obiectum; intellectus vero non quiescit donec affirmet aliquid de illa re quam cogitavit;

*ad iudicia efformanda.* Iudicium vero si est mere repraesentativum seu mera perceptio identitatis aut discrepantiae inter subiectum et praedicatum ostendit solum dualitatem immanentem et sic non sufficit ad obiectivationem cognitionis humanae seu ad cognoscendum obiectum in se;

*ad affirmandum.* Haec forma obiectivationis vocatur.

**62. Dynamismus intellectualis** seu tendentia innata intellectus ad affirmandum per iudicium. Haec est unica via seu medium obiectivandi referens subiectum ad obiectum sicut motus ad terminum.

In omni quidem iudicio semper affirmatur ens (reale et exsistens, quod designat copula est); ens vero absolute spectatum de pluribus affirmari potest quin exhauriatur, unde est ens infinitum. Cum vero praedicatur de rebus finitis v. c. Antonius est ens, significat Antonium esse effectum, participationem Entis Infiniti receptam in hac re particulari. Unde semper ac affirmatur ens de aliqua re particulari concipimus esse infinitum et esse particulare et sic in omni iudicio datur affirmatio et veritas realitatis divinae infinitae et affirmatio et veritas omnium aliorum a Deo per efficientiam. Affirmatio vero realitatis infinitae est ratio affirmationis et veritatis omnium aliarum rerum, siquidem haec in tantum affirmantur in quantum affirmatur de illis ens, quod est infinitum.

*Est vera* haec affirmatio exsistentiae Dei infiniti et aliarum rerum, quia procedit ex innata intellectus tendentia (quae non potest frustrari nec satiari nisi per ens infinitum), cuius fons est etiam tendentia innata et naturalis intellectus ad Dei infiniti visionem, quae latet in qualibet affirmatione particulari. Revera hanc Dei infiniti visionem solummodo possumus habere in altera vita; tamen intellectus possidet illam in hac vita per suam actionem characteristicam, affirmando illam per iudicium. Et ne tendentia illa intellectus sit contradictoria, talis visio possibilis esse debet. Iam vero Deus possibilis-Deus exsistens.

Ergo exsistit Deus infinitus obtentus demonstratione quasi a priori. (Revera in tali monstratione adhibentur principia diversa a re quae debet cognosci ut apparet ex expositione systematis, et sic proprie non est monstratio nec demonstratio a simultaneo).

**63. Reicitur:** quoad id quod ad nos attinet.

1. Ens absolute spectatum, quod concipimus cum illud praedicamus de rebus particularibus, est solummodo infinitum praecissive, quia praescindit a limitibus; et extensive, quia potest praedicari de omnibus rebus finitis et de ente infinito, si exsistit. Unde falsum est nos concipere ens positive infinitum cum affirmamus ens de aliqua re particulari; et limitari in realitate ex eo solum quod recipiatur in aliquo ente particulari.

2. Verum est quod detur tendentia innata intellectus in ens et verum in commune; et tendentia etiam innata voluntatis in bonum in commune; non vero in Deum infinitum, nisi mediate probetur eius exsistentia ut postea nos faciemus: ex appetitu per se infrustrabili in beatitudinem in communi deducimus positivam possibilitatem Dei et inde etiam eius exsistentiam.

3. Falsum est quod detur appetitus naturalis innatus in visionem Dei: visio enim Dei est donum supernaturale.

4. Possibilitas demonstrationis exsistentiae Dei a posteriori per ea quae facta sunt manet saltem dubia, siquidem ante affirmationem et veritatem praemissarum, debet mihi constare de affirmatione et de veritate conclusionis, nempe exsistentiae Dei.

**64. SCHOLIUM IV. De phaenomenologismo.**

**Bibliographia.**—DESCOQS, *Prael. Theol. Nat.* 1, p. 571-573.—RABEAU, *La philosophie religieuse de Max Scheler* (1929).—DONAT, *Critica*, n. 214.—RAST, *Theol. Nat.*, p. 83.—BASCUÑANA, *Exposición y crítica de la fenomenología de* EDM. HUSSERL (Barcelona).—SCIACCA, *La filosofia, hoy*, p. 153.—MARTÍNEZ DEL CAMPO, *Theol. Nat.*, p. 177.—GISQUIÈRE, *Prael. Theod.* 1, p. 80-83.—HELLÍN, *Phil. Schol. Summa*, 3, p. 27.—ROVICHI, *La Filosophia di* EDMUND HUSSERL (1939).

1. IN GENERE, MAXIME IUXTA HUSSERL.

**65. Phaenomenologia:** *vi nominis* est tractatus de phaenomenis. *Phaenomena* autem sunt res sive obiecta prout immediate conscientiae apparent; purum datum conscientiae ante actum v. c. abstractionis vel synthesis; per quem esset elaboratum aut deformatum;

*realiter* est scientia de phaenomenis; scientia eidetica seu simplex apprehensio essentiae in factis seu phaenomenis conscientiae.

EXPLICATIO: in omnibus et singulis factis contingentibus adest essentia universalis et sic in unaquaque re concreta sensibiliter percepta vel imaginatione repraesentata prout primo et sponte menti offertur ante omnem reflexionem sine ulla abstractione et inductione, intuemur immediate tum illud factum empyricum v. c. hunc librum, hanc mensam; tum essentiam universalem v. c. librum, mensam et quidem cum plena evidentia etiamsi de factis empyricis dubitari possit. Unde

**66.** a) *punctum a quo:* est factum aliquod empyricum, contingens, concretum, exsistens et quidem sufficit unicum v. c. hic liber sive visus sive repraesentatus per imaginationem. Sed tale factum, tale obiectum non respicitur in suo esse actuali, quia phaenomenologus etsi habeat persuasionem naturalem de exsistentia mundi externi et proprii ego experimentalis seu psycho-physici, in analysi phaenomenologica neque affirmat neque negat neque dubitat dubitatione reali, sed praescindit; omne enim physicum et actuale in parenthesi ponitur et consideratur in suo esse intentionali seu essentiae;

b) *terminus ad quem:* est perceptio essentiarum in sua puritate et veritate. Tales essentiae pertinent ad ordinem idealem, inde sunt necessariae, aeternae, irreales i. e. praescindunt ab

exsistentia vel inexsistentia; non sunt aliquid physicum aut psychologicum, tamen non sunt purum nihilum; sunt aliquid cuius esse tantum in eo consistit quod cogitetur; quod possint esse subiectum praedicationum verarum, quod non convenit esse mere cogitato et ficto seu chimaerico;

**67.** c) *actus:* Intuemur essentias intuitione intellectuali; quae est immediata apprehensio essentiae in factis seu phaemomenis. Sed item tales actus non considerantur in suo esse physico vel psychico, sed in suo esse intentionali seu essentiae.

d) *Modus.* Phaenomenologus utitur reductione phaenomenologica ut percipiat essentias. Ad hoc ponit in parenthesi totum illud quod in conscientia sese refert ad subiectum psychophysicum vel ad exsistentiam obiectivam (mundum, Deum, omne physicum et actuale). Intuetur factum empyricum prout apparet et ab hoc facto empyrico transit regressu phaenomenologico ad diversos modos conscientiae, in quibus per reflexionem phaenomenologicam, quae iam non attendit ad facta empyrica, sed solummodo ad correspondentes modos conscientiae, intuetur in conscientia pura seu transcendentali essentias in suo esse originario et authentico. Cum vero intuitio incipiat proprie in illo momento in quo attinguntur essentiae, alii actus praevii, si forsam dentur, non impediunt immediationem cognitionis. Unde residuum in hac reductione phaenomenologica sunt essentiae.

Tandem ut attingatur ipsa activitas cogitans in se ipsa, ego transcedentale seu conscientia transcendentalis utitur phaenomenologus reductione phaenom. transcendentali; ponit in parenthesi etiam ipsas essentias ut percipiat illam conditionem, quae facit possibilem perceptionem illarum. Talis conditio est cogitatio pura seu conscientia transcendentalis, ultimum residuum phaenomenologicum, quod iam non potest reduci seu poni in parenthesi. Sic datur seu exsistit esse ontologicum seu ontologia conscientiae.

**68.** 2. PHAENOMENOLOGIA RELIGIOSA MAX SCHELER.

MAX SCHELER († 1928) constituit phaenomenologiam religiosam, praesertim ad cognoscendam exsistentiam Dei personalis. Argumenta enim traditionalia a posteriori putabat esse paucis pervia et efficacia solummodo ad obtinendum ens incausatum et a se, sed impersonale. In phaenomenologia religiosa per actus emotionales (v. c. amare, odio habere, praefferre...) immediate facta seu obiecta attingimus sub respectu valoris, non iam in ordine mere ideali, sed in ordine reali valorum (sic bonum, pulchrum, sacrum... quae ut talia non attinguuntur ab intellectu, sed ab alia facultate speciali cuius actus est sentire valores) et in ipsis factis nobis essentiae manifestantur.

Supremus valor est Deus, quem attingimus ut Supremum valorem obiective exsistentem, personalem, sanctum et a se via emotionali.

Factum empyricum cuius occassione oritur intuitio emotionalis potest esse quaelibet res, quodlibet factum v. c. pulchritudo universi; omnes enim creaturae sunt symbola et repraesentationes Dei; dicunt relationem ad Deum et in illis a nobis immediate perceptis detegimus et praedictam relationem et Deum.

Actus vero attingendi Illum est intuitio emotionalis (aliquatenus mediata) seu sentimentum emotionale, actus emotionales religiosi ut fides, amor, fiducia, admiratio, adoratio, metus religiosus..., quos actus sequitur actus intellectus seu cognitio rationalis. Ut vero possimus cognoscere Deum personalem et sanctum debet dari in nobis (nemini deest saltem radicalis) dispositio religiosa ad intuitionem emotionalem et illuminatio divina qua prius amore detegimus Deum, quam illum ratione cognoscamus.

Supposita hac cognitione Dei personalis et sancti et a se via emotionali facile reliqua attributa cognoscere possumus, sed semper methodo phaenomenologica nempe per intuitiones emotionales et illuminationes Dei.

Inter phaenomenologistas numerandi sunt catholici: HILDEBRAND, KARL ADAM, DE BRUYNE, etc. Methodo phaenomenologica etiam exsistentialistae utuntur, sed eam applicant non intuitioni essentiarum, sed ipsi facto exsistentiae.

**69.** REICITUR. 1. Cognitio nostra non est semper intuitiva; res enim spirituales: Deum, spiritus puros, animam spiritualem..., solummodo conceptu analogico cognoscere possumus, ut constat ex Psychologia.

Falso asseritur immediata cognitio omnium essentiarum sine ulla abstractione: multas essentias tantum conceptu analogo, interdum valde obscuro apprehendimus et non nisi post deliberationem, ratiocinium...

Facta emotionalia ut amor, admiratio, fiducia versantur circa rem iam aliunde cognitam; et in casu nostro versari non possunt nisi circa Deum iam cognitum.

**70.** 2. Ex ordine mere intentionali seu mere logico non licet transitus ad ordinem exsistentiae. Atqui secundum plures fautores huius methodi manemus in ordine mere intentionali. Ergo methodus phaenomenol. non est via apta ad Deum.

*Maior.* Patet.

*Minor.* Nam debemus ponere in parenthesi omne physicum et actuale; et ex eo quod aliqua essentia meae conscientiae appareat, nihil est decisum de eius actuali exsistentia, id quod valet etiam de essentia divina, unde locus est idealismo, in quem, ut videtur incidit Husserl: siquidem quoad essentias videtur affirmare non habere ullum valorem nisi in conscientia; et in statu reflexionis circa ultimum residuum phaenomenologicum, non facit reductionem ad sensibilia et ad prima principia ut facit scholastica, sed praebet explicationem idealisticam: conscientia transcendentalis constituit omnem realitatem i. e. obiecta per cogitationem constitui et a cogitatione pendere.

**71.** 3. In methodo phaenomenologica aut intuemur essentiam divinam sicuti est in se, aut habemus tantum aliquam speciem creatam. Atqui in primo casu incideremus in ontologismum, et in altero casu cognosceremus Deum mediate ex creaturis, non vero immediate. Ergo methodus phaenomenologica non ducit ad Deum.

## 72. OBIECTIONES contra thesim.

1. Propositio—Deus exsistit—non est axioma aliquod. Atqui hoc requiritur ad propositionem per se nota. Ergo non est per se nota.

Resp. Conc. mai et nego minorem.

2. Propositio—Deus exsistit—habet medium demonstrationis. Atqui propositio, quae habet medium demonstrationis non est per se nota. Ergo... non est per se nota.

Resp. Dist. mai... in essendo N. in cognoscendo C.
Contrad. min. et nego consequens.

3. In 1.ª parte theseos affirmas exsistentiam Dei demonstrare non posse; in secunda vero demonstrare debere. Ergo datur contradictio.

Resp. Dist. mai... a priori C. nec a posteriori N.

4. Si tu scis esse propositionem per se notam, esset per se nota quoad te. Atqui hoc est falsum. Ergo non est per se nota ullo modo.

Resp. Dist. mai. Si scio esse per se notam mediate, a posteriori N.
Si scio immediate et a priori C.

5. Propositio per se nota est illa, quae cognitis terminis, cognoscitur. Atqui propositio —Deus exsistit—non cognoscitur cognitis terminis. Ergo non est per se nota.

Resp. Disting. mai... quoad se C; quoad nos Subd. si bene penetremus terminos C. secus N.

6. In propositione per se nota vel termini sufficiunt gignere cognitionem vel non. Atqui si sufficiunt erit per se nota quoad nos; si vero non sufficiunt neque erit nota per se. Ergo impossibile est ullam propositionem esse notam per se quoad se et non quoad nos.

Resp. Conc. mai.
Disting. min. Si sufficiunt solum pro aliquo intellectu penetrante terminos propositionis N; si etiam pro nobis C.
Disting. pariter consequens.

**73.** 7. Ea sunt immediate nota nobis, quorum nobis est naturaliter indita cognitio. Atqui idea Dei iuxta SS. Patres est nobis a natura indita. Ergo propositio Deus exsistit est immediate nota nobis.

Resp. Conc. mai et nego minorem.

Explicatio: Loquutiones SS. PP. affirmant solummodo facilitatem qua adquiri potest cognitio Dei ab omnibus rationem habentibus sufficienter evolutam ex obvia contemplatione creaturarum etc.

Atqui est immediate notum nobis Deum exsistere. Ergo...

8. Nos immediate cognoscimus exsistere veritatem. Atqui veritas est Deus. Ergo immediate cognoscimus exsistere Deum.

Resp. Dist. mai. aliquam veritatem vel veritatem in communi C. veritatem imparticipatam N.

Contradi. min. et nego consequens.

Atqui immediate cognoscimus exsistere veritatem imparticipatam. Ergo...

9. Quanto maior est veritas alicuius rei, maior cognoscibilitas. Atqui in Deo est summa veritas. Ergo etiam summa cognoscibilitas.

Resp. Disting. mai. Absolute et in se C; respective i. e. relate ad humanum intellectum N.

Contrd. min. et nego consequens.

Atqui etiam relate ad intellectum humanum Deus est immediate cognoscibilis. Ergo...

10. Illud immediate cognoscitur a nobis in quo omnia cognoscuntur. Atqui omnia in Deo cognoscimus. Ergo etiam Deus immediate nobis cognoscibilis est.

Resp. Disting. mai. Si logice in eo omnia cognoscuntur tamquam in medio in quo C: si tantum quia est causa dans nobis virtutem cognoscendi N.

Contrd. min. et nego consequens.

Atqui absolute primo cognoscitur Deus. Ergo...

11. Immediate cognoscimus exsistere rationem cuiusvis veritatis et entis. Atqui ratio sufficiens non est alia nisi Deus. Ergo Deus absolute primo cognoscitur.

Resp. Conc. mai.

Disting. min. est re vera Deus C; cognoscitur hoc a nobis immediate N.

Atqui cognoscimus immediate exsistere Deum. Ergo.

12. Deus est colendus est veritas nobis immediate nota. Atqui hoc supponit cognitionem Dei. Ergo cognoscimus immediate Deum exsistere.

Resp. Disting. mai. Si exsistit, colendus est C.; secus nego.

Explicatio. Principia Deus est colendus, parentes honorandi sunt..., respectu ordinis physici practici proprie conditionalia sunt; adhuc absolute enuntiantur cum supponatur (ita est de facto) conditionem esse verificatam. Unde illa principia supponunt aliquid ordinis speculativi cognitum, sed non praecise immediate.

Atqui immediate cognoscimus Deum exsistere. Ergo...

13. Immediate cognoscimus ens pessimum non exsistere. Atqui si evidens est ens summe malum non exsistere, a pari etiam est evidens ens optimum exsistere. Ergo immediate cognoscimus Deum exsistere.

Resp. Conc. mai. et nego minorem, quia cum purum malum repugnet evidens est non posse exsistere; non est autem evidens ex terminis ens summe bonum esse reale nisi demonstretur.

Atqui evidens est ens optimum exsistere. Ergo.

14. Evidens est exsistere illud, quod naturaliter omnes desiderant. Atqui naturaliter omnes desiderant summum bonum, quod est Deus. Ergo evidens est exsistere Deum.

Resp. Disting. mai. Sive mediate sive inmediate C.; praecise immediate N.

Contrd. min. Desiderant summum bonum in communi, indeterminate Conc.; determinate Deum Subd. mediate mihi constat esse Deum C. etiam immediate N.

Explicatio. Agitur de idea clara et distincta Dei, de iudicio certo circa exsistentiam Dei obtinendam. Appetitus vero et desiderium summi boni potest esse inchoatio demonstrationis, quam perficit intellectus facta illa considerando et investigando sufficientem rationem talis desiderii, quae ratio alia esse non potest nisi Deus.

Atqui immediate nobis constat sumum bonum esse reale. Ergo...

15. Summum bonum est ens carens omni defectu. Atqui ens carens omni defectu non est chimaera. Ergo immediate nobis constat summum bonum esse ens reale.

Resp. Disting. mai. Si exsistit C. secus N.
Contrd. min. Si non est reale N.; si est reale subd. mihi constat immediate esse reale N. mediate C.
Atqui immediate scimus Deum esse ens reale. Ergo...

16. Carere omni defectu est bonum. Atqui non est bonum esse chimaeram. Ergo Deus non est aliqua chimaera.
Resp. Disting. mai. Si est aliquid reale vel saltem possibile positive C. secus Nego; quia potest esse purum nihilum.
Disting. pariter consequens.
Atqui immediate scimus Deum exsistere. Ergo...

17. Nemo potest cogitare aliquid sine eo quod est de eius essentia. Atqui de essentia Dei est exsistentia. Ergo nemo potest cogitare Deum sine exsistentia actuali.
Resp. Conc. mai.
Disting. min. exsistentia cogitata C.; realis Subd. si constat essentiam esse realem et non mere cogitatam C. secus N.
Atqui etiam exsistentia actualis Dei immediate cognoscitur. Ergo...

18. Exsistentia Dei affirmatur in illa propositione quae est immediate evidens: Bonum est faciendum—siquidem in illa cognoscitur immediate supremus legislator. Ergo etiam exsistentia actualis Dei immediate cognoscitur a nobis.
Resp. Nego antec.

Explicatio. Etiam si admitteretur cum Schiffini cognitionem exsistentiae Dei derivari posse sine ratiocinatione ex illa propositione, non exinde esset veritas per se nota quoad nos; nam non derivatur ex analysi conceptus Dei, sed a posteriori ex creaturis quamvis sine ratiocinatione.

**74.** 19, Experientia mystica sive sit intuitio sive non sit dat per se ipsam certitudinem de exsistentia Dei. Ergo non est necessaria demonstratio.
Resp. Conc. antec. et nego consequens.

Explicatio. Quaerimus hic medium naturale, primum et universale. Experientia mystica est supernaturalis, datur in paucis, qui iam cognoscunt Deum fide et ratione. Sicut enim datur, potest etiam negare illam Deus; et iam negatur possibilitas consequendi certitudinem de exsistentia Dei.

20. Potest Deus donare experientiam mysticam atheo alicui ut primo adquirat per illam persuasionem de exsistentia Dei. Ergo demonstratio non est necessaria.
Resp. Conc. antec. et nego consequens.

Explicatio. Pro illo non esset necessaria demonstratio ad adquirendam primam notitiam de exsistentia Dei; sed, ut diximus antea, experientia mystica non est medium naturale, primum et universale. Aliae experientiae ut gustus, consolationes..., non dant certitudinem de exsistentia Dei.

# CAPUT III

## De possibilitate demonstrationis exsistentiae Dei

**THESIS 3. Humanus intellectus potest solis suis viribus exsistentiam Dei certo demonstrare.**

75. **Bibliographia.**—S. Th. 1, q. 2, a. 2.—Suárez, *D. M.* 1, 2, 2-4; s. 3, n. 32-36; D. 30, 1, 14; *De Deo* 1, 1, c. 1, n. 7-22. Descoqs, *Prael. Theol. Nat.* 1, p. 136-153.—Urraburu, *Theod.* 1, p. 40 ss.—Loinaz, *Prael. Theol. Nat.*, p. 37.—Hellín, *Theol. Nat.*, p. 77.—Chossat, *Dieu:* DTC, col. 1889-1893.—Garrigou-Lagrange, *Dieu*, p. 14-43.

76. Nexus. Egimus in thesi praecedenti de necessitate demonstrationis exsistentiae Dei; nunc de eius demonstrabilitate seu de possibilitate demonstrationis agendum est.

### 77. NOTIONES.

Intellectus est facultas cognoscitiva spiritualis.

Potest esse speculativus et practicus. *Speculativus* seu theoreticus est ille, qui, quod apprehendit, non ordinat ad opus. Hic per se sufficit ad demonstrationem. *Practicus* est ille qui quod apprehendit ordinat ad opus.

Demonstratio est argumentatio in qua ex praemissis certis et evidentibus eruitur conclusio pariter certa et evidens per legitimam consequentiam.

Potest: quaestio est de possibilitate demonstrationis, non de facto demonstrationis.

Suis viribus: i. e. naturali suo lumine.

Solis: i. e. lumen naturale intellectus sufficit per se ad certam cognitionem de exsistentia Dei tum in ordine cognitionis spontaneae tum in ordine cognitionis reflexae et scientificae. Unde:

*Absolute* loquendo seu spectatis viribus, quae competunt naturae humanae, quatenus talis natura est, homines generatim propria industria ad cognitionem exsistentiae Dei pervenire possunt quin egeant alio adiuvamine v. c. revelatione aut traditione...

*Relative* autem seu de unoquoque individuo in specie non affirmamus hoc; etenim verum est saepe propter varias circumstantias, negligentiam in educatione etc... rationem indigere aliquo adiuvamine.

Certo; i. e. non dubitative cum suspensione mentis inter utramque partem contradictionis; nec opinative cum assensu probabili in veritatem non exclussa formidine errandi; sed cum certitudine, cum assensu firmo in veritatem

exsistentiae Dei exclusa formidine errandi. Et quidem haec certitudo est per se necessaria; per accidens libera legitima.

Exsistentia: exsistere a parte rei.

Deus: est prima causa et ens a se, necessarium in exsistendo et personale auctor et gubernator mundi nobis venerandus et colendus.

## 78. STATUS QUAESTIONIS.

Quaeritur utrum demonstratio exsistentiae Dei sit possibilis necne? Responsio est haec.

1. Omnes scholastici asserunt humanum intellectum etiam mere theoreticum posse per se scientifice demonstrare demonstratione stricte dicta Deum exsistere a parte rei; et sic posse aut iustificare suam certitudinem spontaneam, vulgarem, aut etiam acquirere primam persuasionem de exsistentia Dei.
2. Unde in ordine cognitionis reflexae et scientificae intendimus demonstrare exsistentiam Dei esse demonstrabilem.
3. Dicimus intellectum mere theoreticum per se sufficere contra illos adversarios qui requirunt aliquod elementum practicum aut rationem practicam.
4. Verum est ex argumentis pro exsistentia Dei inferre statim esse demonstrabilem; tamen oportet reflexe considerare possibilitatem huius demonstrationis et hac occasione accurate cognoscere et classificare adversarios exsistentiae Dei et demonstrabilitatis divinae exsistentiae.

## 79. SENTENTIAE circa exsistentiam Dei et eius demonstrabilitatem.

I. **Atheismus:** in genere est doctrina aut positio eorum qui Deum non agnoscunt. Athei possunt esse diversorum generum.

1. **Athei dogmatici** affirmant non exsistentiam Dei ab illis positive esse probatam.

**80.** *a)* Monismus materialisticus omnia reducit ad materiam, nihil exsistit nisi materia. Plura quidem admittit entia substantialia et per se subsistentia, sed omnia constant sola materia et differunt per solam structuram aut positionem atomorum. Unde est monismus identitatis specificae. Ratio mundi in ipso mundo quaerenda est, ordo metaphysicus et spiritualis reiciendus et proinde etiam Deus. Distinguitur monismus staticus seu mechanicus, dynamicus, hilozoista, dialecticus...

Sic Moleschot († 1893); Haeckel († 1919); Le Dantec († 1917); Vogt († 1895); Feuerbach...

**81.** *b)* Monismus pantheisticus (1) omnia reducit ad Deum et est stricto sensu pantheismus, qui affirmat substantiam divinam identicam esse omnino

---

(1) Schalck, *Pantheisme:* DTC, col. 1.855-1.874.—Valensin, *Pantheisme:* DAFC, col. 1.303-1.333.—*Enc. Espasa, Panteismo.*—Habert, *Materialisme et Monisme:* DTC, co. 279-319.—Malebranq, *Monisme:* DAFC, col. 878-929.—Dehove. *Idealisme:* DAFC, col. 542.—Urraburu, *Cosmologia*, p. 96-156.—Hontheim, *Inst. Theod.*, p. 465.—Hellín, *Theol. Nat.*, p. 352; C. p. 141.—Gisquière, *Prael. Theod.* 1, p. 414-471.

cum mundo aut illi immanentem esse ut partem eius sive ut formam sive ut materiam aut subiectum omnium evolutionum. Unde de essentia pantheismi est dari unicam substantiam vel entitatem.

Pantheismus potest esse imperfectus et perfectus.

Iuxta pantheismum imperfectum Deus est pars constitutiva mundi:

—*vel ut materia*, quod asserit David de Dinanto;

—*vel ut forma* et anima mundi: sic Heraclitus, *stoici*, Amalricus de Bene, Külpe...;

—*vel ut exsistentia*, iuxta placita Eckardt et Nic. Cusani († 1464);

—*vel ut substratum* aut suppositum in quo subsistant omnia. Sic *panentheismus Vishnuismi* (secta Hinduismi) et Krausse († 1832).

Iuxta pantheismum perfectum totus mundus este Deus, seu totus mundus divinam substantiam participat:

—*sive per emanationem*, transformationem, effusionem ad extra divinae substantiae; et habetur pantheismus emanatista transiens, qui defenditur a libris *Vedae* in India, *gnosticis*, Plotino, Scoto, Eriugena, Cousin († 1867), *theosophis*...;

—*sive per nullam effusionem ad extra* et habetur pantheismus immanens;

—*aut sine ulla evolutione neque ad intra* et est pantheismus immanens staticus, quem defendunt *Brahmanismus indicus*, Zankara, *Civaismus* (secta Hinduismi), eleatici Xenophanes, Parmenides, Melissus, Zeno;

etiam Jordanus Bruno († 1600), Zacobus Böhme († 1624)...;

—*aut cum evolutione*, modificatione Entis absoluti *ad intra* et habetur pantheismus immanens dynamicus. Haec autem evolutio dynamica Entis Absoluti;

—*aut est mere apparens* et fit solummodo in ordine ideali, in ordine phaenomenali, qui illusioni debetur; et datur pantheismus dynamicus idealista. Ratio illius mutationis mere apparentis est:

pro Fitche († 1814) Ens Absolutum seu to ego purum transcendentale;

pro Schelling († 1854) Ens Absolutum in quo identificantur to ego et to non-ego;

pro Hegel († 1831) Ens Absolutum seu idea entis abstractissimi;

—*aut illa evolutio est realis* et fit per veram evolutionem, per veràs modificationes in ordine reali. Hic est pantheismus immanens dynamicus realista Spinoza et aliorum.

**82.** *c)* Panentheismus docet plurimas esse substantias distinctas a Deo, sed ait eas non subsistere in se, sed in Deo. Sic coniungit pantheismum cum theismo et exsistentiam Dei retinere vult, sed tandem in pantheismum incidit. Sic Krausse (1781-1832).

*d)* Pluralistae americani et angli, qui admittunt Deum vel plures deos finitos, factos ad mensuram nostrae indolis, sed negant Deum creatorem, infinitum. Sic W. James (1842-1910); Wells, Howison, Cfr. Pragmatismum, n. 98.

*e)* Fautores relativismi mathematici absoluti (idealistae absoluti), pro quibus non datur nisi pura relatio mathematica sine ullo substrato seu funda-

mento reali. Unde omnia sunt quid mere ideale et relativum pendens a nostro modo concipiendi. Sic LEO BRUNSCHWICG.

2. **ATHEI AGNOSTICI** sunt illi, qui contendunt exsistentiam Dei attingi non posse.

**83.** AGNOSTICISMUS IN GENERE est doctrina denegans humano intellectui totaliter vel partialiter capacitatem attingendi res immateriales et in specie Deum et res divinas.

AGNOSTICISMUS PURUS tenet nos tantum phaenomena rerum quibus res nobis apparent, nihil autem de rebus ipsis, quales in se sunt seu nihil de supersensibilibus cognoscere posse. Unde est systema mere negativum et destructivum quatenus simpliciter negat omnem valorem obiectivum nostrarum cognitionum. Iuxta ipsos Deus nec affirmatur nec negatur sed tantum nescitur. Plurimos asseclas habet ut D'ALAMBERT LAMETTRIE, DIDEROT, HOLBACH, BAYLE, HUME, PAYOT...

**84.** POSITIVISMUS RADICALIS nihil admittit nisi quod est positivum i. e. phaenomena eorumque relationes, nempe solummodo quod est perceptibile per sensus vel per experientiam internam. Hoc solum est reale et certum; cetera quae dicuntur immaterialia v. c. substantiae, finis, res spirituales, praescindimus utrum exsistant necne, ignoramus, inter quae Deum. Sic Compte, Taine, Huxley, etc...

3. **ATHEI EXSISTENTIALISTAE.** Sartre. Cfr. Append. n. 131.

**85. II. Agnosticismus dogmaticus** (irrationalismus) admittit exsistentiam alicuius entis supremi, eius vero exsistentiam contendunt per rationem attingi minime posse, sed tantum per medium extrarrationale.

Hic agnosticismus maxime excultus et propagatus est per KANT.

Etiam per agnosticos criticistas ut HAMILTON (1788-1856); MANSEL (1820-1871); BOUTROUX (1845-1921); J. LAGNEAU (1851-1894); RENOUVIER (1815-1903)...

**86.** 1. EMMANUEL KANT (1724-1804) admittit exsistentiam Dei, sed negat eius demonstrabilitatem. Duas hic auctor species rationis admittit: rationem puram seu theoreticam, qua homo cognoscit et rationem practicam (voluntatem), qua in suis actionibus dirigitur.

Iam vero Kant negat exsistentiam Dei theoretice i. e. scientifice probari posse eo quod nos tantum res sensibiles seu phaenomena rerum, non autem noumena seu res quales in se sunt cognoscere possimus (2). Ratio enim speculativa inepta est ad cognoscendum ea, quae sunt ultra phaenomena, quae experimur; ideae nostrae efformantur secundum leges et formas subiecto cogitanti

(2) CHOSSAT, *Agnosticisme:* DAFC, col. 67-75.—DESCOQS, *Prael. Theol. Nat.*1, p. 638-651.—DONAT, *Theodicea*, n. 115.—GARRIGOU-LAGRANGE, *Dieu* (1923), p. 106-123.—HELLÍN, *Theol. Nat.*, p. 38.—CHARLES, *Kant et Kantisme:* DTC, col. 2.305-2.316-2.325.—JANSEN, *Structura philosophiae Kantianae:* Greg. (1924), 46-57; Ídem, *La Philosophie religieuse de Kant* (1934 Paris).—SENTROUL, *La philosophie religieuse de Kant* (Bruxelles).—VALENSIN, *Criticisme Kantien:* DAFC, col. 741-747.

innatas. Si hae formae possunt applicari alicui obiecto sensibili tum cognitiones nostrae habent valorem obiectivum phaenomenalem; si vero non possunt applicari alicui obiecto sensibili tum carent valore obiectivo non solum noumenali sicut omnis nostra cognitio, sed etiam phaenomenali; quod valet de cognitionibus nostris circa Dei exsistentiam et naturam, circa animam, circa naturam mundi.

Insuper principium causalitatis non est validum nisi in ordine phaenomenali, circa obiecta experientiae nostrae.

Ratio autem practica habet valorem absolutum: vitam moraliter bonam postulat et leges recte vivendi praescribit; et homo vi huius legis (imperativum categoricum) habet conscientiam alicuius obligationis moralis ab ipso implendae, quae tres veritates necessario praesuponit:

*libertatem* quia officium ab homine implendum sine libertate non datur;

*immortalitatem animae*, nam recto usui vel abusui libertatis respondere debet praemium aut poena, quae in hac vita non semper datur. Ergo opus ut altera vita adsit;

*exsistentiam Dei;* ut enim altera vita praemium aut poena pro merito rependi possint, Deus exsistere debet.

Ergo admittenda est exsistentia Dei tamquam postulatum rationis practicae (ex fide seu fiducia aut assensu sine theoretica probatione) ut homo imperativum categoricum constanter sequi valeat et ad vitam honestam agendam impelli. Ergo exsistentia Dei demonstrari non potest.

**87.** 2. Agnostici positivistae cum H. Spencer (1820-1903) iuxta quos Deus est conditio ultima omnium phaenomenorum cuius natura remanet nobis absolute ignota. Deus est, sed est to Incognoscibile.

**88.** 3. Protestantes conservativi (3). Iuxta protestantes veteres, Lutherum, Calvinum, etc... ratio peccato obnubilata nequit per discursum cognoscere Deum, qui unice cognoscitur fide; non vero fide rationali intellectuali ex testimonio Dei, sed fiduciali ex testimonio spiritus. Karl Bart et schola dialectica (sic appellata ex eo quod omnis discusio de Deo sit locutio cum eo et praesertim quia de Deo loqui non possumus nisi verbis oppositis, contrariis ad invicem) adhaerent doctrinae reformatorum et affirmant impossibilitatem rationis et hominis simpliciter perveniendi ad cognitionem Dei, tum propter suam contingentiam tum maxime propter naturae corruptionem.

*Revelatio* est unica via ad cognitionem de Exsistentia Dei personalis sive per conscientiam sive in Christo sive in Verbo Sacrae Scripturae.

Revelationi seu locutioni divinae respondet ex parte nostra *fides, non rationalis intellectualis*, sed decisio (nititur enim in voluntate) et periculum (propter consequentias practicas), quo homo se sistit Deo, cui se totum tradit et ab eius nutu se dependentem reddit.

*Nostra enim cogitatio* et locutio de Deo est exsistentialis (non essentialis, non conceptualis), quatenus Deus sua locutione nobis se directe exsistentem praebet.

*Forsam radix ultima* huius doctrinae stet in exaggerata Dei transcendentia ab illis asserta:

---

(3) Rast, *Theol. Nat.*, p. 90.—M. F. Sciacca, *La filosofia, hoy*, p. 42.—Chossat, *Dieu:* DTC, col. 785-789; 797; 799-806.

Deus nullam similitudinem ne analogicam quidem habet cum creaturis finitis. Ergo ex illis nullo modo ad Deum creatorem et dominum, personalem ascendere possumus.

**89.** 4. TRADITIONALISMUS docet intellectum humanum suis solis viribus non posse certo cognoscere exsistentiam Dei per ratiocinium ex creaturis. Inde ad notitiam Dei habendam debuisse exsistentiam Dei primo homini a Deo ipso revelari; et hanc revelationem debuisse generi humano per traditionem communicari.

Utrum vero in praesenti statu hac traditione supposita insuper etiam per ratiocinium exsistentia Dei ex creaturis cognosci queat non consentiunt traditionalistae.

**90.** *Traditionalismus rigidus* affirmat mentem humanam semper, etiam post revelationem et traditionem, per se ipsam esse metaphysice incapacem adquirendi ullum conceptum seu cognoscendi ullam veritatem ordinis metaphysici, religiosi et moralis, et a fortiori incapacem demonstrandi exsistentiam Dei. Homo per se ipsum sentit tantum, unde si ab alio homine non instruitur, non cogitat et a fortiori numquam loquitur.

Revelatio conservatur in societate ope traditionis et ut vera dignoscitur per consensum generis humani tamquam sigillum Dei.

Sic LUDOVICUS BONALD (1754-1840); et plus minusve etiam sacerdos LA MENNAIS, qui mortuus est extra Ecclesiam.

**91.** *Traditionalismus mitior* affirmat mentem humanam per se ipsam posse cognoscere quasdam veritates ordinis metaphysici sed esse incapacem cognoscendi veritates ordinis religiosi et moralis; inde revelationem et traditionem esse absolute necessarias ad cognitionem illarum veritatum primo cognoscendarum; et in casu nostro ad cognitionem Dei.

Revelatio non conservatur per consensum hominum, sed primo per synagogam, deinde per Ecclesiam. Sic LUDOVICUS BAUTAIN (1795-1867); AUGUSTINUS BONNETY (1798-1879), et alii.

**92.** *Traditionalismus mitissimus:* Affirmat mentem humanam ante revelationem esse per se ipsam incapacem cognoscendi veritates ordinis moralis et religiosi. Supposita vero iam cognitione illarum veritatum per revelationem et traditionem, concedunt intellectui humano vim cognoscendi illas et demonstrandi exsistentiam Dei ex creaturis. Unde revelatio, traditio, instructio sunt conditiones sine quibus non simulque occasiones excitantes mentem ad hoc ut ipsa propriis viribus cognoscat illas veritates et demonstret exsistentiam Dei. «Sicut semina quamvis viva, non germinant nisi a sole excitentur; pariter ideae innatae, quas Dei et rerum immaterialium habemus non germinant nisi excitentur verbo; in casu Adami per revelationem, in ceteris per instructioncm». Sic C. UBAGHS († 1875), et alii professores lovanienses.

**93.** 5. INNATISMUS KLEE ET KUHN (sacerdotes catholici germani).

KLEE († 1840) tenebat ideam Dei esse innatam; inde reiciebat possibilitatem demonstrationis Dei ex creaturis: primum debemus credere in Deum; hoc posito argumenta pro exsistentia Dei faciunt ut idea innata Dei lucescat et transeat de statu immediatae fidei ad statum actualis conceptus mentis.

KUHN († 1887) negat etiam possibilitatem demonstrandi exsistentiam Dei; et ad illam cognoscendam tria elementa requirit:

*elementum subiectivum practicum* seu ideam Dei innatam insculptam in anima nostra; quae adhuc non est vera cognitio Dei, sed principium huius cognitionis.

*elementum obiectivum theoreticum* seu considerationem mundi, quae est conditio vel medium quo idea innata lucescat et evadat cognitio Dei.

*elementum morale seu conscientiam bonam*, quae est elementum necessarium ne obscuretur idea Dei. Sic potest Dei exsistentia cognosci non vero demonstrari.

94. 6. SENTIMENTALISMUS est doctrina illorum qui repetunt cognitionem vel saltem certitudinem Dei ex aliquo principio, non theoretico, sed affectivo.

*a)* SCHOLA REIDIANA seu scotica (escocesa) cuius fundator fuit Thomas Reid (1704-1796) fideismo aliqua ratione accedit. Thomas Reid impetit doctrinam Hume; et doctrinis Locke et Berckeley, quas primum sequutus est, valedixit.

Optima erat intentio defendendi veritatem contra illam philosophiam, quae destruebat scientiam, veritatem, religionem, sensum communem, sed doctrina qua id obtinere volebat, erat falsa.

Ille enim instinctus naturalis sensus communis (especie de fe natural) qui antecedit omnem philosophiam nullatenus poterat esse criterium fixum et securum veritatis.

Et tamen Reid tenet intellectum natura sua ad verum ordinatum, naturali necessitate et quasi instinctive et caece i. e. sine cognitione motivorum, plures veritates amplecti debere. Inter has veritates invenitur exsistentia Dei, quam proinde cognoscimus caeco quodam intellectus instinctu, quin possimus afferre aliquam rationem cur ita sit. Ergo demonstratio exsistentiae Dei non est necessaria.

*b)* SCHOLA SENTIMENTALIUM in Germania ab Enrico Iacobi fundata similem docuit doctrinam. IACOBI (1743-1804) impetit systema kantianum: «sin la cosa en sí no podemos entrar en la doctrina de Kant; con la cosa en sí no podemos permanecer en ella». Sed revera eius doctrina nec est apta ad kantismum refutandum nec multum ab eo differt.

Distinguit sensum, rationem seu facultatem intellectivam procedentem per ratiocinia; et intellectum seu facultatem intellectivam immediate aliquid amplectentem. Iam vero ut sensus immediate percipit res sensibiles sensatione sensibili, sic intellectus immediata quadam spirituali sensatione percipit res supersensibiles, et primo loco exsistentiam Dei, quae unice homini manifestatur per sentimentum intellectus. Hic assensus appellatur fides i. e. fiducia seu assensus sine theoretica probatione. Nulla alia est probatio extra vel supra illud sentimentum. Ergo exsistentia Dei non eget nec potest demonstrari.

95. *c)* PROTESTANTES SENTIMENTALISTAE seu liberales (4), SCHLEIERMACHER RITSCHL, SABATIER, OTTO... repetunt persuasionem de veritatibus transcendentalibus et praesertim de exsistentia Dei non ex motivis ratione perceptis sed ex sensu interno seu experientia religiosa, qua apprehendunt suam internam indigentiam, sentiunt atque experiuntur plenam dependentiam respectu alicuius ordinis superioris, Dei; et sic per cordis instinctum Illum naturaliter appetere et imperative postulare. Unde ex una parte adhaerent agnosticismo

(4) DESCOQS, *Prael. Theol. Nat.* 1, p. 664.—KLIMKE, *Histor. de la filosofia*, p. 518-582.—RAST, *Theol. Nat.*, p. 84.—SCIACCA, M. F., *La filosofia, hoy.*

siquidem negant nos posse Deum et res religiosas apprehendere ex rationibus obiectivis per intellectum; ex alia immanentismo quatenus affirmant ea nos posse apprehendi alia facultate, quam experientiam religiosam appellant.

**96.** 7. IMMANENTISMUS in genere sustinet omnem nostram adhaesionem ad veritatem ultraphaenomenicam emanare et iustificari ab interna hominis natura, nempe ab eius indigentiis, affectibus, propensionibus... Est systema negativum quatenus negat valorem obiectivum nostris cognitionibus; et positivum quatenus explicat positive quomodo nostrae persuasiones efformentur. Iuxta immanentismum purum cognitiones nostrae sunt mere immanentes, non transcendunt ultra proprium subiectum sed referunt tantum status nostros internos. Talis est

**97.** IMMANENTISMUS MODERNISTARUM (5). *Modernismus* est doctrina religiosa, quae ex agnosticismo, immanentismo et evolutionismo conflatur.

*Agnosticismus seu pars negativa* docet mentem humanam non posse attingere nisi phaenomena, nempe solummodo veritates a mente nostra confictas; valor proinde obiectivus nostrarum cognitionum est nullus.

*Immanentismus seu pars positiva* docet cognitiones et persuasiones nostras quoad veteritates supersensibiles, referre tantum status nostros internos; oriri in campo nostrae conscientiae, non ex rationibus obiectivis mente perspectis, sed ex experientia religiosa; ex quadam appetitione et indigentiis subiecti emanare et determinari.

Homo enim habet sentimenta, indigentias divini, primum quidem inconscie, deinde in circumstantiis specialibus etiam conscie ita ut per haec sentimenta iam habeat contactum cum Incognoscibili, quod est Deus. Insuper dantur in nobis sensus divini, non intellectus, qui sensus vocatur fides. Hic sensus est in subconscientia, est inconscius et excitatur per illas indigentias divini ortas ex intima anxietate maxime circa problema vitae hominis. Semel vero atque excitatur fit conscius et homo attingit experientia religiosa, fide arrationali Incognoscibile immediate in se ipso, sed adhuc modo indeterminato. Illud vagum sentimentum sequitur intellectus, qui, ut satisfaciat illis desideriis et indigentiis quasi vacuis, excogitat et exprimit Illud incognoscibile sub aliqua persona vel facto sacro (Deus, Christus, dogmata, sacramenta...). Haec omnia quae de Deo dicuntur nullum habent valorem obiectivum extramentalem, sed, si accomodantur vitae nostri temporis exigentiis, habent magnum valorem pragmaticum ad excitandum sentimentum religiosum.

*Evolutionismus* asserit nullam veritatem, nullum principium cuiuscumque generis posse esse stabile et immutabile, sed omnia labente tempore mutantur cum diversitate circumstantiarum temporis, loci, culturae... Inde etiam Illud Incognoscibile est mutabile; et omnia alia quae de illo enuntiantur debemus accipere vel relinquere, mutare vel saltem diversimode interpretari prout sint apta vel inepta ad sentimentum religiosum excitandum.

Unde iuxta modernismum exsistentia Dei demonstrari non potest, sed solum admitti ut postulata a nostris exigentiis. Quid tandem est ille Deus modernisticus? Nihil aliud nisi proiectio illusoria nostrorum statuum internorum.

---

(5) DESCOQS, 1, p. 666-669.—CHOSSAT, FARGES, LEBRETON, *Modernisme:* DAFC.—CARBONE, *De Modernistarum doctrinis* (1909), n. 59-67; 76-82.

Praecipui auctores modernistae sunt: SCHELL, LOYSI, TURMEL. TYRRELL, MURRI, FOGAZZARO. Modernismus damnatus est ab Ecclesia in Decreto S. Officii «Lamentabili» 3 iul. 1907; in Encyclica «Pascendi», 7 sept. 1907; in iuramento P. X. sep. 1910.

**98.** 8. PRAGMATISMUS est doctrina philosophica recens quae docet *a)* cognitionem carere valore speculativo et *b)* habere tantum valorem practicum, ordinari exclusive ad actionem et dicere, non quid sit res, sed ad quid res inservit *c)* proinde essentiam veritatis reponendam esse in utilitate doctrinae (6).

**99.** EXPLICATIO. *a)* Cognitiones conceptuales seu theoreticae, quae sunt affectiones mere subiectivae, non docent nos quid sint res, per illas enim non possumus cognoscere quidquam absolute prouti est in se.

*b)* Cognitio habet valorem practicum i. e. manifestat nobis ad quid res inserviat. Unde COGNITIO est functio, instrumentum practicum, quod ex vita procedit, ad vitam ordinatur, i. e. ad hoc ut vivens possit agere, se evolvere, mundum realem pro sua utilitate immutare.

Sicut enim aliae affectiones et actiones subiecti ut ambulare, equitare, comedere, subiecto prodesse debent, ita etiam postulat pragmatismus ut cognitiones utilitati inserviant, sint apta instrumenta ad mundum realem finibus nostrae vitae subiciendum.

*c)* Unde veritas non est conformitas cognitionis cum re, sed verum est illud quod est utile, non solum utile materiale, sed etiam intellectuale. Hinc theismus est verus (non propter argumenta metaphysica ex quibus certo constat respondere a parte rei aliquid quale nos cogitamus) quia est utile ad laetam activitatem promovendam; atheismus est falsus quia ad languorem et desperationem inducendam conferat. Est utilis ad hanc vitam temporalem non-exsistentia peccati originalis. Ergo non-exsistentia peccati originalis est vera. Non est utilis ad vitam temporalem exsistentia peccati originalis. Ergo peccatum originale nullam veritatem habent. Sic potest uni theismus melior esse quatenus ei solatium et spem praebet; alteri autem vitiis obstricto atheismus utilior videri potest, quia libertati favet. Vel etiam pro uno eodemque individuo secundum diversa tempora, aetatem... nunc utilis inde verus theismus, deinde falsus; nunc atheismus utilis et proinde verus, deinde falsus... etc....

**100.** *Applicationes*, quas ipse James proposuit.

*a)* Doctrinae quae nullum influxum in praxim exercent nullam habent veritatem et sunt relinquendae. Sic multae quaestiones metaphysicae, quaestio de attributis absolutis Dei. *b)* Duae doctrinae quae ad eamdem praxim ducunt, sunt aeque verae. v. c. pleraque dogmata diversarum religionum. *c)* Doctrinae, quae maiorem habent vim ad consolandas mentes, sunt veriores, quam illarum contradictoriae. v. c. doctrina de exsistentia vitae futurae. *d)* Maxime verae sunt doctrinae, quae in vita intellectuali cohaerentiam et harmoniam introducunt.

**101. Quoad Deum.** Non quaerit pragmatismus utrum exsistat necne et qualis sit eius natura. Investigare unice intendit an doctrina affirmans exsistentiam Dei sit capax inserviendi utilitati et progressibus vitae. Persuasio de exsistentia Dei repetenda est via kantiana rationis practicae aut voluntatis, aut ex indigentiis vitae.

Ea, quae diximus, in omni forma pragmatismi invenies.

Pragmatismus anglicus cuius praecipuus auctor est BALFOUR (1848-1930). Pragmatismus gallus: FERDINANDUS BRUNETIÈRE (1906); AUGUSTINUS COURNOT (1877); CAROLUS RENOUVIER

---

(6) DESCOQS, 1, p. 664.—KLIMKE, *Historia de la filosofia*, p. 662.—SCIACCA, M. F., *La filosofía, hoy*.—DÁVILA, *Crítica*, p. 228.—DONAT, *Critica*, n. 295.—JAMES, *Le pragmatisme* (1918, París); idem, *L'experience religieuse* (1906, París).—MICHELET, *Dieu et l'Agnosticisme contemporaine* (1909, París), p. 71-113...

(1903); ENRICUS POINCARÉ (1912). Pragmatismus americanus, qui praecipuus habetur et eius fautores sunt F. C. CHILLER; maxime vero WILLIAM JAMES (1919). Cfr. Pluralistas americanos n. 82.

**102.** 9. METHODUS IMMANENTIAE. Est methodus persuadendi hominibus veritatem Dei et religionis catholicae primario ex rationibus desumptis ex intimis naturae humanae exigentiis: ex harmonia inter doctrinam catholicam et aspirationes vitae ordinatae; ex necessitate ipsius doctrinae ad satisfaciendum intimis nostris necessitatibus et aspirationibus ad bonum et verum infinitum.

Cave ne confundas methodum, quae supponit posse dare veritatem ontologicam, cum ipsa doctrina immanentiae, quae affirmat omnem veritatem esse immanentem; quamvis revera transitus in praxi ab una in aliam facilis est.

**103.** *a)* FAUTORES NOVAE APOLOGETICAE hac methodo utuntur. Multi quidem ex illis non reiciebant apologeticam traditionalem, sed putabant illam esse inefficacem pro exigentiis huius temporis et inde ad novam viam esse recurrendum.

«Oportet, aiunt, coevos nostros tractare sicut aegrotos» inde insistendum est argumentis moralibus quibus melius ostenditur congruentia religionis cum indigentiis totaque indole animi.

Unde negative consistit in neglectu et saepe in negatione metaphysicae; positive in recursu ad illa argumenta moralia. Sic OLLÉ-LAPRUNE, FONSEGRIVE, BRUNETIÈRE, LABERTHONIÈRE...

«Coinciden todos con Aulard, según el cual «había que despedir al Dios viejo de la metafísica agradeciéndole los servicios prestados durante tanto tiempo».

**104.** *b)* MAURITIUS BLONDEL (7) (1861-1949) prae aliis defendit methodum immanentiae et suum systema, saltem prout exponitur in primis suis operibus, ad hoc reducitur:

*Intellectus seu ratio theoretica* non potest cognoscere veritatem in ordine reali et inde nec solvere problemata de veritate nostrarum cognitionum, exsistentiae Dei et religionis catholicae. Hoc tamen potest fieri via practica mediante actione.

*Actio* est omnis activitas hominis vitalis et conscia quaecumque illa sit: cognitiones omnes, non ut sunt conformes vel difformes cum veritate, sed in quantum sunt activitas tendens ad aliquod obiectum. Ita autem tendimus in obiecta finita ut numquam quiescamus, sed adhuc alia et alia desideramus, quia manemus insatiati. Quid autem indicat hoc factum nisi nos desiderare Infinitum illudque sentire et cognoscere quamvis hic et nunc adhuc modo non definitivo?

*Actione vero optione* (ad quam ponendam requiritur debita praeparatio in exercitio vitae immaculatae, religionis...) seu liberrimo actu voluntatis absolutae admittendi exsistentiae Dei realitatem, adquirimus iam modo definitivo certitudinem de eius exsistentia sine ullo novo argumento ex causalitate desumpto.

(7) DESCOQS, *Prael. Theol. Nat.* 2, p. 271-332.—ROIG GIRONELLA, *La filosofía de la acción* (1943, Madrid).—HELLÍN, *Theol. Nat.*, p. 110.—GISQUIÈRE, *Prael. Theod.* 1, p. 91.—MARTÍNEZ DEL CAMPO, *Theol. Nat.*, p. 180.

Tamen in suis postremis operibus (La Pensée, l'Être, l'Action, La philosophie et l'esprit chrétien) profitetur se argumenta rationalia pro exsistentia Dei admittere, sed complenda esse cognitione dynamica elementis affectivis, dispositionibus moralibus... Et sic proxime iam accedit ad sententias traditionales in philosophia scholastica.

Hac de causa laudatur a Pío XII in epistula 4 dec. 1944.

**105.** 10. AGNOSTICISMUS INTUITIONISTA tenet res metaphysicas apprehendi a nobis experientia vitali, quae sit intuitio, non intellectualis, sed emotiva, affectiva.

a) *Intuitionismus theosophicus.* Assumit doctrinam anti-intellectualisticam cum exsistimet nos non ope rationis et scientiae, sed ope cuiusdam intuitionis internae et sublimioris experientiae, sicut fere oculis corporis, veram rerum essentiam cognoscere et profundissima vitae problemata solvere posse. Ad illam intuitionem in omnibus hominibus dispositio, latet, sed in illis solum in actum transit, qui secundum instructiones theosophicas apte praeparati sint. Sic Helena Blavatzky (1851-1907); Henry Steel Olcott († 1907); Annie Besant; Mary Baker G. Eddy...

**106.** *b)* ENRICUS BERGSON (1859-1941). Eius doctrina ad hoc reducitur: Initium philosophandi reponi debet in assignando philosophiae obiectum, quod experientia subiciatur et methodo experimentandi (8).

Realitas autem transcendens, obiectum philosophiae, ens in quantum tale, universale et essentiale non est realitas statica sed fluens, non passiva sed activa, non est aliquid iam constitutum, quod a cognitione praeinveniatur, sed est ipse processus vitalis, essentialiter dynamicus continuo sese evolvens: est to fieri, purum moveri, impulsus (l'élan vital), motus sine re quae moveatur et sine re sustentante motum: non igitur datur ulla res permanens. Hinc principium fundamentale: quaerere oportet to fieri per intuitionem.

*Anti-intellectualismus.* Cognitio intellectualis via conceptuum, iudiciorum, syllogismorum, etc... accedit ad obiectum ab extrinseco, illud quodammodo circuit, sed non intrat in ipsum; incapax enim est attingendi intimam realitatem rerum. Utilis tamen est haec cognitio ad praeparandam intuitionem.

*Intuitionismus.* Quomodo ergo realitas intima rerum attingi potest? Solummodo interna intuitione. Et quid est intuitio?

**107.** INTUITIO est genus quoddam sympathiae intellectualis per quam mens transgreditur ad interiora obiecti ut cum illo coincidat in eo quod in ipso habetur ut unicum et inenarrabile.

Est actus violentus, nisus laboriosus quo relictis omnibus mediis intellectualibus, philosophus non circuit obiectum, sed in ipsum intrat, non adhibet symbola sed in ipsam rerum essentiam arripit et penetrare conatur.

*Movilismus.* Non datur ulla res permanens, sed continuus motus sine re quae moveatur et sine re sustentante motum.

---

(8) DESCOQS, *Prael. Theol. Nat.* 2, p. 375-439.—MARTÍNEZ DEL CAMPO, *Theol. Nat.*, p. 189.—GISQUIÈRE, *Prael. Theod.* 1 p. 62.—HELLÍN, *Theol. Nat.*, p. 120.—MARITAIN, *La philosophie bergsonienne* (1914).—MARTINS, D., *Bergson: La intuición como método en la metafísica* (1943, Madrid).—JOLIVET, *Essai sur le bergsonisme* (1933, París).—GARCÍA MORENTE, *La filosofía de Henry Bergson* (1917, Madrid).—METZ, *Bergson et le bergsonisme* (1933, París).—PENIDO, O. P., *Dieu dans le bergsonisme* (1934, París); etc.

Principium omnium rerum est unicum L'ÉLAN VITAL: impulso vital, energia creatrix vel evolutio creatrix incessanter se explicans et progrediens in novas et perfectiores formas.

Hoc principium ex quo multiplicitas rerum procedit est purus motus; est l'élan vital magis condensatus quam communis, sed habet omnino indolem psychicam i. e. qui vivat modo simili ac nos. Producit etiam mundum, sed modo simili ac nos producimus actus nostros vitales. Est distinctus a mundo et est origo mundi, sed non est aliquid distinctum ab ipsa emanatione mundi; inde Deus pantheisticus. Sed in fine vitae suae videtur Bergson admisisse Deum personalem: Deus differt a mundo; est Amor seu Persona suam liberam creationem amans; petens et obtinens ab hominibus amorem. Hinc multum accedit ad verum Deum personalem theistarum.

**108.** Conclusio. Unde ex una parte per ratiocinium, per argumenta scholastica nequit cognosci Deus; aliunde institutionem experimentalem de Eo non habemus (nam hucusque pauci obtinuerunt, sed continua evolutione tandem aliquando erit aliquid hominibus commune). Qua via poterit a nobis Deus cognosci? Responsio haec est: Ex testimoniis eorum (mystici catholici) qui talem intuitionem habuerunt, quibus cum sint independentia et inter se concordia et procedunt ab hominibus bonis et veracibus assentiendum est et exsistentia Dei cum maxima probabilitate admittenda.

**109.** *c)* Eduardus Le Roy (n. 1870), vir catholicus practicus ut ipse profitetur. Haec breviter dicenda:

1) Intellectus et cogitatio discursiva (pensée-discours) non potest attingere intima realitatem rerum. Cogitatio enim discursiva est quidem necessaria solummodo ut praeparatio vel initium philosophandi.

2) Veram realitatem attingit *INTUITIO* (pensée-action) seu cogitatio quatenus intus sentimur eam seu vitaliter experimur, non quatenus in conceptibus, formulis et terminis extrinsecis exprimitur.

Aliis verbis: Intuitio est cogitatio quatenus a mente sui conscia ponitur et est actio quatenus non intelligitur ut conceptus, verbum mentis, sed ut ipsum fieri continuum huius cogitationis.

3) Essentialis differentia inter hanc novam veram philosophiam et antiquam—scholasticam— sita est in conceptu veritatis. Veritas non est adaequatio rei et intellectus, aliquid absolutum, immutabile, aeternum. Veritas est aliquid relativum (non aeternum nec immutabile) cuius criterium est vita, actio...

4) Tandem veritas exsistentiae Dei argumentis extrinsecis demonstrari non potest; unica via cognoscendi Deum est experientia immanens, quae in ipso exercitio vitae continetur. Deus innotescit nobis solum per suam vitam in nobis, per laborem nostrae deificationis.

**110.** *d)* Exsistentialismus (9)—*vi nominis* venit a verbo *exsistentia*—docet intellectum et actum cognoscitivum conceptualem aptum esse ad cognoscendam essentiam rerum (elementum immobile, staticum, mortuum et mere symbolicum), sed penitus ineptum esse ad attingendam veram, intimam atque fecundissimam realitatem, quae est exsistentia rerum (el fluir de la existencia de las cosas, no algo hecho, sino algo que se va haciendo).

Datur alia facultas et actus (distincti ab intellectu et ab actu conceptuali)

---

(9) Cfr. Append. n. 131.

capax praebendi nobis cognitionem immediatam verae realitatis, quae est aliqua *INTUITIO* et diversis nominibus iuxta diversos auctores designatur.

a) *pro aliis est affectus* (un sentimiento) ortus ex consideratione mortis. Sic Heidegger, qui quoad exsistentiam Dei personalis, manet scepticus.

b) *pro aliis anxietas* (una angustia) coram futura dubia vel incognita. Sic Unamuno, qui quoad existentiam Dei manet tragice in agnosticismo kantiano, et ad summum, ait, firmiter esse Deum et nos esse immortales credere debemus...

c) *pro aliis actio*, emotio, amor... ut exsistat illud quod religio vel exigentia animae suadent exsistere.

Unde iuxta exsistentialistas, qui non sint athaei, per exsistentiam viis praedictis irrationalibus ad TRANSCENDENTIAM (ad illud aliud extramundanum ad quod refertur exsistentia), nullo modo per discursum et demonstrationem argumentis a metaphysica traditionali positis.

*Praecursores* exsistentialismi sunt: Schopenhauer, Iacobi, Husserl, Bergson. *Cultores:* Kierkegaard, Nietzsche, Heidegger, Jaspers...; Lavelle; Marcel; Peters Wust; Sartre...; Unamuno; Nicolaus abbagnano; C. Guzzo; Enzo Paci; Leo Chestov; Nicolaus Berdiayev.

**111.** III. Intuitionismus intellectualis asserit nos posse obtinere cognitionem et certitudinem de exsistentia Dei intuitione intellectuali sine discursu et demonstratione.

**112.** 1. Ontologi docent: *a)* Nos in hac vita Deum percipere et intueri immediata cognitione intellectuali et sic in hac immediata perceptione obtinere cognitionem exsistentiae Dei et etiam eius attributorum. *b)* Haec idea seu intuitio Dei dicitur confusa et imperfecta. Distinguenda est a visione beatorum, quae est clara, distincta et plena. *c)* Concedunt quidem generaliter ontologi nos etiam per ratiocinium Dei exsistentiam cognoscere posse, sed haec ratiocinia solum inserviunt ad melius cognoscendum Deum esse distinctum a mundo. Sic Malebranche, Gioberti, etc... Cf. scholium n. 55.

N. B. Thomassinus (1619-1695), —patronus theoriae facultatis divinatoriae—asserit exsistentiam Dei esse immediate evidentem non per viam visionis ad modum ontologismi, sed per viam tactus vel contactus.

Homo enim habet sensum arcanum in quo et per quem datur contactus inter animam et Deum.

**113.** 2. Intuitionismus phaenomenologicus.

Husserl et alii tenent nos posse in phaenomenis seu in factis intuitione intellectuali apprehendere immediate ante omnem reflexionem et sine ulla inductione aut abstractione a singularibus essentias rerum metaphysicas et necessarias. Sed videtur sua methodo incidere in idealismum.

Max Scheler asserit nos per intuitiones emotionales attingere res sub respectu valoris; supremus autem valor est Deus, quem cognoscimus ut perso-

nalem, sanctum et a se via emotionali, maxime in actu amoris. Cfr. scholium IV, n. 64.

**114.** 3. Intuitionismus intellectualis Dei aposterioristicus. Patroni huius intuitionismi dicunt nos cognoscere Deum in creaturis, non per viam causalitatis, sed immediate. Datur igitur cognitio exsistentiae Dei immediata i. e. subiective seu psychologice immediata, obiective vero mediata; et quamvis talis cognitio sit aliquantulum obscura, tamen fundamentalis differentia inter Deum et creaturas omnino apparet. Item argumenta scholastica a posteriori pro hac sententia non essent nisi forma explicativa illius intuitionis. Huic sententiae adnumerandi sunt: S. Bonaventura, qui adhibet loquutiones ambiguas circa hanc rem; aliqui theologi S. J. repetebant cognitionem Dei immediatam ex tendentiis animae ad veritatem et beatitudinem. Usurpant etiam loquutiones ambiguas Newman; et P. Schiffini iuxta quem homo ex synderesi «bonum est faciendum, malum vitandum» cognoscit sine ratiocinio exsistentiam tum obligationis tum obligantis.

**115.** 4. Alphonsus Gratry (1802-1872) sacerdos oratorianus affirmat in suo argumento metalogico (vi nominis significat translogicam, ultra formas dialecticas; realiter autem est transitus immediatus de cognito ad incognitum non ostensa prius connexione necessaria inter cognitum et incognitum) nos cognoscere exsistentiam Dei per transitum immediatum ex ente contingente et finito ad ens necessarium et infinitum non ostensa prius connexione necessaria inter ens contingens et finitum et ens necessarium et infinitum (10).

Gratry distinguit in homine tres facultates: sensum, intellectum et voluntatem.

Sensus ad tres classes reducuntur:

1) Sensus externi quibus res cognoscimus. 2) Sensus intimus, quo to ego cognoscimus. 3) Sensus divinus, quo Deus in omnem animam agit eamque ad se trahit.

Gratry incipiens a rebus finitis ad Deum ascendere conatur.

Qua via? Reicit omnem deductionem syllogisticam; et methodum inductivo-dialecticam elaboravit, quae a rebus finitis, nullo medio termino adhibito, statim ad ideam infiniti ascendimus. Ut vero haec methodus inductivo-dialectica adhiberi possit, Gratry requirit tamquam primam conditionem moralem illum «sensum divinum in homine i. e. influxum infiniti Boni, quo in omnem animam agit eamque ad se trahit». Inde, ita videtur, admittit intuitionem naturalem Dei subiective, psychologice immediatam, obiective vero mediatam a posteriori, quatenus Deum in creaturis tamquam in medio in quo intuemur.

## CENSURA.

Certa in philosophia. Doctrina catholica; vel proximum fidei; vel Theologice certa in Theologia. DB 1245; 1622; 1650.

## PROBATUR.

**116.** I. De facto ad posse valet illatio. Atqui de facto certo demonstrabitur deinde exsistentia Dei et quidem solis viribus intellectus. Ergo humanus intellectus solis suis viribus potest exsistentiam Dei certo demonstrare.

---

(10) Descoqs, *Prael. Theol. Nat.* 2, p. 261 ss.—Pointud-Guillemot, *Essai sur la philosophie de Gratry*, p. 14-117.—Gratry, *El conocimiento de Dios*, trad. esp. de J. Marías (1941, Madrid).—Marías, J., *La filosofía del P. Gratry. La restauración de la Metafísica en el problema de Dios y de la persona* (1941, Madrid).

**117.** II. Demonstratio exsistentiae Dei est argumentatio in qua ex praemissis certis et evidentibus eruitur ut conclusio certa et evidens exsistentia Dei. Atqui intellectus humanus solis suis viribus per argumentationem ex praemissis certis et evidentibus eruere potest ut conclusionem certam et evidentem exsistentiam Dei. Ergo humanus intellectus solis suis viribus potest exsistentiam Dei certo demonstrare.

*Maior* est definitio demonstrationis exsistentiae Dei.

*Minor.* Humanus intellectus potest certo cognoscere sequentes propositiones evidentes: *a)* Exsistere aliquid realiter v. c. subiectum cogitans, mundum. *b)* Hunc mundum esse causatum seu effectum; habet enim characteres rei effectae; esse contingentem, finitum et mutabilem. *c)* Suppositis his characteribus potest certo cognoscere mundum habere causam, ut patet ex principio causalitatis. *d)* Talem causam esse incausatam, ens necessario exsistens, Deum.

Et quidem solis viribus intellectus, quia termini praemissarum experientia et ratiocinio facile comparantur; praemissae omnes sunt evidentes sicut illatio seu consequentia; intellectus vero est facultas necessaria et vel trahitur ab evidentia sive immediata sive mediata ubicumque fulgeat sine alio adiuvamine sive interno sive externo; vel si evidentia est mediata dari potest etiam certitudo libera legitima. Ergo intellectus humanus solis suis viribus per argumentationem ex praemissis certis et evidentibus eruere potest ut conclusionem certam et evidentem exsistentiam Dei.

**118.** III. (Ex refutatione adversariorum).

1. **Contra Monismum:**

*a)* Materialisticum: Negat causas finales, essentiale discrimen inter viventia et non viventia, inter vitam physicam et psychicam, sensitivam et rationalem; animam spiritualem et immortalem, Deum. Iam vero haec omnia certo probata manent in aliis tractatibus et in Theodicea certo demonstrabimus exsistentiam Dei personalis.

*b)* Pantheisticum: Hic omnes theses fundamentales certo probatas et probandas in Theodicea evertit. Unde oportet hic hanc doctrinam pertractare ut totus tractatus Theodiceae sit eius splendida refutatio. Negat:

*valorem obiectivum* nostrarum cognitionum certo probatum in Critica;

*analogiam entis* et valorem principii causalitatis et pluralitatem substantiarum, quae in Ontologia asserta et demonstrata sunt:

*pluralitatem corporum* contra id quod diximus in Cosmologia;

*distinctionem* inter animam et corpus et immortalitatem animae, siquidem singuli homines absorvendi sunt in Absoluto; In Psychologia certo contrarium probatur.

*Deum personalem,* immutabilem, simplicissimum, conscium, liberum, providum... quae omnia probanda sunt in Theodicea;

*discrimem* inter bonum et malum morale: nam omnis, quaecumque sit, actio, refundenda est in Absolutum et quidem facta secundum supremam regulam iuxta quam Illud in mundum explicatur; hoc vero in Ethica reicitur.

*obligationem* et fundamentum religionis, ex eo quod non detur alteritas inter obligatum et obligantem, inter personam subiectam adorationi, amori et ens transcendens, quod debet esse etiam persona.

His positis in pantheismo via aperta est pessimis tendentiis modernis: naturalismo, immanentismo, independentiae absolutae, licentiae vitae etc. Pantheismus damnatus est ab Ecclesia in Con. Vat. D. B. 1803- 1804; 1701, Syllabus D. 1782; Iuramentum Pii X, DB. 2087 etc.

**119.** 2. **Contra Kant.** In systemate kantiano, haec inter alia, falsa sunt:

*rationem* nostram esse incapacem ad attingendam realitatem rerum prouti sunt in se. Iam demonstravimus in Critica contrarium.

*Ideas nostras* non habere valorem obiectivum nisi possint applicari alicui obiecto sensibili.

*principium causalitatis* non posse applicari nisi circa obiecta experientae nostrae. Demonstratum est in Ontologia tale principium esse analyticum, habere valorem vere obiectivum et esse universalissimum.

KANT sine ullo fundamento concedit rationi practicae valorem, quem rationi speculativae denegat. Argumentum vero pro exsistentia Dei ex obligatione ad mentem Kant desumptum, admitti non potest, ut postea videbimus.

**120.** 3. **Contra protestantes conservativos.**

I. Ut Deo aliquid revelanti rationabiliter et prudenter praestemus assensum, certo scire debemus ipsum exsistere, esse scientem et veracem et locutum esse. Atqui hoc debemus scire aliunde, non praecisse quia testis dicit. Ergo exsistentia Dei ex sola revelatione a nobis certo cognosci non potest.

*Maior.* Secus enim assensus subsequens, qui ex natura sua illam cognitionem praeviam praesupponit, non potest esse firmus.

*Minor. Testis* enim mendax se esse veracem asserere potest. Inde si Deus alicui ignoranti eius exsistentiam sive per speciem externam, sive per loquelam internam sese manifestaret et diceret se esse Deum, prudenter ab eo quaereret:

Quomodo credam tibi dicenti te esse Deum propter tuum testimonium cuius valorem ignoro? Undenam mihi constat loquentem non esse deceptorem et mendacem, qui me illudere velit? Nonnisi accurrendo ad aliquod medium v. c. ad miraculum, illuminationem, locutionem docentem etc... Hinc non ex eo solum quod testis dicat, sed aliunde i. e. ex effectibus agnosco Deum exsistere, esse sapientem, veracem... Unde.

**121.** *Revelatio proprie et stricte dicta* sive immediata sive mediata, quae est locutio Dei attestans (causans fidem) et fides stricte dicta seu formalis ei correspondens, quae est assensus praestitus solum propter auctoritatem Dei revelantis numquam potest esse primus fons pro cognitione exsistentiae Dei.

*Fides* enim supernaturalis non est caeca, irrationalis, sed rationalis et supponit iudicium credibilitatis, quo quis iudicat rationale et debitum esse ut voluntarius assensus rei revelatae propter auctoritatem revelantis adhibeatur. Quaecumque vero ad hoc iudicium requirantur, debent aliunde constare quam ex auctoritate eius cui creditur. Iam vero inter omnia praerrequisita ad evidentem credibilitatem, primum et maxime fundamentale est certa cognitio de exsistentia eius in quem oportet credere.

Unde actus fidei praesupponit, ut sit rationalis, certam cognitionem (experimentalem aut scientificam) de scientia et veracitate testis. Sed haec cognitio praerrequisita est mera conditio et fundamentum, non motivum assensus fidei.

*Revelatio* sive immediata sive mediata, quae est locutio Dei *docens* (causans scientiam) et *fides scientifica* ei correspondens, quae est assensus praestitus propter intrinsecum iudicium veritatis, quia video rem cum certitudine, potest esse primus fons cognitionis pro cognitione exsistentiae Dei.

Sic Deus potest alicui immediate revelare hanc veritatem—ego exsisto—ita ut infundat certitudinem plenissimam mediante illuminatione directa in intellectu, mediante locutione, mediante aliquo miraculo. Sed, ut vides, hoc medium non est naturale sed supernaturale, non est universale sed particulare.

Si Deus loquatur generi humano locutione mediata, deesse non possunt signa certissima et omnium intelligentiae accommodata, quibus factum divinae locutionis certo manifestetur.

Criteria subiectiva producta in anima accipientis revelationes (ut pax, tranquillitas...) possibilia sunt, convenienter assumuntur ut signum revelationis immediatae, sed non sunt per se apta pro revelatione publica mediata.

Criteria obiectiva interna (ut sanctitas doctrinae, eius effectus...) maxime utilia sunt, sed plerumque non praebent certitudinem, nec sunt omnibus proportionata.

Criteria obiectiva externa, maxime autem miracula et prophetiae, sunt maxime omnibus accommodata et certo dignoscibilia historice, phylosophice et theologice a comentitiis fabulis, ab eventibus naturalibus miris, a portentis diaboli.

**122.** II. Secundum modernos protestantes vel nulla datur analogia inter Deum et creaturas; vel si datur non est cognoscibilis antecedenter ad fidem, sed sola fide cognoscitur. Atqui in suppositione hac fides in revelationem est impossibilis. Ergo fides in revelationem non est via apta ad Deum cognoscendum.

*Maior.* Est doctrina eorum.

*Minor.* Fides supponit exsistere hominem; exsistere Deum et loquutum esse. Deus ita debet loqui ut sit revelatio pro me, unde id quod loquitur aliquam habere debet habitudinem ad id quod homo in mente habet. Atqui haec omnia supponunt analogiam entis, immo et cognitam esse antecedenter ad fidem. Ergo fides in revelationem est imposibilis in sententia adversariorum.

**123.** 4. **Contra Traditionalistas.**

*Instructio et verba* non dant primas ideas seu conceptus. Ut enim verba magistri aliquem conceptum in disciplo gignant iam eorum significationem novisse debet. Idea igitur praecedit verba. Consideremus modum quo pueri loqui discunt; monstratur eis res quaedam v. c. sacharum... vident, degustant et sic in eis generatur conceptus. Deinde verbum—sacharum—profertur, ut intelligant sic illam rem appellari. Tamen sermo est optimum medium ut homo instruatur circa illos primos conceptus coniungendos ita ut negatione, combinatione, abstractione... novas etiam cognitiones sibi comparare possit. Unde conceptum Dei ab aliis accipere possumus et ita de facto homines generatim per instructionem a parentibus vel magistris cognitionem Dei obtinent; tamen non est absolute necessarium ut accipiamus ab illis. Item societas unius hominis cum aliis est necessaria ut ratio evolvatur et ad plenum usum rationis perveniat, quo posito propria inquisitione possit pervenire ad Deum cognoscendum. Sed haec omnia non sunt absolute necessaria ut per nosmetipsos possimus transire ab effectibus ad causam primam seu Deum, ut fecimus in thesi.

*Non omnem certitudinem* oriri per fidem evidentissime testatur conscientia v. c. certus sum de exsistentia mea non tantum quia alii mihi hoc dixerunt.

*Immo prima certitudo* non oritur per fidem in testimonium Dei vel generis humani. Etenim antequam credam debeo scire aliunde eum, cui credo, exsistere et locutum esse et esse veracem; prima certitudo oritur per evidentiam. Ergo exsistentia Dei non potest probari via traditionalistica.

**124.** 5. **Contra irrationalismum sentimentalem, affectivum.** (11).

I. Illae experientiae:

—aut considerantur prouti sunt in se et sicut a suis patronis describuntur et tunc sunt aliquid mere subiectivum, non referunt nisi aliquid mere subiectivum et inde cognitio de exsistentia Dei et certitudo erit mere subiectiva.

—aut immediate attingitur Deus in illis et tunc habetur ontologismus.

—aut considerantur prout examini via rationali subiecta et ope principii rationis sufficientis ad Deum ut causam reducta, et hoc non admittunt adversarii.

Ergo viae illae arrationales exclusive sumptae ad Dei exsistentiam cognoscendam reiciendae sunt, tamen possunt multum iuvare sentimenta et affectus ad melius percipiendam vim argumentorum via rationali ductorum.

**125.** II. Nostra persuasio de exsistentia Dei, utpote radix et fundamentum totius vitae religiosae et moralis, inniti debet in argumento generali, quod metaphysice et in omni casu valeat i. e. universaliter pro omnibus et invariabiliter in singulis individuis. Atqui affectus, sentimenta, experientiae internae... sunt aliquid omnino subiectivum et relativum, quod est variabile in

---

(11) HELLÍN, *Phil. Schol. Sum.* 3, p. 35.—RAST, *Theol. Nat.*, p. 14.—ARNOU, *Theol. Nat.* (1947), p. 7-11.

diversis hominibus et etiam in eodem homine in diversis temporibus et circumstantiis. Ergo argumentum ex via affectiva ductum non sufficit ad habendam certitudinem de exsistentia Dei.

*Maior.* Patet; secus significat persuasionem nostram non esse necessario connexam cum veritate.

*Minor:* Hoc abundantissime constat ex experientia; praeterea non omnes homines habent haec sentimenta religiosa et plures exsistimant ea a praeiudiciis, ab educatione, a suis dispositionibus subiectivis emanare. Ergo non valent ut argumentum universale et invariabile pro omnibus.

**126.** III. Defensores huius doctrinae recurrunt ad historiam religionum, qua teste infimus gradus religionis consistit in sensu religioso; et insuper recurrunt ad experientias mysticorum.

Atqui testibus inquisitionibus ethnologicis iam apud primitivos adest momentum intellectuale in eorum religione, licet adhuc imperfecte. Per viam enim causalem pervenerunt ad notionem satis perfectam Dei, quin antea pertransierint diversa stadia irrationalia.

*Experientia* genuina *mystica* dat per se ipsam certitudinem de exsistentia Dei, sed habetur via intellectuali, et quidem in paucis et hoc postquam iam cognoverunt Deum per rationem et fidem.

Ergo perperam recurrunt ad haec facta.

**127.** 6. **Contra pragmatistas.**

*Realitas*, ut iam probatum est, est aliquid independens a nostra activitate cognoscitiva, quod nobis imponitur, quod praeexsistit.

Ergo realitas non elaboratur a cognitione.

*Cognitione intellectuali* possumus cognoscere res prouti sunt in se, ut in Critica probatum est. Ergo falsum est quod cognitione careat valore obiectivo,

*Veritas* non est idem ac utilitas ad agendum et vivendum; habent enim diversas definitiones et ordines.

Veritas, utpote conformitas cum sua re, tantum est una et immutabilis. Ergo falsum est quod veritas est relativa, mutabilis et multiplex.

*Ultimum criterium* veritatis est evidentia. Ergo falsum est quod sit utilitas aut indigentiae huius vitae.

*In argumento* pro exsistentia Dei:—Verum est idem ac utile. Atqui utilis est ad vitam practicam exsistentia Dei. Ergo exsistentia Dei est vera, admittenda est,—nego maiorem et quoad minorem forsam plurimi dicant fictionem de exsistentia Dei non esse utilem, sed nocivam. Ergo exsistentia Dei non est vera, non exsistit Deus.

**128.** 7. **Contra Bergson.**

*Errat* circa obiectum metaphysicae, quod non est to fieri, purum motum, purum moveri; sed est ens in quantum ens ut demonstrat metaphysica traditionalis.

*Errat* circa facultatem et actum: falsa est illa facultas intuitionis diversa ab intellectu quoad munus eius. Facultas enim ad veram realitatem attingendam est intellectus et actus est conceptus et ratiocinium.

*Quoad argumentum eius pro exsistentia Dei:* Verum est quod *experientia mystica* det per se ipsam certitudinem de cxsistentiae Dei, sed est ordinis supernaturalis, datur in paucis, qui iam cognoverunt Deum ratione et fide.

*Intuitio Dei naturalis* est impossibilis, maxime si intellectus est incapax attingendi ullam realitatem.

*Testimonia mysticorum* suadent et confirmant exsistentiam Dei aliunde iam cognitam. Sed in re gravissima maxima pars hominum testimonio paucorum credere cogetur?

**129.** 8. **Contra intuitionismum intellectualem a posteriori.**

De exsistentia reali alicuius rei non possumus fieri certiores nisi aut intuitione et experientia aut per connexionem cognitam inter cognitum et incognitum. Atqui in intuitionismo aposte-

rioristico affirmatur Dei exsistentia sine visione immediata ipsius Dei et non ostensa prius connexione inter cognitum, creaturas, et Deum. Ergo intuitionismus aposterioristicus non valet ad cognoscendam exsistentiam Dei,

*Maior.* Secus affirmatio erit caeca, contra naturam intellectus et inepta ad certitudinem obtinendam.

*Minor.* In hac sententia cognitio Dei dependet a cognitione rei creatae quin tamen per ratiocinium ex creaturis Deus inferatur.

## 130. OBIECTIONES.

1. Demonstratio a posteriori (sicut omnis demonstratio) fit ex medio notiori et priori quam conclusio. Atqui creaturae nec priores Deo sunt nec notiores. Ergo Deus deduci nequit ex illis demonstratione a posteriori.

Respond. Disting. Mai. Ex mediis saltem logice quoad nos talibus Conc. etiam ontologice Subd. in demonstratione a priori Conc.: in demonstratione a posteriori Nego.

Contrad. Min. Non in ordine logico Neg.
In ontologico Conc.

Atqui in ordine logico quoad nos creaturae non sunt priores Deo. Ergo stat diff.

2. Deus est prima veritas. Atqui si creaturae essent priores Deo in ordine logico converteretur in secundam veritatem, quod admitti non potest. Ergo creaturae in ordine logico non sunt priores Deo.

Resp. Dist. Mai. Ontologica Conc.; etiam logica pro nobis Nego.
Contrad. Min. in ordine ontologico Neg.
ordinis logici Conc.

Atqui Deus etiam est prima veritas in ordine logico pro nobis. Ergo stat difficultas.

3. Deus est ens absolute independens. Atqui si deduci possit logice ex creaturis dependeret ab illis. Ergo Deus etiam est prima veritas logica.

Resp. Dist. Mai. In ordine ontologico Conc.; in logico Nego.
Contrd. Min. In ordine ontologico Nego.
In ordine logico Conc.

Atqui nec in ordine logico seu cognitionis potest pendere a creaturis. Ergo...

4. Si in ordine logico Deus penderet a creaturis, creaturae sumendae essent ut effectus suae causae, nempe Dei. Atqui hoc iam supponit exsistentiam Dei. Ergo nec in ordine logico potest Deus pendere a creaturis.

Respond. Dist. Mai... virtualiter ut effectus Dei Conc.; etiam formaliter Nego.
Contrd. Min.

Atqui ex creaturis sumptis virtualiter ut effectus Dei, Deus demonstrari non potest. Ergo...

5. De natura demonstrationis est ut praemissae contineant conclusionem. Atqui creaturae non continent Deum. Ergo ex creaturis sumptis virtualiter ut effectus Dei Deus demonstrari non potest.

Respond. Dist. Mai. Saltem logice Con.; etiam ontologice subd. in demonstratione a priori Conc.; in demonstratione a posteriori Nego.
Contrd. Min. Ontologice Conc.; nec logice illative, Nego.

Atqui nec logice pro nobis creaturae continent Deum. Ergo...

6. Conclusio non latius patere potest quam praemissae. Atqui si ex creaturis deduceretur Deus conclusio latius pateret quam praemissae. Ergo ex creaturis non potest deduci Deus.

Respond. Conc. Maiorem.
Disting. Min. Si praemissae nec virtualiter continent Deum, Conc.
Si continent, Nego.
Distinguo pariter consequens.

Atqui creaturae nullo modo continent Deum. Ergo...

7. Deus est ens simpliciter infinitum. Atqui creaturae finitae nullo modo continent ens simpliciter infinitum. Ergo creaturae nullo modo continent Deum.

Respond. Conc. Maiorem.

Disting. Min. Non deducitur ex creaturis eius exsistentia, Neg.
Non deducitur Deus sub nota infinitatis. Subd. immediate Trans.; ne mediate quidem Nego.
Disting. pariter consequens.
Atqui nec exsistentia Dei deducitur ex creaturis. Ergo.

8. Una res non potest deduci certo ex alia si inter illas non datur necessaria connexio. Atqui inter Deum et creaturas non datur necessaria connexio. Ergo Deus non potest deduci certo ex illis.

Respond. Conc. Maiorem.
Disting. Min. non datur absoluta Conc.; nec hypot. Nego.
Atqui nulla datur connexio necessaria inter Deum et creaturas. Ergo...

9. Deus est causa libera creaturarum. Atqui inter causam liberam et effectum nulla datur necessaria connexio. Ergo inter Deum et creaturas nulla datur necessaria connexio.

Respond. Conc. Mai.
Disting. Min. Absoluta Conc.; nec hypothetica Nego.
Disting. pariter consequens.
Atqui etiam si detur connexio necessaria hypothetica, ex creaturis Deus cognosci nequit. Ergo...

10. Essentia in Deo perfecte identificatur cum exsistentia. Atqui essentiam Dei non possumus cognoscere ex creaturis. Ergo nec eius exsistentiam.

Respond. Conc. Maiorem.
Disting. Minor. Non prouti est in se Conc.; ne analogice, Nego.
Distinguo pariter consequens.
Atqui ne analogice possumus cognoscere Deum ex creaturis. Ergo...

11. Iuxta te ex creaturis perfecte cognosceremus exsistentiam Dei. Atqui tum perfecte cognosceremus etiam essentiam, quod est falsum. Ergo nec exsistentiam Dei possumus cognoscere ex creaturis.

Respond. Disting. Maior. Perfecte i. e. subiective cum certitudine Conc.
Perfecte etiam obiective, ipsum obiectum Nego.
Contrad. Min. Si perfecte etiam obiective cognosceremus constitutiva esse Dei Conc.; si solum subiective, cum certitudine Nego.
Atqui etiam perfecte obiective cognosceremus Deum. Ergo...

12. Qui perfecte novit veritatem iudicii, perfecte novit praedicatum. Atqui praedicatum in iudicio «Deus exsistit» est esse Dei. Ergo etiam perfecte obiective cognosceremus Deum.

Respond. Disting. Maior. Connexionem praedicati cum subiecto Conc.; ipsam constitutionem praedicati Subd. eo gradu quo de subiecto affirmatur C.; absolute, iterum Subd. si noverat perfecte subiectum Conc. secus Nego.
Contrd. Min. Imperfecte cognitum sub nota exsistentiae ut aliquid exsistens, Conc.; perfecte, Nego.
Atqui ne imperfecte possumus cognoscere esse Dei ex creaturis. Ergo...

13. Omnis cognitio nostra fit per speciem a phantasmate haustam. Atqui a phantasmate species Deum repraesentans deduci nequit. Ergo nec imperfecte possumus cognoscere Deum ex creaturis.

Respond. Dist. Mai. sive propriam sive analogicam Conc.; praecise propriam, Subd. si cognitio est intuitiva, directa Conc.; si abstractiva Nego.
Contrd. Min.
Atqui per species analogicas non cognosceretur Deus. Ergo.

14. Per species analogicas non haberetur de Deo conceptus proprius, sed communis. Atqui talis conceptus Deum a reliquis non distinguit. Ergo per species analogicas non cognosceretur Deus.

Respond. Disting. Mai. Non haberetur c. proprius ex propriis Conc.
Non proprius ex alienis. Nego.
Contrd. Min.
Atqui neque conceptum proprium Dei ex alienis habere possumus. Ergo...

15. Inter obiectum cognitum et cognoscentem debet esse proportio. Atqui inter Deum et

intellectum humanum nulla est proportio. Ergo intellectus humanus neque conceptum proprium ex alienis potest habere de Deo.

Respond. Dist. Mai. Proportio illativa attingibilitatis Conc.; entitativa, Subd. praecise univoca, Nego; aliqua Conc.

Contrd. Min. Nec illativa seu attingibilitatis Nego; entitativa Subd. univoca Conc.; nec analoga Nego.

Atqui nulla est proportio inter intellectum humanum et Deum Ergo...

16. Deus magis distat ab intellectu finito quam ens spirituale a sensu. Atqui ens spirituale nequit cognosci a sensu. Ergo a fortiori nec Deus ab intellectu finito.

Respond. Disting. Mai. Entitative positive Conc.; in ratione cognoscibilitatis attingibilitatis Neg. Sensus est nihil in hoc casu. Unde pro sua functione intentionali infinite ab omni spirituali distat. Intellectus vero non sic respectu ullius entis etiam infiniti.

Conc. Minorem et disting. pariter consequens.

Atqui nulla datur affinitas inter Deum et intellectum humanum nec in ordine intelligibilitatis. Ergo...

17. Ad hoc requiritur ut intelligens et intelligibile sint in eodem genere. Atqui Deus et intellectus humanus non sunt in eodem genere. Ergo non datur affinitas nec in ordine intelligibilitatis.

Respond. Dist. Mai. In eodem genere seu ordine intentionali, immaterialitatis Conc.

In eodem genere entitative reali Nego.

Contrd. Min.

18. Demonstratio facta ab intellectu supponit intellectum esse per se infallibilem. Atqui hoc supponit iam exsistentiam Dei. Ergo intellectus humanus non potest demonstrare exsistentiam Dei.

Respond. Conc. Maiorem.

Disting. Minorem Ita est in ordine ontologico Conc.

Relate ad meam cognitionem Nego. Facultates enim cognoscendi esse veraces est veritas quae nobis innotescit sine recursu ad Deum.

Disting. pariter consequens.

19. Si demonstraretur ex creaturis propositio «Deus exsistit» non erit analytica, sed synthetica. Atqui propositio «Deus exsistit» est propositio analytica. Ergo Deus non potest demonstrari ex creaturis.

Respond. Distin. Mai. Non erit analytica in re Nego. Non statim talis nobis manifestatur Conc.

Contrd. Min. In se Conc.; statim analytica sine ratiocinio nobis ut talis manifestatur Nego.

20. Si intellectus humanus vellet Deum inferre ex creaturis deberet creaturas cognoscere ut aliquid relativum. Atqui cognitio relativi importat cognitionem absoluti, quod ignoratur. Ergo Deus ex creaturis deduci nequit.

Resp. Disting. Mai... quod est relativum C.; quatenus est relativum Nego.

Explicatio. Exsistentia Dei demonstratur conceptibus et principiis, quae revera sunt analoga, sed nullo modo requiritur cognitio reflexa eorum ut analogorum. Hoc habetur post probatam exsistentiam Dei. Alii ita solvunt difficultatem: datur initio analogia hypothetica inter creaturas et Deum (si exsistit Deus).

21. Si exsistentia Dei est obiectum demonstrabilitatis scientificae non potest esse obiectum fidei supernaturalis. Atqui exsistentia Dei est obiectum fidei supernaturalis. Ergo non est obiectum demonstrabilitatis scientificae.

Resp. Disting. Mai ex eodem motivo C.; ex diverso motivo Nego.

Conc. min. et disting. pariter consequens.

Explicatio. In ordine logico certo prior est cognitio aliqua naturalis et vulgaris exsistentiae Dei quam fides in revelationem stricte dictam a Deo factam. Si enim verum non est Deum exsistere, non potest esse verum Deum aliquid revelasse. Nihil vero impedit quominus fides

(rationabiliter iustificata) hominem ferat ut firmius assentiat exsistentiae Dei aliunde iam cognitae.

22. Exsistentia Dei revelantis simul cum revelatione cognosci potest. Ergo revelatio potest esse primus fons cognitionis pro exsistentia Dei.

Resp. Disting. ant. simul tempore cum revelatione Tr.; ex ipsa revelatione subd.; si est locutio Dei solummodo attestans N.; si simul est locutio docens C.

## 131. APPENDIX. De exsistentialismo.

**Bibliographia.**—FOREST, A., *Le problème de Dieu dans la philosophie contemporaine:* RevThom., 15 (1932) 653.—WAELEHMS, *La filosofía de Martín Heidegger*, trad. Ceñal (Madrid, 1942).—ITURRIOZ, *El hombre y su metafísica* (1943).—L. PAREYSON, *Studi sull'esistenzialismo* (Firenze, 1943).—SCIACCA, *Il problèma di Dio* (Brescia, 1944).—SCIACCA, *La filosofía, hoy*.—GONZÁLEZ ÁLVAREZ, *El tema de Dios en la Filosofía existencial* (Madrid, 1945).—CORNELIO FABRO, *Problemi dell'esistenzialismo* (Roma, 1945).—J. WAHL, *Petite histoire de l'existentialisme* (París, 1947).—J. BENDA *Tradition de l'Existentialisme ou les philosophies de la vie* (París, 1947).—GONZÁLEZ CAMINERO, *Panorama existencialista:* Pens (1948); ídem, *Miguel de Unamuno, precursor del existencialismo:* Pens (1949), p. 455 ss.—DERISI, N. O., *Tomismo y existencialismo:* Sa (1947), 3 tr.; 4 (1949), n. 11.—ESTOP, Q., *Las teorías existencialistas* (Barcelona, 1948).—BEAUVOIR, *L'Existentialisme et la sagesse des nations* (París, 1948).—P. FOULQUIÉ, *El existencialismo*, trad. de María Luz Morales (Barcelona, 1948).—HELLÍN, *Theol. Nat.*, p. 127.—E. MOUNIER, *Introducción a los existencialismos:* trad. de D. Monserrat, *Revista de Occidente* (Madrid, 1949).—BATTAGLIA, *Il problema morale nell'esistenzialismo* (Bologna, 1949).—QUILES, *Más allá del existencialismo. La Filosofía insistencial:* CyF, abril-junio (1949).—CEÑAL, *Un nuevo escrito de M. Heidegger:* Pens (1949).—R. JOLIVET, *Las doctrinas existencialistas desde Kierkegaard a Sartre*, trad. esp. de Arsenio Palacios (Madrid, 1950).—ALVES DE CAMPOS, *O problema de Deus na Filosofia existencial:* Estudos (1952) p. 381-390; 447-463.—*Sal Terrae*, febrero de 1951, p. 141 ss; hic invenies copiosam et selectam bibliographiam a P. GONZÁLEZ CAMINERO collectam.—CUESTA, *Ontología*, p. 38.

**132. Exsistentialismus:** *vi nominis* venit a verbo—exsistentia—.

*Realiter* est illa doctrina philosophica, quae agit de processu exsistentiae humanae in quantum significat transitum a modo exsistendi inauthentico ad modum exsistendi authenticum, qui transitus est revelativus seu manifestativus ipsius subiecti quod transit, ipsius entis in quantum ens et, saltem pro multis, etiam ipsius entis Transcendentis.

**133.** EXPLICATIO definitionis.

*Doctrina:* systema aliquod philosophicum; forsam melius dixeris programma aliquod realizandum.

*Processus:* transitus scientifico-philosophicus a re magis nota ad rem minus notam, non via theoretica-intellectuali, sed via practica arrationali.

EXSISTENTIA *iuxta scholasticos* est id quo res formaliter est seu exsistit. Est id quo res ponitur formaliter extra causas, vel extra nihilum, vel extra statum merae possibilitatis. Unde exsistentia, to esse, exsistere: non est vera forma, sed quasi forma (non est actus formalis, sed actus entitativus), nam rei habenti iam esse specificum dat formaliter esse actuale; proinde indicat statum aliquem, aliquid quod permanet: res exsistunt, res sunt hic et nunc.

**134.** *Iuxta exsistentialistas:* intelligitur *exsistentia* hominis concreti exsistentis in qua verificatur transitus praedictus. Et potest considerari obiective et subiective.

*Exsistentia obiective:* est motus, transitus a possibilitate ad realitatem; continuum fieri, maxime hominis concreti exsistentis.

*Exsistentia subiective:* est actus exsistentialis intentionalis, quo homo se ipsum realizat; activa capacitas hominis concreti se ipsum continuo faciendi,

et quidem non necessitate aliqua naturali, sed libera sua determinatione et electione. Ipse homo potest eligere aut esse ipsius inauthenticum aut esse authenticum: unde exsistentia potest esse inauthentica et authentica.

*Exsistentia inauthentica:* est exsistentia hominis concreti volita et electa, sed vilis, frustranea et vulgaris; Dispersio nempe et multiplicitas actuum exsistentiae hominis: ut eius origo, proiectio in medias res, vita, duratio, impressiones, angustiae, desideria, praeocupationes, anxietates, indigentiae, insecuritates, voluptates... mors; circa quae homo vulgaris non reflectit, immo trahi et rapi infructuose ab illis libere permittit.

*Exsistentia authentica* (homo authenticus): est exsistentia hominis concreti volita et electa, et quidem selecta et heroica. Nempe illa multiplicitas actuum exsistentiae hominis attente considerata et in unitatem redacta et religata, subiecta a firma et libera voluntate et subordinata fini hominis digno.

Ut vides in processu exsistentiae humanae: magis notum et immediatum est homo inauthenticus; mediatum est homo authenticus; tandem erit ens Transcendens extramundanum.

*In quantum significat transitum...* ab exsistentia inauthentica, vili et vulgari hominis, qui vivit sicuti res inter res, ad exsistentiam authenticam seu selectam et etiam heroicam.

*Qui transitus est revelativus...* seu manifestativus ipsius subiecti quod transit, eius finitudinis, contingentiae, dependentiae...; et eo ipso est manifestativus entis in quantum est ens, quod est obiectum omnis verae metaphysicae; et, saltem pro multis, etiam ipsius entis Transcendentis.

**135.** **Transcendentia,** *vi nominis,* obvie et immediate derivatur a notione fundamentali *exsistentia* (trans-exsistentiam).

*Realiter* est illud aliud ad quod sese refert exsistentia.

Transcendentia potest esse relativa et absoluta:

*Trans. relativa* est illud aliud intramundanum ad quod sese refert exsistentia seu esse humanum. Seu datur cum illud aliud ad quod active homo tendit est aliqua realitas intramundana. Unde non est nisi status aliquis exsistentiae.

*Trans. absoluta* est illud aliud extramundanum ad quod sese refert exsistentia seu esse humanum. Seu datur cum illud aliud ad quod active homo tendit est aliqua realitas extramundana; quae est ESSE seu realitas simpliciter, realitas quae iam non sese refert ad aliud distinctum ab illa; est ABSOLUTUM, TOTUM.

### 136. Expositio doctrinae existentialismi.

I. Praesuppositum scientificum.

*Non est ulla realitas* nisi concreta et singularis: exsistentia. Realitas autem concreta et singularis maxime obvia nobis est homo, qui proprie est exsistentia concreta, volita et electa; *conceptus,* utpote universales, non conformantur rebus, inde carent valore obiectivo, etiam quoad id quod concipitur; *essentiae abstractae* et universales non dantur; *nihil valent* prima principia nec ratiocinia abstracta,

quia constant conceptibus et iudiciis universalibus; et sic nihil extra-experimentale cognoscere possumus.

Ita realitas attingi potest, non via conceptuali, abstracta, sed via concreta, quasi experimentali, a facultate et intuitione arrationali.

**137. II.** Finis.

Quaerit quaenam sit natura entis in quantum est ens; et asserit haec nova *philosophia exsistentialista* (philosophia exsistentiae) perfectam cognitionem philosophicam versari circa exsistentiam, maxime circa existentiam hominis concreti exsistentis. Omnis vera metaphysica debet agere et investigare ens reale, singulare et concretum, quia hoc est unica vera realitas; maxime naturam hominis concreti exsistentis; si enim naturam hominis concreti investigaverimus, sciemus eo ipso naturam entis in quantum est ens, quod est finis omnis verae philosophiae.

*Quoad problema de Deo* totum se reducit ad aliquem processum ordinis practici; nempe analysis practica arrationalis hominis concreti manifestat eius intima constitutiva: finitudinem, dependentiam, relationes varias... Haec omnia connotant et inde indicant viam practicam arrationalem obtinendi ens Transcendens.

*Metaphysica Generalis traditionalis* (philosophia essentiae) asserit cognitionem rerum perfectissimam, quam homo potest philosophice consequi versari circa essentiam rerum. Haec autem cognitio obtinetur per activitatem abstractivam et discursivam intellectus circa obiecta allata a cognitionibus sensitivis ut cognoscat essentias rerum hac methodo: utitur experientia sensibili ab ea et ex ea abstrahendo; experientia interna in eam reflectendo; simplicibus apprehensionibus illas ope iudicii comparando; iudiciis et ratiociniis ad conclusionem per illa perveniendo. Cum per discursum invenit essentiam rei alicuius, iam habet quod est maximi momenti in ea et magis utile pro vita cognoscitiva et saltem indirecte pro vita practica. Nam essentia re est idem ac natura, natura vero est primum principium omnium actionum et passionum, hoc est, omnium mutationum possibilium in re.

*Quoad problema de Deo* totum se reducit ad processum ordinis theorico-intellectualis; nempe analysis theorica intellectualis entis finiti, mobilis, contingentis... manifestat principia ipsius entis constitutiva (actus et potentia), quae connotant et inde indicant viam theoreticam obtinendi, mediante aliquo principio metaphysico, Ens absolute necessarium, immutabile, infinitum.

Iam vero, aiunt ipsi exsistentialistae, philosophia traditionalis nititur: *essentiis abstractis*, quae sunt res inanes, non dantur tales essentiae; *conceptibus universalibus* et ratiociniis (constant conceptibus universalibus), quae non conformantur rebus; *primis principiis*, quae etiam constant conceptibus universalibus et sic nihil valent.

*Et praesertim* investigat rationem entis ut sic seu entis abstractissimi, qua de causa numquam poterat attingere veram, intimam atque fecundissimam realitatem.

**138.** III. Obiectum cognitionis.

Unde obiectum ad cuius cognitionem debet tendere metaphysica:

*non est essentia rerum* (ens abstractum, ens ut sic), quae est elementum abstractum, universale, immobile, staticum, mortuum et mere symbolicum; uno verbo non dantur tales essentiae. Sed

*est exsistentia* (esse, exsistere concretum, ens exsistens, sein) seu fieri, realizari rerum. Obiectum autem philosophiae exsistentialistae non est proprie quodlibet fieri, sed fieri volitum et electum, inde fieri hominis concreti exsistentis.

Haec realitas nullo modo collocari potest in categoriis logicis intellectus conceptualis. In illa realitate nihil est fixum et permanens respectu cuius solummodo dentur mutationes accidentales; totum est in continuo fluxu et mutatione incessanter.

**139.** IV. Facultas et actus.

*Facultas et actus* quibus cognosci potest tale obiectum non est intellectus et actus cognoscitivus conceptualis; via enim conceptualis et demonstratio rationalis omnino ineptae sunt ad inveniendam illam realitatem.

*Datur alia facultas* distincta ab intellectu et a ratione practica cuius actus est aliqua **intuitio** capax praebendi nobis cognitionem immediatam et metaphysicam hominis eiusdemque finis.

Praedicta intuitio diversis nominibus ab exsistentialistis designatur:

*pro aliis* est *affectus* (angustia, sentimiento; es un acto más comprensivo que la intuicion intelectual y emana del hombre concreto) ortus ex consideratione mortis (Heidegger);

*pro aliis* est *anxietas* (un anhelo) coram futura dubia vel incognita (Unamuno).

*pro aliis* est *actio, emotio,* fides, fiducia, spes, amor, adoratio, invocatio, desiderium... ut exsistat illud quod religio vel exigentiae animae suadent exsistere.

**140.** V. Methodus.

Medium autem unicum investigandi naturam entis in quantum est ens est descriptio phaenomenologica alicuius entis maxime obvii experientiae nostrae, nempe hominis concreti et singularis, quae duplicem vel triplicem gressum, saltem pro multis, complectitur.

*Primus gressus est in-sistentia* (esse, existir sein; autorrelación, situación, encarnación, clausura...).

Reflexio supra hominem concretum, hoc factum primum ei offert: exsistentiam, hominem concretum esse autorrelationem. Homo sese refert ad se ipsum, habet exsistentiam consciam in se, vitam intimam, clausam relate ad omnem externam manifestationem humanam; se cognoscit, ad se alloquitur, secum habitat. Haec autem autorrelatio non est aliqua proprietas vel accidens hominis, sed est ipsa essentia eius et constitutivum.

*Secundus gressus est ex-sistentia* (esse-in, dasein, heterorrelación, participación, ontologicidad, apertura...).

Item reflexio supra hominem concretum, hoc secundum factum ei offert; exsistentiam seu hominem concretum esse heterorrelationem. Homo iuxta omnes exsistentialistas est relatus et apertus ad res intramundanas; homo est-in-mundo; homo consistit in hoc: esse-in-mundo; ubi verbum **in** indicat praesentiam; lccationem, relationem, sed non meram praesentiam nec quamlibet relationem, sed relationem essentialem, quae sit constitutiva seu essentia ipsius esse hominis concreti, qui est proiectus in medias res mundanas ut se perficiat, vel se faciat illis rebus utendo easque modificando. Eius exsistentia proinde est variabilis et multipliciter dependens, finita, contingens, anxia circa sortem vitae suae.

*Tertius gressus est Transcendentia.* Tandem reflexio hominis supra se ipsum, supra suam exsistentiam quoad originem ex nihilo, quoad terminum seu finem, qui est mors, quoad durationem variabilem, plenam relationibus dependentiae, anxietatibus, angustiis, praeocupationibus vitae et mortis, etc... palam manifestat naturam intimam tum actus exsistentialis seu capacitatis liberae decisionis inter varias possibilitates suae exsistentiae, tum etiam esse hominis concreti, eius finitudinem, dependentiam, contingentiam...

Et vere nam in exercitio libertatis exsistentialis cum omnibus suis realizationibus, in fieri suae exsistentiae variabilis cuius sensum et sortem ipse homo debet determinare per suos actus liberos, experitur magnam angustiam seu affectum terroris et anxietatis. Daturne aliqua solutio huic sentimento tragico vitae? Pro aliis nulla nisi se tradere materialismo, epicureismo seu vitae voluptatibus plenae.

Pro aliis hoc factum gignit in homine diversa sentimenta activae aspirationis et desiderii, spei... attingendi aliquid vel aliquem qui sit remedium et fundamentum illius realitatis. Hoc autem fundamentum non potest esse alia exsistentia contingens, sed debet esse ens, quod est praesentissimum omnibus manifestationibus suae exsistentiae, ens respectu cuius sumus dependentes et religati; ens absolute Transcendens, Deus, quem attingimus illis sentimentis arrationalibus, qui sunt iam contactus cum Transcendente.

Hi tres gressus—*ESSE*, *ESSE-IN*, **TRANSCENDENTIA**—sunt communes omnibus exsistentialistis. Unusquisque eorum accipit sensum et iustificatur per gressum subsequentem et ultimus iustificatur per se ipsum vel etiam iuxta aliquos exsistentialistas iustificatur per secundum. Et sic incipiunt ab exsistentia, sequitur relatio ad aliud in quo exsistentia consistit et in puncto extremo relationis, ut fundamentum relationis, invenitur Deus.

**141.** VI. FRUCTUS INVESTIGATIONIS PRO THEODICEA.

Talis fructus non potest esse uniformis. Multi ex exsistentialistis manent in transcendentia intramundana seu relativa; plerique admittunt etiam transcendentiam absolutam, quae iuxta ipsos:

*EST ALIQUID POSITIVUM*, quod contraponitur omnibus entibus particularibus et praesupponitur ab illis tamquam fundamentum necessarium.

Certe possumus uti categoriis nostris ut dicamus quid non sit v. c. non est substantia, non est quantitas... nullo vero praedicato positivo possumus exprimere quod est in se. Tamen Transcendentia est omnipraesens omnibus et omnia intime penetrat. Interdum vocatur *NIHIL* i. e. nihil cogitationis nostrae conceptualis; *NULLUM* ex entibus determinatis et limitatis nostrarum categoriarum. Est absolutum, totum, esse per essentiam, ipsum esse, sanctum, deitas, Deus absconditus, qui a nobis attingi non potest nisi per continuum impetum angustiae cum libera decisione ita tamen ut numquam fixe et definitive illum possidere possimus. Unde absolutum, DEUS demonstrari non potest undequaque et intime nos penetrat et constituit fundamentum exsistentiae. Tamen admittendus est variis rationibus.

**142.** VII. Schema.

Exsistentia-Relatio-Transcendentia, Divinitas.
Exsistentia-Participatio-Deus.
Homo-Religatio-Deus.
Homo-religio-Deus.

Procul dubio invenies in diversis auctoribus alias ideas et analysis valde complicatos et subtiles, loquuntur de insufficientia exsistentiae et indigentia hominis; appellant ad relationes angustiae et mortis, ad experientiam religiosam, ad intuitionem, ad fidem, spem, amorem... PROBLEMA semper est idem: ab exsistentia ad Transcendentiam, ab homine seu a persona individuali ad Absolutum, ad Deum.

**143.** VIII. Origo et cultores exsistentialismi.

Sören Kirkegaard (1813),considerari potest ut creator et pater exsistentialismi. Videns enim philosophiam hegelianam multum excolere abstractum et negligere realitatem concretam, affirmavit non esse ullam realitatem nisi concretam et singularem; et hanc attingi a nobis solummodo quadam facultate arrationali. Realitas autem concreta maxime obvia nobis est homo, unde philosophia debet consistere in studio hominis modo concreto et non per conceptus et ratiocinia abstracta. Utique admittit Deum personalem cognitum a nobis, non via conceptuali, sed fide (fiducia).

**144.** EXSISTENTIALISMUS IN GERMANIA. M. Heidegger; K. Jaspers; Peter Wust (Cath.).

Martinus Heidegger (n. 1889), finito bello primo europaeo, hanc novam philosophiam suscitavit.

Iuxta ipsum metaphysica agit de ente, sed proprie de ente exsistente (sein), praesertim de homine concreto, (dasein), qui est autorrelatio et heterorrelatio; positus in mundo concreto, circundatus rebus circa quas debet operari; proiectus a nihilo in nihilum et in mortem. Haec sors tragica gignit in illo affectum terroris et anxietatis (angustia) qui ei inservit praecise ad cognoscendam naturam intimam entis exsistentis, finitudinem, limitationem, mortalitatem. Mors est ultima et optima inter infinitas possibilitates exsistentiae.

Haec philosophia heideggeriana saltem in prima periodo non transcendit mundum. Nam exsistentia hominis est ad mortem (ser para morir);—esse inter duo nihil—(ser entre dos nadas) —Unde transcendentia extramundana non datur, est nihil: sic claudit omnem possibilitatem perveniendi ad Deum.

Nunc in suis scriptis tempore secundi belli europaei, illud *NIHIL* Deo applicatum, ita explicat ut sit *NIHIL* quoad nostram cognitionem conceptualem; NULLUM ex entibus determi-

natis et finitis, sed in se ipso est aliquid positivum, est ESE (el ser), accessibile ad nostram cognitionem per viam omnino distinctam a via conceptuali.

CAROLUS JASPERS (n. 1883), sustinet exsistentialismum transcendentalem agnosticum.

Homo se videt proiectum a nihilo in nihilum, circumdatum angustiis, contradictionibus, insecuritatibus; indigentem multis rebus et percipit se recipere aliunde totum quod est; et quidem ab aliquo Transcendente omnia contingentia, «quia aliud contingens esset tam receptum sicuti ego». Unde admittendum est aliquod ens Transcendens vel potius in abstracto aliqua Transcendentia. Haec transcendentia: in se est aliquid positivum et praesens in concretione historica uniuscuiusque novae possibilitatis seu status;

—est *ESSE* extraneum cuius familiaritatem appetimus; *ESSE* separatum cuius praesentiam desideramus; *ESSE* quod nihil commune habet cum esse hominis. Uno verbo *ESSE* quod nihil aliud est nisi aliqua positio seu status exsistentiae et proinde IMMANENS semper ipsi exsistentiae. Unde Deus philosophiae jasperianae non est Deus Theodiceae nostrae.

Medium attingendi illud Transcendens non est ullus discursus, qui nobis solummodo manifestat finitum et temporale; sed est quidam contactus, hic autem contactus cum Transcendente (Todo-circunfundante) fit in ipso facto inquirendi illud ita ut ad Transcendentiam per diversos status exsistentiae continuo accedamus, numquam complete et definitive illam attingere possimus: semper extra nos manet.

Quid de illo Transcendente scimus? Tandem aliquando nihil, quia mundus est solum symbolum eius et sicuti cifra ad rem signatam.

**145. Exsistentialismus in Rusia.** DOSTOYEVSKI; W. SOLOVIEV; LEO CHESTOV (1886-1938) et NICOLAUS BERDIAYEV (n. 1844), admittunt etiam Deum personalem, sed per fidem seu per apprehensionem fideisticam.

**146. Exsistentialismus in Gallia.** GABRIEL MARCEL, LUDOVICUS LAVELLE, RENATUS LE SENNE (Catholici); J. PAUL SARTRE, MERLEAU PONTY, ALBERTUS CAMUS, SIMONE BEAUVOIR (acatholici); W. JANKELEWITCH, J. WAHL (medii).

GABRIEL MARCEL (n. 1889), conversus ab idealismo ad exsistentialismum et ab indefferentismo ad fidem catholicam (est praecipuus exsistentialista catholicus) tenet etiam exsistentiam sc. hominem esse autorrelationem et heterorrelationem; esse proiectum in medias res ut se faciat i. e. ut se perficiat. Admittit Deum personalem, sed reicit cognitionem conceptualem ut incapacem ad realitatem attingendam: unica via attingendi Deum est fides.

*Et quid est fides?* Est aliqua *intuitio* reflexiva.

Est imprimis intuitio praesentiae Dei in me, qui in actu orationis (en la plegaria) mihi sese manifestat. Sed haec intuitio est quasi caeca, inconscia, non gaudet fecunditate noetica; dum enim eam possideo ita absortus maneo ut vix illius conscius sim.

Fit autem conscia in angustiis et probationibus vitae; et conscientia illius intuitionis acquiritur per alium actum seu aliam intuitionem reflexivam cuius obiectum est illa prima intuitio inconscia. Hoc pacto homo attingit cum evidentia exsistentiam Dei per fidem sine ulla argumentatione. Argumenta solummodo confirmant quod iam obtinuimus per intuitionem reflexivam.

RENATUS LE SENNE et LUDOVICUS LAVELLE sunt viri catholici et repraesentantes et cultores *Philosophia spiritus*. In his auctoribus TRANSCENDENTIA est vere talis et problema de Deo, saltem in intentione, statuitur ut problema de Deo personali intellectu et voluntate praedito. Attingimus illum per contactum cum Deo Transcendente et quidem non via conceptuali, sed per amorem.

JOANNES PAULUS SARTRE (n. 1905), vir atheus, philosophus absurdi vocari potest. Exsistentialismus pro ipso est quidam humanismus, qui athaeismum usque ad ultimas consequentias deferre intendit. Theoriae sartrianae ad hoc reducuntur: *mundus* est casus absurdus, qui provocat nauseam; *homo* est passio quaedam inutilis; *alii* sunt infernus et maledictio; *societas* est conflictus. *Esse* est ad nihil; *Deus* est quid contradictorium et non exsistit.

**147. Exsistentialismus in Italia.** NICOLAUS ABBAGNANO (n. 1901); ENZO PACI (Athei).— CAROLUS GUZZO, STEFANINI, LA VIA, SCIACCA (catholici), PAREYSON.

**148. Exsist. in Hispania.** MICHAEL DE UNAMUNO (1884-1937). Iuxta Unamuno homo habet appetitum servandi suum proprium esse individuale, inde ineluctabile desiderium non moriendi et verus pavor propriae annihilationis. Potestne quietari talis appetitus? Ubinam? Religio christiana promittit homini vitam aeternam; sed immortalitas, Dei exsistentia, veritas ipsius religionis christianae nullatenus a Metaphysica traditionali demonstrantur. Ipse nullam solutionem affert, manet in agnosticismo, experitur sentimentum tragicum vitae. Credamus, ait, nos esse immortales; datur in nobis anxictas (anhelo) Dei. Ergo Deus exsistit. Quid vero est ille Deus pro Unamuno: *magna conscientia Universi?*

**149. ARGUMENTUM** ad refutandum exsistentialismum.

*Theoria exsistentialismi* non potest dare nobis certitudinem de exsistentia Dei: si nititur falsis fundamentis; si sibi contradicit; et si via unica admissa ad veritatem attingendam est penitus inepta.

Atqui hoc accidit praecise in theoria exsistentialismi. Ergo theoria exsistentialismi non potest dare certitudinem de exsistentia Dei.

*Maior* patet.

*Minor.* Theoria exsistentialismi.

*a)* LABORAT MULTIS ERRORIBUS IN GENERE:

*Reicit realitatem essentiarum,* conceptuum et iudiciorum universalium et primorum principiorum. Unice admittit concretum, singulare. Unde incidit facile in positivismum.

*Reicit idealismum kantianum, sed* aliunde servat eius agnosticismum respectu capacitatis cognoscendi nostri intellectus et sic saepe incidit in vitium quod reicere intendit.

*Saepe praescindit a norma obiectiva moralitatis* et honestatis vel eam reponit sive in utilitate propria individui vel nationis, sive in exigentiis vitalibus sive in dictamine subiectivo.

*Saepe etiam relinquit sine solutione* ipsa gravia problemata, quae proponit circa appetitum felicitatis, circa mortem et desiderium non moriendi.

*b)* LABORAT MULTIS ERRORIBUS IN SPECIE.

*Circa obiectum cognitionis.* Falsum est unicum obiectum cognitionis, unicam realitatem esse exsistentiam et nullam aliam realitatem esse obviam nobis nisi realitatem humanam. Item cognitio exsistentiae est valde externa, superficialis, circumstantialis. Unde si de re singulari non cognoscimus essentiam etiamsi cognoscamus alia temporanea et circumstantialia, de ipso obiecto cognoscimus quod minimum est, ignoramus vero quod maximum est et radix aliorum.

*Circa actum cognoscitivum.* Falsum est realitatem attingi unice intuitione quadam arrationali, quam reponit in actibus emotionis, amoris, fidei, anxietatis. Intuitio enim est actus facultatis visivae proinde oculorum in ordine sensitivo et intellectus in ordine spirituali. Proinde non apparet cuius naturae sit talis intuitio.

*Circa facultatem,* quae ponit hunc actum seu intuitionem: tribuit capacita-

tem cognoscendi facultatibus, quae revera non habent talem capacitatem v. c. facultates appetitivae, passiones... Unde errat cum affirmat posse immo et debere apprehendere exsistentiam propriam ante omnem activitatem intellectualem.

*Circa relationem.* Exsistentia hominis dicit relationem ad aliud, sed haec relatio non est essentialis, constitutiva ipsius esse hominis: potest esse et non esse.

*c)* SIBI CONTRADICIT. Nam:

Iuxta ipsos *non datur ulla realitas nisi exsistentia* et tamen in suo processu exsistentiali nihil aliud quaeritur nisi essentia seu indoles hominis concreti eiusque constitutiva.

*Reiciunt mediationem per viam conceptualem* et omnem processum dialecticum intellectualem, quia conceptus, iudicia, ratiocinia nullam habent realitatem; affirmant illos semper procedere via immediationis exsistentialis aut via mediationis dialecticae exsistentialis, quae sit quasi ipsa exsistentia vel quantum potest, ad eam accedat. Tamen in reflexione seu operatione superexsistentiali hominis concreti totus processus fit conceptibus, iudiciis necesariis et ratiociniis.

*d)* ERRAT IN MODO ET METHODO PERVENIENDI AD COGNITIONEM EXSISTENTIAE DEI.

*Multi exsistentialistae* non admittunt nisi transcendentiam intramundanam; manent in esse finito, temporali et contingenti exsistentiae humanae. Ergo negant omnem possibilitatem perveniendi ad Deum.

*Plerique* admittunt illam Transcendentiam absolutam, sed errant in processu perveniendi ad illam:

Nam si illa via arrationali dicunt se videre immediate intuitive ipsam entitatem divinam, hoc est falsum, quia illae facultates arrationales, quaecumque sint (appetitivae, passiones...) carent capacitate cognoscendi; unde si daretur talis intuitio esset intuitio intellectualis ontologorum iam reiecta.

Si autem dicunt se non videre intuitive ipsam realitatem divinam, sed affirmare Deum fide quadam ob sentimenta illa, quae suscitantur, in contemplatione summae miseriae hominis. Tunc aut affirmant hoc propter connexionem perceptam inter sentimenta et Deum et tunc datur ratiocinium, quod ipsi non admittunt. Aut affirmant Deum quin videant illam connexionem et tunc affirmatio est irrationalis et caeca et eodem modo quo fit etiam negatur.

*Item verum est* quod exsistentia (creaturae) dicit dependentiam et relationem transcendentalem ad Transcendentiam, sed: cognitio huius relationis iam explicite contenta est in cognitione exsistentiae? Nullo modo. Cognosco enim exsistentiam, creaturas; ex illis cognosco Deum et tunc video creaturas pendere a Deo et tunc primo cognosco relationem transcendentalem creaturarum ad Deum.

**150.** UNDE IN PHILOSOPHIA SCHOLASTICA:

*Ordo logicus* est: Creaturae contingentes—cognitio earum—exigunt aliud a quo dependent—exsistentia Dei—cognosco relationem transcendentalem

creaturarum ad Deum—acceptatio ex parte hominis omnium praeceptorum, quae emanant ex tali relatione—religio.

*Ordo ontologicus* est: Deus-creatio-homo-relatio-acceptatio-religio.

*Tandem verum est* Deum esse semper praesentem nobis. Tamen hanc praesentiam non cognosco nisi postquam probavi eius exsistentiam et attributum immensitatis. Ante omnem demonstrationem Deus est praesens nobis physice, non vero intentionaliter seu obiective in ratione obiecti proportionati.

**151. Conclusio.** Exsistentialismus magna ex parte non est nisi aliquis aspectus illius problematis antiqui circa modum se habendi finitum relate ad infinitum quoad dependentiam, cognitionem...

Hoc sensu quaestio est eadem in utraque metaphysica (traditionali et exsistentialista); modus vero eam proponendi et via ad solutionem sunt aliquid diversum, ut ex praecedentibus liquet.

Via ergo intuitionis arrationalis ab exsistentialistis propugnata ad Deum attingendum: *si exclusive sumatur* reicienda est: punctum enim a quo est mundus, homo inauthenticus et authenticus; et terminus est Deus sine ullo vinculo unitivo et cognitivo relate ad nos. Ergo mundus nullatenus potest nos ducere ad Deum. Hoc quidem affirmant multi ex exsistentialistis—esse finitum nobis non manifestat praesentiam entis infiniti—; *si assertive* tantum sumitur ita ut nullo modo excludat, immo vero exigat necessario comprobationem rationalem per intellectum et ratiocinium (mundus-intellectus-principia metaphysica-Deus), tunc nihil novi dicit; fit enim recursus ad aliqua ex argumentis classicis in Philosophia scholastica. Et inde novitas in moderna metaphysica potius esset in neologismis quam in ipsa realitate.

# CAPUT IV

## De genere demonstrationis pro exsistentia Dei: a priori, a simultaneo, a posteriori

**THESIS 4. Demonstratio exsistentiae Dei a priori et a simultaneo esse nequit, sed solum a posteriori.**

152. **Bibliographia.**—S. Anselmo, *Obras completas* (ed. lat. y cast. BAC, 1952).—S. Anselmi, *Opera omnia I-IV* (1946-1949, Edimburgi).—S. Thomas, 1, q. 2, a. 1, c.; 1 CG, c. 10-11; 1, dist. 3, q. 1, a. 2 ad 4; *De Verit.*, q. 10, a. 12 c. et ad 2.—Suárez, DM, 29, 3, 36 ss.; *De Deo* 1, 1, c. 1, n. 7-9.—Hurtaud, *L'argument de S. Anselme et son récente apologiste:* RevThom (1895), 326-362.—Balthazar, *Idéalisme anselmien et réalisme thomiste* (1912).—Chossat, *Dieu:* DTC, col. 901-902.—Bainvel, *Anselme:* DTC, col. 1.350-1.360.—Piccirelli, *De Deo Disp. Met.* p. 66; 511.—Geyser, *La preuve a priori de l'existence de Dieu chez Anselme:* RevPh (1909), 665-672.—Domet de Vorges, *S. Anselme* (1901, París).—Richard, *Anselme:* D. Hist. et Geogr. Eccles., col. 464-485.—Hontheim, *Institu. Theod.*, p. 65 ss.—Romeyer, *Dieu:* DPCR, col. 833-836; *Theodicea* (1931, Vals).—Descoqs, *Prael. Theol Nat.* 1, p. 606-637.—Abranches, *O argumento Ontologico:* RevPortFil, 1 (1945) 339.—Amor Ruibal, *Los problemas fundamentales...*, t. 6, p. 322.—Filliatre, *La Philosophie de S. Anselme* (1920).—Hesse, R., *De Ontologico Anselmi pro exsistentia Dei argumento* (1849).—Marías, J., *San Anselmo y el insensato y otros estudios de filosofía* (1944).—Revue de Philosophie (1909), p. 596-761: totus numerus S. Anselmo est dedicatus.—Arnou, R., *Theologia Nat.* (1949), p. 53-64.—Bertin, *La preuve de l'existence de Dieu selon S. Anselme:* Cong. scient. intern. des cathol. Bruxelles (1894), s. 3, p. 77; 310.—Idem, *Annales de philosophie chrétienne* (1895), mai., p. 55 ss.; juin, p. 277 ss.—P. Thône, *L'argument ontologique, sa nature, sa valeur:* An. de Ph. chrét. (1909), p. 657 ss.—García López, *La primera prueba cartesiana de la existencia de Dios:* Philosophia (1950), 73-104.—Cruz Hernández, *Introducción al estudio del argumento ontológico:* RevFil (1952), 3-36.

153. **NEXUS.** Egimus in thesi praecedente de possibilitate demonstrationis exsistentiae Dei; nunc de genere demonstrationis.

## 154. NOTIONES.

*Demonstratio* est argumentatio in qua ex praemissis certis et evidentibus eruitur conclusio pariter certa et evidens cum illis evidenter connexa.

Potest esse a priori, a simultaneo et a posteriori.

A priori datur cum aliquid vel aliqua res demonstratur ex alia, quae est ontologice prior; seu est illa, quae procedit a causa vel quasi causa in praemissis ad effectum vel quasi effectum realem in conclusione ponendum: sic a principio ad principiatum, a natura ad proprietates, a causa ad effectum. Unde terminus medius est prior ontologice quam praedicatum quod tribuitur subiecto conclusionis.

Medium demonstrationis potest sumi: *a)* vel in ordine physico entis actu exsistentis (in ordine exsistentiae). *b)* vel in ordine metaphysico possibilitatis seu intelligibilitatis intrinsecae (in ordine essentiae). Hinc habetur:

*A priori physico:* si in ordine physico terminus medius est causa actualis vel quasi causa seu principium actuale rei expressae in conclusione et realiter distinctus ab illa v. c. demonstratio ordinis mundani ex sapiente ordinatore: Auctor mundi est summe sapiens. Atqui summe sapiens semper ordinate agit. Ergo auctor mundi ordinate agit. Demonstratio intellectus ex anima rationali: Petrus habet animam rationalem. Atqui anima rationalis praedita est intellectu. Ergo Petrus habet intellectum.

Ontologice prius in ordine physico seu exsistentiae est anima quam intellectus, qui dimanat physice ab anima, realiter distinguitur ab illa.

*A priori metaphysico:* si in ordine metaphysico seu intelligibilitatis terminus medius est ratio metaphysica sufficiens (quasi causa) praedicati conclusionis et quidem adaequate distincta saltem secundum rationem (saepe etiam a parte rei realiter distinguuntur). Omne ens intellectivum est ens volitivum liberum.

Atqui homo est ens intellectivum. Ergo homo est ens volitivum liberum.

In ordine physico seu exsistentiae intellectus non est causa aut principium actuale voluntatis liberae; ontologice enim simul dimanant ab anima et realiter distinguuntur ab illa et inter se. In ordine autem metaphysico seu intelligibilitatis ontologice prius est intellectus, qui adaequate distinguitur a voluntate et est ratio sufficiens conclusionis.

**155.** DEMONSTRATIO A SIMULTANEO (seu quasi a priori) est illa in qua aliquid vel aliqua res demonstratur ex alia, quae nec prior nec posterior est, sed sunt convertibiles seu simultaneae. Seu est illa cuius terminus medius est simul ontologice cum praedicato, quod tribuitur subiecto conclusionis (12).

*A simultaneo physico* (a concomitante vocatur ab aliis): si terminus medius in ordine physico est simul ontologice cum praedicato expresso in conclusione, realiter ab eo distinguitur et ambo fundantur in tertio. Unde terminus medius non est causa vel principium actuale respectu praedicati conclusionis sed intimam connexionem habent inter se. Sic cum demonstro hominem esse volitivum ex eo quod sit intellectivus vel e contra. Omne ens intellectivum est volitivum. Atqui Petrus est ens intellectivum. Ergo etiam est ens volitivum.

*A simultaneo metaphysico* (stricte dicta a simultaneo): si in ordine metaphysico seu intelligibilitatis terminus medius est simul ontologice cum praedicato conclusionis et quasi ratio metaphysica eius; solum inadaequate seu secundum explicitum distinctus, non vero etiam secundum implicitum quia includitur formaliter implicite unum in alio.

Proprie non est demonstratio seu probatio certa mediata, sed est maior explicatio rei, quae implicite in praemissis continetur. Sic habetur demonstratio a simultaneo metaphysico ubicumque proceditur logice per solam analysim conceptus cuius tantum clarior et distinctior expressio quaeritur v. c. quando

(12) Vocatur etiam *argumentum ontologicum*, quod nomen accepit a Kant, pro quo cognitio ontológica est illa, quae procedit independenter ab experientia; et argumentum procedit ex sola notione Dei.

demonstratur in Deo unum attributum ex alio: Deus est ens absolute immutabile. Atqui ens absolute immutabile est aeternum. Ergo Deus est aeternus. Deus est ens absolute necessarium. Ergo ens simpliciter infinitum.

**156.** Demonstratio a posteriori: datur cum aliquid vel aliqua res demonstratur ex alia, quae est ontologice posterior. Seu est illa quae procedit ab effectu vel quasi effectu ad causam vel quasi causam. Ita a principiato ad principium, a proprietatibus ad naturam, ab effectibus ad causam...

Unde in illa terminus medius est ontologice posterior quam praedicatum, quod tribuitur subiecto conclusionis.

*A posteriori physico:* si in ordine physico terminus medius est aliquid vel aliquis effectus realis, qui procedit a causa vel principio reali expressis in conclusione et realiter distinctus ab illa (a causa). Sic v. c. Exsistunt entia contingentia. Atqui entia contingentia postulant exsistentiam entis absolute necessarii. Ergo exsistit ens absolute necessarium.

*A posteriori metaphysico:* si in ordine metaphysico seu intelligibilitatis terminus medius est tantum aliquid (non proprie effectus realis) consequens ex re demonstranda et quidem adaequate distinctum secundum rationem (saepe etiam a parte rei realiter distinguuntur). Est ens volitivum. Ergo est intellectivum.—Omne risibile est rationale. Atqui Petrus est risibilis. Ergo Petrus est rationalis.

**157.** *Demonstratio propter quid* est illa, quae procedit a causa vel quasi causa proxima et adaequata ad effectum vel quasi effectum i. e. quae procedit a priori proximo v. c. si demonstro immortalitatem animae ex eius spiritualitate; esse volitivum ex esse intellectivo: aeternitatem Dei ex eius immutabilitate.

*Demonstratio quia* est illa, quae procedit vel a priori remoto vel a posteriori v. c. si demonstro esse volitivum animae ex eius spiritualitate; voluntatem in Deo ex asseitate; ex operatione spirituali spiritualitatem animae.

## 158. STATUS QUAESTIONIS.

*In 1.ª parte* asseritur exsistentiam Dei non posse demonstrari a priori physico nec a priori metaphysico.

*In 2.ª parte* negamus valorem probativum argumento a simultaneo, quod sic procedit: a) *in praemissa maiori* ponitur ex conventione conceptus obiectivus Dei (attendimus unice ad id quod repraesentat) sub aliqua nota determinata et exclusiva Dei v. c. Deus est id quo maius cogitari non potest, Deus est ens summe perfectum, infinitum... quae exprimit characterem stricte proprium istius ideae.

b) *In praemissa minori* ex ulteriori analysi conceptus sequitur actualem exsistentiam necessario in illo inveniri; si enim Deus est id quo maius cogitari non potest, perfectio exsistentiae in conceptu Dei deesse non potest. Hinc praemissa minor erit:

Atqui in conceptu entis, quo maius cogitari non potest, exsistentia realis continetur.

c) *In conclusione* denique deducitur Deum exsistere extra mentem seu a parte rei. Ergo Deus exsistit.

In 3.ª parte assignamus unicam viam validam, quae est demonstratio a posteriori.

## 159. SENTENTIAE.

*1.ª Sententia* est eorum, qui negant demonstrabilitatem exsistentiae Dei et enumerati sunt in thesi praecedenti.

**160.** *2.ª Sententia* est eorum, qui negant demonstrationem a priori stricte dictam, sed sustinent demonstrationem quasi a priori seu a simultaneo, et insuper etiam demonstrationem a posteriori saltem scholastici omnes admittunt.

**161.** S. ANSELMUS, O. S. B. († 1109), primo proposuit argumentum sic: Deus est id quo maius cogitari non potest. Atqui tale ens debet exsistere realiter. Ergo Deus exsistit in rerum natura (13).

*De mente S. Anselmi* in hac re multum disputatur ab auctoribus ita ut dicant S. Anselmum:

*tradere* verum argumentum a simultaneo: sic plerique; ut BOYER (14), SCHMITT (15), CAPPUYNS (16), KOLPING (17)... GISQUIÈRE...

—*noluisse* tradere ullam demonstrationem rationalem; sed supposita iam demonstratione solum ostendere exsistentiam esse de ratione essentiae divinae; sic STOLZ (18)...

—*niti* demonstratione a posteriori v. c. argumento ex gradibus vel ex contingentia: sic DYROFF (19), MIRANDA E BARBOSA (20)...

—*supponere* factum psychologicum praesentiae Dei in anima: sic BOUNAIUTI (21), DE WULF (22), CAYRÉ (23)...

—*arguere*, non ex analysi logica actus obiectivi entis quo maius cogitari non potest, sed actus iudicii quo insipiens intelligit auditum effatum: sic SPEDALIERI (24), (ex propositione necessaria ad realitatem illius quod in ea affirmatur).

—*supponere* possibilitatem positivam exsistentiae Dei ratione vel potius fide cognitam: sic VAN DE WOESTYNE (25), KOIRÉ (26)...

—*solum intendere* punctum fidei perscrutrari; unde potius quam demonstratio esset explicatio theologica: sic KARL BARTH (27). Pro HUIDOBRO DE LA IGLESIA est conclusio theologica ita ut praemissa maior sit ex fide; praemissa minor ex ratione... (28).

---

(13) *Proslogium*, c. 2, 1 (BAC), p. 359; *Liber apologeticus* 1 (BAC), p. 416-437.

(14) *De forma anselmiana argumenti ontologici:* Studia Anselmiana, 7-8 (1938), p. 27-33; *Cursus Philos.*, vol. II (1943), p. 298-303.

(15) *Der ontologische Gottesbeweis:* in Theologische Rev. (1933), p. 217-223.

(16) *L'argument de S. Anselme:* RechThAntMéd, 7 (1934), p. 313-330.

(17) *Anselmus Proslogion- Beweis der Existenz Gottes in Zusammenhang seines spekulatives Programms:* Fides quaerens intellectum, Bonn (1939).

(18) Theol. de la Mistique (1939).—Catholica (1933), p. 1-21.

(19) *Probleme der Gotteserkenntnis* (1928), p. 76-116.

(20) *As probas Anselmianas da existensia de Deus:* RevPortFil (1945), p. 158-175.

(21) *Il misticismo medïovale*, *Sinerolo* (1928).

(22) *Histoire de la Philosophie mediévale*, 1 (1934), p. 168-170.

(23) *Patrologie et Histoire de la Theologie*, II (1933), p. 390-408.

(24) *Anselmus an Gaunilo?:* Greg 28 (1947); *De extrinseca argumenti S. Anselmi vi et natura*. Greg. 29 (1948), p. 204-212.

(25) *Cursus philosophicus* (1925), p. 710-714.

(26) *L'idée de Dieu dans la philosophie de S. Anselmo* (1923).

(27) *Fides quaerens intellectum. Anselmus Beweis der Existenz Gottes:* in Zusammenhang seines theologischen Programms (München, 1932).

(28) *Problemas filosóficos fundamentales e historia de los sistemas* (1948).

**162.** CARTESIUS († 1694) intendit corrigere vitium argumenti in forma anselmiana depprehensum (29). Asserit: ad exsistentiam Dei probandam esse magni momenti viam causalitatis. Tamen alia via nempe vi principii ideae clarae et distinctae, quin ex cogitatione exeamus, ipsius Dei exsistentiam attingere possumus. Nam quidquid in idea clara et distincta alicuius rei continetur, de illa re affirmari debet ut absolute verum. Atqui in idea clara et distincta Dei omniperfecti et infiniti, quam nos habemus (habemus imperfecti et finiti ideam, quae supponit ideam omniperfecti et infiniti), manifeste apparet eius exsistentia, secus non esset summe perfectus. Ergo Deus exsistit. Idea enim innata Dei Illum repraesentat modo quodam indistincto; sed lucescit occasione experientiae internae et externae et iam idea clara et distincta percipimus obiectum repraesentatum, Deum, non in se, sed in idea innata.

**163.** LEIBNITZ († 1716) reprehendit argumentum in forma cartesiana quia gratis supponit sine ulla demonstratione possibilitatem positivam entis perfectissimi; hoc autem iure supponitur unice agendo de ente perfectissimo ut est ens necessarium. Qua de causa ipse proponit argumentum sub hac formula.

Deus, omniperfectus, ut est ens necessarium, si possibilis est, exsistit. Atqui Deus seu ens necessarium possibile est: nam est sine limite, inde sine negatione, inde sine contradictione. Ergo Deus exsistit. (30)

**164.** Favent tali argumentatione: ALEXANDER HALENSIS, O. F. M. († 1245); S. BONAVENTURA, O. F. M. † 1274, (31); DUNS SCOTUS, O. F. M. † 1308, (32); AEGIDIUS ROMANUS, O. E. S. A. († 1309); DYONISIUS CARTUSIANUS († 1471); VÁZQUEZ (33); PÉREZ, ESPARZA, SILVESTER MAURUS et aliqui moderni ut LEPIDI (34); BOUYSSONIE (35); DE MUNNYNCK, O. P. (36); AURIAUL, S. J. (37), RAGEY (38)... Extra scholasticos aliqui ut Hegel, Gamelin, Sorley... argumentum variis modis ut apodicticum propugnant.

**165.** *3.ª Sententia* est eorum qui negant demonstrationem exsistentiae Dei a priori et quasi a priori seu argumento ontologico et admittunt solummodo demonstrationem a posteriori. Sic GAUNILO, O. S. B. (39); S. THOMAS et fere omnes scholastici ita ut iuxta alios numquam licet transitus ex idea obiectiva rei, etiam iam positivae possibilis, ad eius exsistentiam; hoc autem reiciendum videtur. Iuxta alios, si de possibilitate intrinseca positiva Entis necessarii nobis constaret a priori, transitus ad ordinem exsistentiae a parte rei liceret

---

(29) 3 *Med.*, t. VII, p. 46; 5 *medit.*, VII, p. 67; *Primae responsiones*, t. VII, p. 115-116; *secundae obiectiones*, t. VII, p. 163-164; *Principia Philos.*, 1, 18, t. VIII, p. 11-12.

(30) *Monadologie*, n. 45.

(31) *De mysterio Trin.* 1, 1; *Itiner. mentis*, c. 5, n. 3-6; 1 dist. VIII, p. 1, q. 2; 1 dist. 3, p. 1, q. 2.

(32) 1 dist. 2, n. 14, 31-32.

(33) In I P. d. 20, c. 4.

(34) *Preuve ontologique de l'existence de Dieu;* RevPh (1909), p. 657.

(35) *Essai de démonstration purement a priori de l'existence de Dieu;* RevPh (1912), p. 113-131; *L'argument ontologique.* Rev. Apologétique (1931), p. 22-35; 161-169.

(36) *Praelectiones de Dei exsistentia* (1904), p. 18 ss.

(37) *Anselme;* DTC, col. 1.356.

(38) *L'argument de S. Anselme* (1893).

(39) *Liber pro insipiente*, 1 (BAC), p. 406-415.

in hoc casu; tamen possibilitas intrinseca et positiva Dei a priori nullo modo nobis constat. Haec est nostra sententia.

**CENSURA.** Certa.

**166. PROBATUR.**

**1.ª Pars.** In demonstratione a priori terminus medius respectu rei demonstrandae solummodo potest esse:

aut causa efficiens extrinseca; aut causa efficiens intrinseca; aut quasi causa seu principium naturale; aut quasi causa seu ratio ontologica.

Atqui res demonstranda—exsistentia realis Dei—excludit omnia illa media enumerata. Ergo demonstratio exsistentiae Dei a priori esse non potest.

*Maior:* Enumeratio mediorum est exhaustiva.

*Minor:* Excludit:

*causam efficientem extrinsecam:* quia Deus est ens a se;

*causam efficientem intrinsecam:* pugnat enim ut aliquid non exsistens sit causa efficiens sui ipsius;

*principium naturale* ex quo emanaret exsistentia realis Dei: nam prius debet res exsistere quam ex ea aliquid realiter dimanare possit;

*rationem ontologicam:* talis enim ratio esset essentia Dei, sed in Deo essentia et exsistentia penitus identificantur.

**167. 2.ª Pars.** Ille, qualiscumque conceptus obiectivus Dei (anselmianus, cartesianus, leibnitzianus...) in demonstratione a simultaneo: aut supponitur realis; aut ab hoc praescinditur. Atqui neutro modo exsistentia Dei demonstrari potest.

Ergo demonstratio exsistentiae Dei a simultaneo esse non potest.

*Maior:* Non datur tertium in sententiis adversariorum.

*Minor:* Si enim conceptus Dei in praemissis supponitur realis i. e. si supponitur exsistentiam realem (vel saltem possibilitatem positivam) Dei formaliter implicite in illo contineri, asimultancitas clare apparet i. e. idem Deus realis in praemissis et in conclusione; sed datur petitio principii eo ipso quod supponatur quod probandum est: nempe exsistentia realis Dei.

Si vero praescinditur ab hoc utrum ille conceptus sit realis necne et attendimus unice ad id quod repraesentat, tum daretur transitus illegitimus ab ordine ideali mere logico ad ordinem realem: ex eo enim quod Deus sit id quo maius cogitari non potest (ex conventione inter disputantes) debeo cogitare Illum ut exsistentem in rerum natura, quia exsistentia realis est aliqua perfectio. Inde tamen non sequitur exsistere a parte rei. Quare? Quia totum illud quod repraesentat ille conceptus est mere cogitatum, inde exsistentia est mere cogitata; nescimus a priori utrum sit necne aliquid a parte rei aut aliquid possibile, aut aliquid impossibile. Hoc volumus investigare et unice a posteriori constare nobis potest respondere aliquid in rerum natura aut aliquid possitive possibile.

*Brevius totum argumentum:* Res demonstranda—exsistentia realis—non continetur in termino medio formaliter implicite tamquam in ratione ontologica. Atqui hoc requiritur in demonstratione a simultaneo. Ergo exsistentia Dei a simultaneo esse non potest.

Maior. Subiectum Deus et omnes praemissae sunt quid mere cogitatum, inde etiam omne praedicatum est mere cogitatum antequam probem illud subiectum esse reale.

**168. 3.ª Pars.** I. De facto ad posse valet illatio. Atqui 1) de facto afferentur pro cognitione exsistentiae Dei plures demonstrationes a posteriori; 2) quae est unica via valida. Ergo exsistentia Dei a posteriori et solum a posteriori demonstrari potest.

*Maior:* Patet.

*Minor:* 1) Infra exponentur. 2) Est necessaria pro cognitione exsistentiae Dei demonstratio; haec autem vel a priori vel a simultaneo vel a posteriori esse posset. Atqui demonstrationes a priori et a simultaneo reiectae sunt. Ergo demonstratio exsistentiae Dei solum a posteriori esse potest.

**169.** II. Demonstratio a posteriori est illa, quae procedit ab effectibus vel quasi effectibus ad causam vel quasi causam. Atqui intellectus humanus per effectus certo potest cognoscere exsistentiam Dei. Ergo exsistentia Dei certo demonstrare potest a posteriori.

*Maior:* Est definitio demonstrationis a posteriori.

*Minor:* Intellectus humanus solis suis viribus potest certo cognoscere has praemissas evidentes: *a)* exsistere mundum; *b)* hunc mundum esse effectum et postulare suam causam, ut constat ex principio causalitatis; *c)* hanc causam tandem debere esse incausatam et a se, quam Deum nominamus. Atqui hae praemissae sunt effectus respectu Dei.

Ergo humanus intellectus solis suis viribus potest ex effectibus seu a posteriori demonstrare exsistentiam Dei et quidem solum a posteriori ut ex dictis patet.

**170. SCHOLIUM I. Si de intrinseca et positiva Dei possibilitate certo constat eo ipso Deum exsistere immediate concludere licet.** (40).

NEXUS. Ex solo conceptu obiectivo Dei mere nominali praescindente a possibilitate positiva et ab exsistentia reali, haec deduci non potest. Potestne hoc obtineri ex conceptu iam reali i. e. ex conceptu includente possibilitatem intrinsecam et positivam Dei?

Possibilitas in genere est *aptitudo ad exsistendum.*

Potest considerari obiective seu ex parte obiecti et subiective seu ex parte subiecti.

*Obiective intrinseca* est illa quae sita est in sociabilitate notarum. Haec sociabilitas intelligitur non solum inter notas qualitativas, sed etiam cum exsistentia. Si enim cum exsistentia reali dicerent contradictionem hoc significaret adesse contradictionem intrinsecam in eo quod possent exsistere coniunctae illae notae, et hoc est esse impossibile, non autem possibile.

---

(40) Optime apud Loinaz, *Prael. e Theol. Nat.*, p. 28.

*Obiective extrinseca* datur, si habetur causa, quae rem producere possit; respectu Dei tantum ratio sufficiens non vera causa dari potest. Possibilitas adaequata ex utraque conflatur.

*Subiective negativa:* si non detegimus pugnantiam inter notas, tamen earum possitivam sociabilitatem notarum non perspicimus.

*Subiective positiva:* si detegimus non adesse pugnam inter notas et proinde videmus sociabilitatem notarum.

*Conceptus nominalis* si praescindit a realitate aut a possibilitate positiva.

*Conceptus realis*, si ei respondet aut aliquid a parte rei aut saltem aliquid intrinsece possibile.

**171. STATUS QUAESTIONIS.** Quaestio est haec: Potestne legitime inferri immediate exsistentia realis Dei ex eius possibilitate intrinseca et positiva? Nos affirmative respondemus.

Non asserimus ex positiva possibilitate Dei sequi in ordine ontologico eius exsistentiam realem (quasi esset Deus primum pure possibilis, deinde ex se ipso exsistens), cum nihil transeat ex semetipso ex statu possibili in actualem. Sed affirmamus hoc aliud: Si nobis semel constat de intrinseca et positiva possibilitate Dei (quam unice a posteriori cognoscimus iuxta nostram sententiam) eo ipso nobis immediate constare de eius exsistentia reali.

**172. SENTENTIAE.** *1.ª Sententia. a)* Possibilitas adaequata Dei in sola possibilitate intrinseca consistit seu in veritate essentiae metaphysicae quia ibi datur et sociabilitas notarum et ratio sufficiens pro exsistentia. Quoad possibilitatem extrinsecam respectu Dei nullo modo vera causa sed tantum ratio sufficiens dari potest. Possibilitas intrinseca et positiva a priori concedi non potest; possibilitas vero negativa ex una parte concedi, ex altera dubitari etiam potest propter apparentem pugnam quarumdam notarum v. c. perfectiones mixtae cum simplicibus. *b)* Procul dubio, si Deus exsistit, ratio sufficiens eius exsistentiae realis datur; haec autem ratio de facto a parte rei alia esse non potest nisi ipsa essentia physica Dei. *c)* Sed quaeritur: quaenam ratio sufficiat intellectui nostro iudicanti ad exsistentiam Dei a priori concludendam? Responsio haec est: Si certo nobis constat de possibilitate intrinseca et positiva Dei eo ipso immediate cognoscitur dari rationem sufficientem exsistentiae in rerum natura et ipsam exsistentiam realem seu Deum. Possibilitas enim intrinseca Dei, ratio sufficiens Dei actualis et Deus ipse actualis unum idemque in casu nostro sunt. Sic uno vel alio modo Mendive, Schiffini, Piccirelli, Lahousse, Remer, Vázquez, Suárez, Scotus, Billot, Rast, Mz. del Campo, Loinaz.

**173.** *2.ª Sententia. a)* Ad possibilitatem adaequatam Dei requiritur non repugnantia notarum seu possibilitas intrinseca et simul ratio sufficiens pro exsistentia Dei in rerum natura, quae ratio sufficiens est ipsa essentia physica Dei solum a posteriori demonstranda. *b)* Unde etiam si concederetur a priori possibilitas intrinseca positiva Dei (alii expresse concedunt, alii negant, alii transmittunt...), tamen intellectui nostro iudicanti non liceret ex ea sola concludere immediate exsistentiam Dei a parte rei, eo quod transitus ab ordine logico ad physicum prohibetur. Sic Liberatore, Hontheim, Van der Aa, Palmieri, Schaaf.

**174. ARGUMENTUM.** Cum Deum concipimus ut ens absolute necessarium de cuius essentia est exsistere in re, ex hypothesi iam concessa ab adversariis, tali conceptui respondet vera possibilitas seu sociabilitas notarum, vera essentia, non aliqua chimaera. Atqui nulla vera essentia dari potest sine eo quod est proprium illius et de essentia Dei est exsistere. Ergo si de intrinseca possibilitate Dei certo constat, iure immediate concludo Deum exsistere.

*MAIOR:* patet ex dictis in expositione sententiarum.

*MINOR* declaratur. *Homo est rationalis:*

1) Hominem concipio ut rationalem ita ut rationalitas sit de essentia hominis.

2) Mihi conceditur a priori talem essentiam esse veram essentiam, essentiam possibilem, non chimaeram; unde rationalitas utpote de essentia hominis semper et in omni ordine subiectum comitare debet, secus non esset de essentia hominis. Hinc iudico: «Homo est rationalis».

3) Quid acciderit si nullus homo a parte rei exsisteret? Tale iudicium non desineret esse verum, quia subiectum et praedicatum nihil dicunt de statu physico prae possibili.

4) Si vero instituendo analysim subiecti, in illo nota rationalitatis nullo modo adesset nec

in ordine possibilitatis, tunc haberemus hoc: *a)* De essentia hominis est rationalitas, ex hypothesi verae essentiae iam concessae. *b)* De essentia hominis non est rationalitas ex eo quod instituendo analysim subiecti detegi certissime non adesse. Ergo concludo primam essentiam a me cogitatam non esse veram essentiam hominis, sed aliam essentiam vel aliquam chimaeram; et iudicium «Homo est rationalis» esset falsum.

**175.** *In iudicio analytico: Deus est exsistens a parte rei:*

1) Deum concipio ut ens absolute necessarium de cuius essentia est saltem concipi ut exsistens a parte rei ita tamen ut praescindatur utrum sit possibile, reale, chimaericum...

2) Cum enim mihi concedatur a priori (concipiendo Deum ut necessario exsistentem in re) me concipere veram essentiam, essentiam possibilem, non chimaeram... deducitur de tali essentia possibili esse non solum concipi ut exsistentem (hoc enim iam habeo ex n. 1) sed praeterea exsistere a parte rei: non enim est talis essentia quia sic ego eam concipio, sed contra, sic concipio quia talis est. Unde licet nemo de ipsa re cogitet, de ratione eius est exsistere in re.

3) Et quid accideret si de facto non exsisteret a parte rei? Quoniam praedicatum unice loquitur de exsistentia subiecti a parte rei, si hoc (exsistentia) de facto non daretur haberemus essentiam aliquam de qua:

*a)* esset realitater exsistere a parte rei ex hypothesi verae essentiae iam concessae;

*b)* non esset realiter exsistere a parte rei ex hypothesi non-exsistentiae in re.

Ergo concludo illam essentiam esse contradictionem, aliquid impossibile ex intrinseca repugnantia notarum, aliqua chimaera... contra id quod mihi concessum erat a priori.

**176.** *Dices 1.* Semel concessa intrinseca positiva possibilitate Dei liceret concludere Deum exsistere, si ex eo quod non exsistat et iam non possit incipere exsistere, intrinsece et absolute impossibile redderetur. Atqui hoc est falsum. Ergo semel concessa intrinseca et positiva possibilitate Dei non licet concludere immediate Deum exsistere in rerum natura.

Resp. Nego minorem. Probo minorem.

*Dices 2.* Intrinseca possibilitas entis perfectissimi salvatur, quamvis non exsisteret a parte rei et numquam posset exsistere, si eius notae ideales non pugnant cum exsistentia postulata ab eo secundum suam naturam. Atqui notae ideales non pugnarent cum exsistentia postulata ab ente perfectissimo secundum suam naturam. Ergo intrinseca possibilitas entis perfectissimi salvatur, quamvis non exsisteret a parte rei et iam numquam posset exsistere.

Resp. Conc. maiorem et nego minorem. Probo minorem.

*Dices 3.* Exsistentia postulata ab ente perfectissimo secundum suam naturam (possibilitatem intrinsecam) est exsistentia idealis in ordine metaphysico. Atqui notae ideales non pugnant cum exsistentia ideali in ordine metaphysico. Ergo notae ideales non pugnarent cum exsistentia postulata ab ente perfectissimo secundum suam naturam.

Resp. Nego maiorem.

Explicatio. a) *Iuxta adversarios* cum arguitur ex possibilitate positiva ad exsistentiam, sociabilitas notarum, quae assumitur est ut patet inter notas ideales (qualitativas) non vero physice reales, usque dum demonstretur exsistentia Dei. Inde ens perfectissimum, secundum suam naturam postulat exsistentiam idealem in ordine metaphysico, quae exsistentia non pugnat cum suis notis. Si vero deinde de facto non exsisteret a parte rei, certe iam est impossibile ut incipiat exsistere, sed solum esset ex defectu rationis sufficientis, non ex eo quod sit intrinsece impossibile eo quod exsistentia postulata ab ente perfectissimo secundum suam naturam inciperet pugnare cum suis notis: nescimus enim a priori illas notas ex sua essentia postulare exsistentiam a parte rei.

*b)* Iuxta nostram sententiam adest nexus obiectivus inter possibilitatem et exsistentiam Dei, quia unum idemque sunt, cum Deus exsistat vi essentiae suae. Ergo in se Deus est possibilis et exsistit: est veritas per se nota quoad se. Vel possibilis est et exsistens; vel non exsistens et impossibilis.

Hinc iuxta nostras probationes essentia positive possibilis, pure metaphysica Dei postulat non solum exsistentiam idealem in ordine metaphysico, sed etiam in ordine physico; unde si non exsisteret in ordine physico id accideret ex intrinseca repugnantia notarum.

*Dices 4.* Potuit Deus in signo priori ad eventum non-exsistentiae ab aeterno esse intrinsece possibilis; si vero de facto ab aeterno (in primo momento aeternitatis ut ita dicam) non exsistit, certe repugnat iam ut aliquando exsistat in 2.°, 3.°, 4.° momento semel ac non exsistit in 1.°; sed haec talis exsistentia, quae pugnat cum nostro ente perfectissimo, non est exsistentia habita secundum suam naturam, sed contra: non enim provenit ex repugnantia notarum suarum, sed ex defectu rationis sufficientis pro ente a se. Ergo intrinseca possibilitas daretur in Deo si iam ab aeterno non exsistit, quamvis postea nequeat incipere exsistere.

Resp. Nego maiorem.

Explicatio: Argumenta nostra contrarium probant. Si semel concessa intrinseca possibilitate Dei, Deus non exsisteret, hoc sequeretur: *a)* iam numquam exsistere posse defectu rationis sufficientis; ens a se producere seipsum non potest et effici ab alio repugnat, *b)* absolute repugnare eum exsistere ex repugnantia absoluta ipsius quidditatis seu essentiae, quae nihil aliud nisi chimaera aliqua esset.

**177. SCHOLIUM II. Ad solvendas difficultates haec prae oculis habeantur.**

*Exsistentia logica* est illa obiectivitas logica, quam habent res eo ipso quod cogitantur; sic omnia cogitata etiam chimaerae.

*Exsistentia signata* est exsistentia realis mere cogitata, i. e. illa, quam habent res eo ipso quod cogitantur ut realiter exsistentes, quin adhuc iudicem illas exsistere v. c. si cogito ut exsistentem angelum alatum, novum mundum; Deum debeo cogitare ut realiter exsistentem.

*Exsistentia exercita* est exsistentia aut habita de facto a rebus exsistentibus realiter seu in rerum natura v. c. exsistentia mundi actualis...; aut exsistentia affirmata ab intellectu de obiecto cogitato v. c. si iudico exsistere angelum alatum (aliquid absurdum); vel novum mundum (aliquid falsum)..., tribuo illis rebus exsistentiam exercitam. Exsistentiam exercitam de facto habitam in rerum natura coucedo Deo solum a posteriori.

**178.** *Ordo pure logicus* est ille, in quo res sunt eo ipso quod cogitantur.

*Ord. metaphysicus* est ille in quo res sunt eo ipso quod sunt aptae ad exsistendum (possibilia).

*Ordo actualis physicus* est ille in quo res sunt a parte rei seu in rerum natura.

Iam agendo de rebus a Deo diversis non licet intellectui nostro iudicanti transitus ab uno in alium ordinem v. c. si cogito angelum alatum, exsistit procul dubio in mente mea, in ordine logico, inde tamen non licet mihi concludere talem angelum exsistere in ordine metaphysico possibilitatis aut in ordine physico. Si cogito novum mundum, in ordine logico et in ordine metaphysico exsistit, inde tamen non licet mihi concludere exsistere in rerum natura.

Si vero agitur de Deo, intellectui nostro iudicanti: *a)* non licet transire ab ordine pure logico ad ordinem metaphysicum possibilitatis, nec ad ordinem physicum; *b)* ab ordine metaphysico possibilitatis positivae ad ordinem physicum, iuxta nostram sententiam antea probatam, transire licet; iuxta aliquos adversarios in scholio enumeratos non licet ex sola possibilitate intrinseca et positiva Dei concludere immediate eius exsistentiam a parte rei.

## 179. OBIECTIONES contra thesim.

1. Deus est id quo maius cogitari non potest. Atqui in conceptu entis quo maius cogitari non potest clare apparet eius exsistentia processu a simultaneo. Ergo Deus exsistit.

Conc. mai.

Dist. min. exsistentia idealis C. realis N.

Dist. pariter consequens.

Atqui etiam exsistentia realis apparet in conceptu Dei. Ergo stat diff.

2. Deus est ens quod nequit cogitare non exsistere. Atqui ens quod nequit cogitare non exsistere debet cxsistere in re. Ergo Deus exsistit in re. Conc. mai.

Dist. min. debet concipi ut exsistens in re C.; insuper debet exsistere a parte rei, N.

Disting. pariter consequens.

Atqui ens quod nequit cogitare non exsistere debet exsistere in re. Ergo...

3. Ens quod nequit cogitare non exsistere est summum excogitabile. Atqui non esset summum excogitabile si a parte rei non exsisteret. Ergo ens quod nequit cogitare non exsistere debet exsistere in re.

Conc. mai.

Disting. min. si nec conciperetur exsistens in re C.; si concipitur ut exsistens in re. N.

Disting. pariter consequens.

Atqui summum excogitabile si exsistit in intellectu etiam in re debent exsistere. Ergo...

4. Intellectus speculativus reproducit intentionaliter res exsistentes. Atqui repraesentatio intentionalis in casu nostro erat de re summa i. e. erat summum excogitabile. Ergo summum excogitabile si exsistit in intellectu etiam in re debet exsistere.

Dist. mai. Intellectus... reproducit solum res exsistentes N. res exsistentes et etiam possibiles vel impossibiles. C.

Contrd. min. erat de re summa ut exsistente N.: de re summa quae nescimus utrum sit necne exsistens, possibilis vel impossibilis C.

Atqui repraesentatio est de re summa ut exsistente. Ergo...

5. Idea Dei repraesentat ens omniperfectum. Atqui ens omniperfectum includit exsistentiam. Ergo idea Dei in casu repraesentat rem exsistentem.

Dist. mai. in cogitatione C.; in realitate subd. et hoc mihi constat a posteriori C.; a priori aut a simultaneo N.

Contrd. min.

Atqui Deus omniperfectus etiam exsistit in re. Ergo...

6. Iuxta te Deus possibilis—Deus exsistens actu. Atqui Deus possibilis est. Ergo Deus exsistit actu.

Conc. mai.

Disting. min. Possibilitate negativa C.; possibilitate positiva subd. mihi constat a priori N.; a posteriori C.

Disting. pariter consequens.

Atqui possibilitas positiva Dei constat a priori. Ergo...

7. Possibilitas intrinseca positiva Dei sita est in sociabilitate notarum. Atqui intellectus considerans notas divinae essentiae nullam detegit pugnam. Ergo possibilitas positiva Dei constat a priori.

Conc. mai.

Disting. min. Intellectus non detegit pugnam C.; detegit non adesse pugnam subd. suspicative Tr. Certo N.

Disting. pariter consequens.

Atqui intellectus positive videt non adesse pugnam. Ergo...

8. Una perfectio simpliciter simplex non pugnat cum alia. Atqui in Deo tantum sunt formaliter perfectiones simpliciter simplices. Ergo positive intellectus detegit certo non adesse pugnam in notis Dei.

Dist. mai. si seorsim sumuntur et in subiecto sunt per modum plurium Tr.; si debent inveniri in simplicissima unitate subd. scimus non dari pugnam a priori N.; a posteriori C.

Contrd. min. Sunt per modum plurium N.; iuxta summam unitatem... subd. ita ut sciamus hoc possibile esse a priori N...

Atqui certo a priori scimus non adesse pugnam inter notas Dei. Ergo...

9. Pugna tantum dari potest inter duas vel plures notas. Atqui in essentia divina tantum est una nota, esse purissimum. Ergo certo a priori scimus non adesse pugnam inter notas Dei.

Conc. mai.

Disting. min. Una nota et in una linea perfectionis N.; aequivalens pluribus subd. et tum possumus scire non dari pugnam a priori N.; a posteriori C.

Disting. pariter consequens.

Atqui a priori scimus illam unicam notam esse possibilem et exsistere. Ergo...

10. Illa unica nota aequivalens pluribus est res simplicissima. Atqui contradictio constans ex esse et non-esse non potest esse in re simplicissima. Ergo in illa unica nota non datur contradictio ideoque est possibilis.

Conc. mai.

Disting. min. in mente et negative C.; etiam in re et positive subd. et hoc mihi constat a posteriori C. a priori N.

Disting. pariter consequens.

Atqui illa nota in re excludit contradictionem. Ergo...

11. Conceptui nostro de illa nota simplicissima aut respondet aliquid pure possibile, aut imposibile, aut exsistens. Atqui non primum nec secundum. Ergo tertium, inde nullam contradictionem involvit in re.

Conc. mai.

Disting. min. non respondet pure possibile aut impossibile apertum C.; non impossibile occultum N.; donec probetur.

Disting. pariter consequens.

Atqui non respondet impossibile occultum. Ergo...

12. Omniperfectum nullam dicit imperfectionem neque carentiam. Atqui impossibilitas est magna imperfectio et carentia. Ergo illa nota omniperfecta nullam habet impossibilitatem occultam.

Disting. mai. in cogitatione C.; etiam in re Subd. si illud est fictitium N.; si non est fictitium C.

Conc. min. et distinguo pariter consequens.

Atqui omniperfectum non est fictitium sed exsistens. Ergo...

13. Ens necessarium et omniperfectum aut exsistit aut non exsistit. Atqui contradictorium est ens necessarium non exsistere. Ergo ens necessarium et omniperfectum exsistit.

Conc. mai.

Disting. min. Contradictorium est illud non exsistere in cogitatione C.; etiam in re subd. si ens necessarium est fictitium N.; si est reale C.

Disting. pariter consequens.

Atqui ens necessario exsistens est aliquid verum. Ergo...

14. «Ens necessarium exsistit» est propositio analytica. Atqui propositio analytica est necessario vera. Ergo ens necessarium exsistere est verum.

Disting. mai. si subiectum est reale C.; secus N.

Conc. min. et distinguo pariter consequens.

Atqui subiectum illud esse reale constat a priori. Ergo...

15. Argumentum quasi a priori valet in ordine logico. Atqui ordo logicus respondet ordini ontologico. Ergo argumentum a priori valet etiam in ordine ontologico.

Dist. mai. In ordine pure logico exsistentiae cogitatae seu pure mentalis Conc.; etiam in ordine logico metaphysico exsistentiae extramentalis N.

Contr. min. Ordo pure logicus exsistentiae cogitatae N.; ordo logicus non pure mentalis Subd. agendo de Deo licet transitus ab ordine metaphysico ad physicum exsistentiae C.; aliter Nego.

# CAPUT V

## De argumentis a posteriori pro exsistentia Dei
## De quinque viis S. Thomae

**180.** Genera argumentorum. Argumenta ad exsistentiam Dei demonstrandam possunt esse: *metaphysica* (illa quae desumuntur ex generalioribus proprietatibus rerum finitarum sive corporalium sive spiritualium v. c. ex eo quod sint mutabiles, causatae, contingentes, limitatae, ordinatae; et ex principio metaphysico v. c. ex principio causalitatis).

*Physica* (illa, quae desumumtur ex aliquo phaenomeno mundi physici v. c. ex motu physico, ex ordine cosmico et ex principio aliquo proximo physico v. c. ex lege conservationis et degradationis energiae). *Moralia* (illa, quae desumumtur ex aliquo facto morali, v. c. argumenta ex desiderio beatitudinis, ex legis obligatione, ex consensu generis humani). Iam vero in his argumentis conficiendis via causalitatis sive efficientis sive exemplaris sive finalis procedi potest.

Plura ex his tribus generibus argumenta ab auctoribus afferri solent; nos exponemus in forma theseos quinque vias S. Thomae et tria argumenta moralia relictis aliis argumentis ad scholia.

**181.** Numerus. Si attenditur unice ad principium rationis sufficientis et ad factum generalissimum indifferentiae rerum mundanarum in quibus argumenta uno vel alio modo fundantur, tum non habetur nisi unum argumentum. Sed multiplicantur et principia proxima (principium causalitatis efficientis, exemplaris, finalis...) et facta experimentalia (conceptus entis mobilis, causati, contingentis, limitati, ordinati sunt formaliter diversi secundum explicitum), inde possunt plura argumenta distincta effici ita tamen ut unum ad aliud facile reduci possit.

**182.** Scopus. Fructus argumentorum generatim erit solummodo confirmatio et legitimatio certitudinis spontaneae. De se autem possibilis est prima persuasio per argumenta scientifica.

**183.** Certitudo (saltem quorundam argumentorum) est:

a) *Certitudo metaphysica*, unde motivum est necessitatis metaphysicae et sic excludit oppositi possibilitatem. Tamen non est mathematica, nam in hac certitudine dantur gradus quoad firmitatem assensus;

b) *reductive metaphysica*, illa nempe in qua exigentia veritatis oritur, non ex intrinseca rei natura, sed ex obiecto posito in determinatis adiunctis vel ex aliqua hypothesi.

Unde in casu nostro principium metaphysicum est certum certitudine metaphysica absoluta. Factum vero experimentale est certum certitudine physica et reductive metaphysica, licet testimonium sensuum pro unoquoque casu non superet certitudinem physicam.

c) *per se necessaria, mediata* (evidentia est mediata et efficaciter necessitans) nam motiva sunt evidentia et (omnes praemissae sunt evidentes) semper theoretice obiective sufficientia, difficultates oppositae sufficientisime solvi possunt. Ergo etiam conclusio est mediate evidens evidentia necessitante; hinc intellectus, qui est facultas necessaria, si utitur modo normali agendi, necessario ponit assensum;

d) *per accidens libera legitima* (evidentia est mediata non efficaciter necessitans), motiva utique sunt evidentia et semper theoretice sufficientia et, ut sufficientia, ab intellectu perspiciuntur. Tamen evidentia est mediata, probationes sunt longiores, adsunt difficultates ordinis speculativi et practici. His positis, motiva quamvis sint theoretice sufficientia, non possunt exercere efficaciter suam vim ad movendum intellectum ad assensum; et tum influxus voluntatis potest supplere, non insufficientiam theoreticam motivorum, quia non adest talis insufficientia, sed meram insufficientiam practicam sive remote compescendo difficultates sive proxime imperando ut intellectus ponat assensum.

Unde argumenta apodictica:

*moralia* gignunt directe et per se certitudinem moralem; *physica* gignunt directe et per se certitudinem physicam; *metaphysica*, gignunt directe et per saltem certitudinem physicam, sed reductive metaphysicam prout explicatum manet in praecedentibus.

## ARTICULUS I

### ARGUMENTUM EX MOTU

*(1.ª via S. Thomae)*

**THESIS 5. Mundi entia mutabilia certo nos ducunt ad Deum sub conceptu motoris immobilis et personalis.**

**184. Bibliographia.** *a)* AUCTORES FAVORABILES

ARISTOTELES, *Opera omnia, Physicorum libri V-VIII* (maxime VII), c. 1; et VIII, c. 5; *Metaphysicorum* 1, XII, c. 5-7.—S. THOMAS, 1, q. 2, a. 3, 1.ª via; 1 CG, c. 13; *in lib. VII phys.* l. 1 et 2; *in VIII phys.* 1, 9, 12, 13, 23; *Comp. Theol.*, c. 31.—S. MAURUS, *De ente immateriali*, q. VIII.—BILLUART, *De Deo*, diss. 1, a. 2.—J. A S. THOMA, *Cursus Theologicus*, q. 2, 1 p., d. 3, a. 2; *Cursus philos. naturalis*, 1 p., q. 24, a. 3.—AVERROES, *Compendio de metafísica* l. 4, n. 1-56 (trad. esp. por D. Carlos Quirós, Madrid, 1919).—DESCOQS, *Praelect. Theol. Nat.* 1, p. 286 ss.; ArchPh 2 (1924), cah. 2, p. 141 ss.; 4 (1926), cah. 4, p. 107, 109.—CHOSSAT, *Dieu:* DTC, col. 931-934; col. 1.941-43.—GARRIGOU-LAGRANGE, *Dieu*, p. 241-266; DAFC, col. 1.026-1.039.—GAYRAUD, *Les vieilles preuves de l'existence de Dieu:* RevPh 2 (1908), 7-18.—GILSON, *Le Thomisme*, 3 ed., p. 67-78.—HALLEUX, *Les preuves de l'existence de Dieu:* RevNéoscolph (1906), 405-406; (1907), p. 150 ss.; 304 ss.—JOLIVET, *À la recherche de Dieu:* ArchPh 8, cah. 2, p. 14 ss.—PÉRIER, *Dieu, premier moteur:* RevPratApol, sept. 30 (1920), 540-549.—HONTHEIM, *Inst. Theod.*, n. 202 ss.—URBANO, O. P., *La prueba del movimiento y la existencia de Dios*, CT 15 (1917), 79-100; *Le Congrès de Bruxelles et l'argument du premier moteur*, AnPhChr 131 (1895-1896), 58-70; 309-3.114.—A. BREMOND, S. J., *L'argument du premier moteur dans le Contra Gentes:* ArchPh 10 (1933), cah. 2, p. 142-154.—BROCH, *Las pruebas tradicionales de la existencia de Dios:* CT 48 (1934), 145-330; 49 (1934), 45, 195.—SCHAAF, *Theol. Nat.* p. 99 ss.—BILLOT, *De Deo uno*[7], p. 53.—MZ. DEL CAMPO, *Theol. Nat.*, p. 32 ss.—GONZÁLEZ ÁLVAREZ, *Teología Natural*, p. 245 ss.—ARNOU, *De quinque viis S. Thomae apud antiquos graecos et arabes et iudaicos...* (1932).

*b)* AUCTORES ADVERSARII

HERVAEUS NATALIS, ap. Santeler. Der Kausale Gottesbew bei Her. Nat. (Insbruck, 1930), p. 26-27.—CAIETANUS, in 1 p., q. 2, a. 3.—SCOTUS, in 1 dist. 8, q. 4; d. 3, q. 7, n. 28 ss.; 2 dist. 24, q. 1, n. 14.—MASTRIUS, *In libr. physicorum*, t. 2, disp. 15, n. 97-104.—FRASSENS, *In libr. physicorum*, 2 p., d. 1, s. 1, q. 4, t. 2, p. 178-180.—SUÁREZ, DM 29, 1, 7-17; D. 18, 7.—CONNIMBRIOENSES, *In octo libr. Physic.* 1, 8, c. 6, q. unica, a. 3.—HELLÍN, *Theol. Nat.*, p. 204 ss.; 786 ss. idem, RazFe, jul.-dic. (1948), 353-407.—MUGNIER, *La theorie du premier moteur et l'évolution de la pensée aristotelicience* (París, 1930).

**185. NEXUS:** Stabilita in praecedentibus possibilitate demonstrationis exsistentiae Dei a posteriori, nunc ad argumenta in concreto accedimus. In hoc argumento cinesiologico (Κίνησις, motus; 1.ª via S. Thomae) considerantur entia mundana mutabilia.

### 186. NOTIONES:

**MOTUS.** *Latissime* et impropriissime est quaelibet operatio etiamsi sit sine ullo transitu. Sic etiam Deus movetur.

*Lato sensu:* est transitus ab uno statu in alium; de potentia ad actum; quaelibet mutatio sive extrinseca sive intrinseca.

*Potentia* hic intelligitur carentia perfectionis vel denominationis in subiecto mobili.

*Actus* hic intelligitur possessio huius perfectionis vel denominationis.

1. Motus lato sensu potest esse extrinsecus et irrealis et intrinsecus et realis.

*M. extrinsecus* et irrealis est transitus de potentia ad actum novae tantum denominationis ab aliqua forma, quae non recipitur in re denominata sed in alio subiecto v. c. cum quis ex non cognito fit cognitus.

*M. intrinsecus* et realis est transitus de potentia ad actum per forman intrinsecam subiecto cui attribuitur motus.

2. Motus intrinsecus et realis potest esse improprie dictus et proprie dictus.

*M. i. r. improprie dictus* est transitus sive de potentia ideali et mere obiectiva i. e. de non esse, de statu merae possibilitatis ad esse seu ad statum realem exsistentiae, sic creatio. Vel transitus de esse seu de statu reali ad non esse, sic annihilatio.

*M. i. r. proprie dictus* est transitus de potentia reali subiectiva sive activa sive passiva ad actum realem, v. c. de potentia volendi ad volitionem meam actualem.

Hic motus proprie dictus potest considerari: active, passive et formaliter.

*M. p. d. active sumptus* seu ex parte principii est transitus de potentia subiectiva activa ad actum (agere, mutare, movere seu producere motum). In hoc casu ens motu exercet formam iam habitam et transitus est ad actum exercitum.

*M. p. d. passive sumptus* seu ex parte termini est transitus de potentia subiectiva passiva ad actum (pati, mutari, moveri seu recipere motum). In hoc casu ens motu acquirit novam determinationem in ratione formae et transitus est ad actum formalem.

*M. p. d. formalis* seu formaliter sumptus est ipse transitus secundum terminum formalem a quo et ad quem ubi positio unius est remotio alterius.

3. Motus proprie dictus potest esse metaphysicus et physicus.

*Motus metaphysicus* est transitus de potentia reali in actum qui praescindit a materia vel excludit materiam; sic transitus intellectus humani a non intelligente ad intellectionem est motus metaphysicus instantaneus quia in instanti acquiritur tota forma.

*Motus physicus* est transitus de potentia reali ad actum qui fit in materia. Vel est quaelibet mutatio corporea etiam instantanea v. c. generatio substantialis, alteratio, augmentatio...

4. Hic motus physicus potest esse substantialis et accidentalis.

*M. ph. substantialis* si forma adquisita a subiecto in transitu est substantialis ut cum materia movetur de una forma ad aliam.

*M. ph. accidentalis* si forma adquisita a subiecto in transitu est accidentalis, ut cum aqua ex non calida fit calida.

5. Motus physicus potest sumi stricto sensu et strictissimo sensu.

*M. ph. stricto sensu* est quaelibet mutatio vera corporea, accidentalis et successiva.

Definitur ab Aristotele: Actus eutis in potentia prout in potentia. *Actus entis* v. c. marmoris, quia quando res est in motu iam non est in potentia pura, sed habet aliquem actum.

*Exsistentis in potentia* v. c. ut fiat statua, quia res non est in actu perfectissimo seu in quiete, sed in actu imperfecto, qui est aliquid medium et via inter puram potentiam et actum completum.

*Prout in potentia;* quia motus non est quilibet actus, sed actus prout simul est in potentia ad aliquid. Unde motus v. c. marmoris, qui in statuam funditur, non respicit marmor prout est marmor, sed prout est in potentia ut fiat statua.

6. Hic motus physicus proprie dictus vocatur.

*Alteratio* si mutatio est in qualitate v. c. si aqua ex frigida fit calida. *Augmentum vel decrementum* si mutatio est in quantitate v. c. puer paulatim fit homo. *Latio* si mutatio est in translatione locali; et hic est:

*Motus physicus strictissimo sensu* seu motus localis est transitus entis ab una parte spatii ad aliam partem spatii; sic movetur currus ferreus, homo, equus...

**187. MOBILE** est ens quod movetur. Seu ens quod, quatenus mobile, est in potentia passiva in actum. Seu ens quod recipit motum venientem a motore. Seu ens quod accipit perfectionem sive a se sive ab alio.

Iam vero novus status perfectionis non fit sine aliqua causa; causa autem mutationis sive motus appellatur motor.

**188. MOTOR:** est id quod movet, seu id quod producit ut causa efficiens motum in mobili. Unde motor quatenus est motor est in potentia activa ad actum.

Causa finalis et causa exemplaris movent inadaequate unde semper recurrendum est ad causam efficientem.

*Motor mobilis* est ille qui est causa mutationis seu movet alium ita ut ipse ab alio moveatur. Unde dat quod ab alio acceperat.

*Motor immobilis* est ille qui movet alium quin ipse moveatur.

*Motor primus* est ille ante quem nullus est ontologice prior; est causa efficiens ultra quam non requiritur alia causa: ab ipsa enim procedit et motus explicandus, qui assumitur ut punctum a quo et reductive tota series motuum.

**189.** *Mundus* est universitas rerum omnium, quae experientiae nostrae sive internae sive externae vel nostrae simili per se perviae sunt simul cum omnibus principiis eam interne constituentibus.

*Ens extramundanum:* ens quod neque est mundus nec pars eius concreta neque aliquod principium eius internum.

**ENS PERSONALE** est ens intellectu et voluntate praeditum, actu sui conscium et subsistens independenter ab aliis rebus.

**DEUS** est motor immobilis.

**190.** PRINCIPIUM: QUIDQUID MOVETUR—AB ALIO MOVETUR.

*Explicatio: Subiectum propositionis* est—quidquid movetur; *praedicatum* vero est:—ab alio movetur. *a) Vi nominis* verbum *movetur:*

—*in subiecto propositionis* sumitur sensu intermedio (i. e. aliquid medium inter puram potentiam et actum completum et proinde significat: quidquid est in statu motionis.

—*in praedicato propositionis* sumitur sensu passivo et significat moveri ab alio.

b) *Realiter* verbum movetur:

In subiecto propositionis significat: *Iuxta alios*—quidquid transit de potentia subiectiva passiva ad actum. *Iuxta alios:* quidquid transit de quacumque potentia ad actum.

—In praedicato propositionis verbum movetur significat aliunde moveri, in alio habere

principium suae mutationis. Et sic: *Iuxta primos* principium motus non applicatur ad potentiam activam, quia agens qua agens non movetur seu mutatur. *Iuxta secundos* principium motus applicatur omni agenti creato, quod transit de quacumque potentia ad actum, quia etiam si transeat de potentia activa ad actum simul est semper aliquo modo in potentia passiva ad actum; transit a statu non agendi ad statum agendi et manifestum est non esse idem—agens cum non agit ac agens cum agit—: unde hoc sensu eget moveri et inde iam aliquo modo perficitur.

**191.** Duplex forma principii —quidquid movetur ab alio movetur.

*Forma negativa seu exclusiva:*

—Quidquid movetur ab alio supposito movetur et solum ab alio. Unde mobile numquam potest se movere de potentia sive activa sive passiva ad actum formalem, sed unice ab alio supposito movetur, ut volunt praedeterministae.

*Forma affirmativa seu assertiva:*

—Quidquid movetur ab alio etiam movetur, sed non semper exclusive ab alio. Unde mobile potest aliquando se ipsum movere et esse rationem inadaequatam suae mutationis, numquam vero mobile, etsi sit etiam motor, potest esse ratio adaequata sui motus.

**192.** Fundamentum principii —quidquid movetur ab alio movetur—. Hoc principium fundatur in duplici principio:

1) Nulla res potest esse in actu et in potentia respectu eiusdem perfectionis. Et hoc est verum tum si potentia et actus sumantur formaliter in eodem sensu v. c. aqua calida in actu formali ut 8 gradus et in potentia formali (non calida) ad 8 gradus. Tum etiam si sumantur, ut aiunt, in diverso respectu (apparenter), aqua calida in actu virtuali adaequato ad 8 gradus et in potentia formali ad 8 gradus: nam actus virtualis, si est adaequatus, eo ipso est formalis.

2) *In principio causalitatis et rationis sufficientis:* Nam quodlibet ens exsistens—mobile—v. c. voluntas creata, non habens in se rationem sufficientem plenam alicuius perfectionis realis v. c. volitionis, siquidem in fine motus habet maiorem perfectionem quam ante motum, ab alio ente seu ab alio principio extrinseco moveri debet ut detur causa adaequata talis perfectionis.

**193.** Principium causalitatis et principium motus:

*Principium causalitatis* sic enuntiatur:

—Quidquid contingens est causam sui efficientem habet realiter a se distinctam. *a)* Subiectum est hoc: contingenter exsistens.

Unde loquitur non solum de motu aut mobili sed de omni re contingente sive sit motor sive sit mobilis sive sit substantia sive sit accidens. *b)* Praedicatum est hoc: —Exsistit per operationem causae efficientis.

Unde de illo ente contingente enuntiat quod indigeat causa efficiente realiter et adaequate distincta a re contingente, quae de novo producitur.

*Principium motus* sic enuntiatur:

—Quidquid movetur ab alio movetur. *a)* Subiectum est hoc: —Quidquid movetur—.

Unde loquitur solum de motu recepto in aliquo subiecto iam praeexistente. *b)* Praedicatum est hoc: —Ab alio movetur—.

Unde de illo motu enuntiat (non quod producatur ab agente adaequate distincto a motu producto, quod iam dat principium causalitatis) produci saltem etiam a causa realiter distincta a subiecto in quo recipitur motus i. e. non posse produci solum a subiecto in quo recipitur.

Unde principium causalitatis stricto sensu acceptum, tum quoad subiectum, tum quoad praedicatum latius patet quam principium: quidquid movetur ab alio movetur.

## 194. STATUS QUAESTIONIS.

1. Quaerimus utrum ex motibus entium mundanorum et per seriem motorum mobilium possimus ascendere ad motorem immobilem saltem aliquem; nam hic explicite non probatur adhuc esse unicum.

Ad hoc stabiliendum duo sunt probanda:

*a)* Dari in mundo mutationes seu motus reales.

*b)* Hoc posito eorum rationem sufficientem solam esse motorem immobilem.

**195.** 2. QUO NITITUR THESIS?

a) *Factum experimentale* erunt entia mobilia. Nempe incipit haec 1.ª via a motu quatenus est actus entis mobilis et inde realizatus in aliquo subiecto. Inde agimus: de motu reali, proprie dicto et metaphysico i. e. de motu sub conceptu generali —transitus de potentia reali subiectiva in actum; de motu formali, de ipso transitu, et intendimus probare esse passivum saltem inadaequate; maxime de motu accidentali sive instantaneo sive successivo entium exsistentium ut melius distinguamus hoc argumentum ab argumentis praecedentibus.

Uno verbo: agimus de motu in quo datur transitus entis de quacumque potentia reali subiectiva sive activa sive passiva in actum, in novam perfectionem, quam antea non habebat.

b) *Principium metaphysicum est:* —Omne quod movetur ab alio movetur— i. e. ille motus producitur saltem etiam a causa realiter distincta a subiecto quod transit de potentia in actum: nihil enim quod transit de potentia in actum potest movere se ipsum totaliter et tamquam perfecta sufficientia.

**196.** 3. CONCEDIMUS: —*mobile*, quod quatenus tale est in potentia reali passiva ad actum recipiendum, saepe esse etiam sub alio respectu motorem, causam inadaequatam sui motus, et sic egere iuvamine alius causae seu motoris;

—*hanc causam proximam* et immediatam posse esse inter motores mundanos.

NEGAMUS rationem sufficientem adaequatam ultimam inveniri in motoribus mundanis et affirmamus esse absolute necessarium motorem immobilem.

**197.** 4. Thesis habet duas partes:

*1.ª pars.—Primus gressus:* Probatur dari motorem immobilem relative tantum, qui nempe habeat in se et a se rationem illius motus a quo profecta est argumentatio.

*Secundus gressus:* Mediante reductione ad argumentum ex contingentia, probatur illum motorem immobilem relative, obtentum in prima parte, non posse esse talem nisi sit absolute immobilis seu a se secundum totum id quod est.

*2.ª pars:* In secunda parte demonstrabimus talem motorem immobilem obtentum in prima parte esse ens personale.

**198. SENTENTIAE.**

*1.ª Sententia:* SCHOLA THOMISTICA retinet et vindicat valorem argumenti ex motibus entium mundanorum arguendo tum ex motu physico tum ex motu

metaphysico. Iuxta ipsos *a)* principium quidquid movetur ab alio movetur est verum in sensu exclusivo, quidquid movetur ab alio movetur supposito et solum ab alio, quod praedeterminet semper motum per praemotionem physicam; et simul efficiat motum cum mobile, quando mobile est activum. *b)* Hinc: si mobile est *pure passivum*, exclusive movetur ab alio supposito, ut patet; si mobile est *pure activum*, ut agens transeat de potentia activa ad actum (in quo transitu perficitur actione, siquidem actio est in agente; et perficitur ab alio siquidem motus ille est prior actione propria mobilis utpote praerrequisitum ad illam) ab alio exclusive moveri seu applicari ad agendum debet; si mobile est *activo-passivum* (ut sunt viventia, voluntas et intellectus hominis) tum ut transeat de potentia activa ad actualitatem agendi exclusive movetur ab alio; in quantum efficit et recipit suam actionem et effectum movetur a se ipso et ab alio, sed movetur a se ipso solum in quantum est motum ab alio seu iuxta illam mensuram.

Ex hoc principio sic intellecto concludunt exsistentiam Dei ut motoris immobilis, qui praedeterminet physice omnia ad agendum et simul cum illis cooperetur ad motum.

**199.** *2.ª Sententia.* MOLINISTAE PLERIQUE approbant etiam argumentum arguendo generatim ex motu metaphysico (aliquando etiam ex motu physico) et defendunt valorem principii—quidquid movetur ab alio movetur—ad probandam exsistentiam Dei, si sumitur principium in sensu assertivo—quidquid movetur ab alio etiam movetur—i. e. adiuvatur ab agente externo ad motum, sed nullo modo praedeterminetur ab alio solo ad motum.

Unde mobile si est *activum*, ut transeat de potentia ad actum, utpote agens incompletum (tum ratione essentialis dependentiae creaturae a Creatore, quod unice constat post probatam exsistentiam Dei; tum etiam semper sub ratione actualitatis, saepe etiam sub ratione virtutis, quod potest constare ante probatam exsistentiam Dei) debet adiuvari a cooperante externo relate ad perfectionem efficiendam et in se recipiendam; =*ut est activo-passivum* movetur a se ipso et ab alio simul. Iuxta ipsos omne quod transit de quacumque potentia reali subiectiva sive activa sive passiva ad actum perfectionis non praehabitae, non potest se movere ut causa adaequata nisi concurrente aliquo exteriore agente. Et ratio est: quia eadem res non potest esse simul in actu virtuali adaequato et inde in actu formali adaequato et in potentia formali sub eodem respectu relate ad eamdem perfectionem; et in eo quod res quando est mota habet maiorem perfectionem seu actualitatem quam cum erat sine motu. Haec est nostra sententia.

**200.** *3.ª Sententia.* SCOTUS ET SCOTISTAE ut TROMBETA, MASTRIUS... movent difficultates contra principium—omne quod movetur ab alio movetur—. Concedunt quidem saepe motorem et mobilem distingui, negant tamen id semper fieri vel necessarium esse: nam nihil potest esse in actu formali et in potentia formali; sed nihil obstat quominus aliquid sit in actu virtuali eminentiali capaci efficiendi perfectionem et simul in potentia formali passiva ad illam recipiendam.

**201.** *4.ª Sententia.* SUÁREZ, HELLÍN et alii negant vim probativam argumenti. Admittunt valorem principii quidquid movetur ab alio movetur i. e. adiuvatur concursu simultaneo ex essentiali dependentia creaturae contingentis a Creatore, sed solum post probatam exsistentiam Dei. Unde *a)* Ex motu quolibet potest demonstrari apodictice exsistentia Dei si consideretur motus ut indicium contingentiae et dependentiae causalis. *b)* Exsistentia Dei non probatur ex principio—quidquid movetur ab alio movetur—. Et quidem 1) Non ex illo principio in sensu exclusivo accepto, quo asseritur nullam causam se movere nisi ut motam exclusive ab alio supposito realiter et adaequate distincto: nam tale principium sic intellectum est verum agendo de mobili mere passivo; est vero falsum agendo de viventibus, quae movent se ipsa 2) Immo nec demonstratur exsistentia Dei ex illo principio assertive intellecto. Nam tum significat omne illud quod movet se, producere illum motum in se cooperante simultanee Creatore. Iam vero necessitas talis cooperationis demonstratur non ex principio quidquid movetur ab alio movetur; sed solum ex essentiali dependentia creaturae a Creatore; et hoc solum cognoscitur post demonstratam exsistentiam Dei et non antea.

Nam agens postquam fuit completum omnibus requisitis naturalibus et omnibus comprincipiis naturalibus ad agendum est causa proportionata et sufficiens sui actus quem continet in actu virtuali licet contineat illum in potentia formali.

Tandem licet concederetur principium illud valere ante demonstratam exsistentiam Dei, ex tali principio non concluderemus ad motorem immotum; vel si ad motorem immotum, non necessario pervenitur ad motorem immobilem et increatum.

Ergo ex tali principio—quidquid movetur ab alio movetur—non concluditur exsistentia Dei.

**202.** 5.ª *Sententia.* EXTRA SCHOLAM negant vim probativam argumenti.

a) *Immobilistae omnes* qui cum Eleaticis antiquis PARMENIDE et ZENONE negant dari motum realem.

b) *Omnes mobilistae moderni;* BERGSON, LE ROY et alii negant omnem distinctionem inter motorem, motum et mobile; pro ipsis motus est essentia rerum, non exsistit nisi motus et to fieri; unde concludunt contingentiam esse meram apparientiam, fructum indebitae abstractionis intellectus.

c) *Omnes pantheistae*, evolutionistae, qui tenent ens necessarium in actu virtuali continere realiter etsi non formaliter, omnes modos seu nova phaenomena in quae sese evolvit et sic posse esse rationem adaequatam sui motus.

d) KANT in sua quarta antinomia, et qui post eum tenent motorem immobilem involvere contradictionem, pariter negant thesim nostram.

e) Plerique physici moderni mecanicistae, post CARTESIUM, qui tenent motum localem non exigere formaliter ut talem, aliquem motorem specialem a quo accipiant actu motum, dum movetur; et qui contendunt huic motui locali quantitativo et mecanico omnes motus qualitativos esse reducendos.

**CENSURA.**

Certa intrinsece (sic nobis videtur salvo meliori iudicio).

## 203. PROBATUR.

**1.ª Pars.** Exsistit motor immobilis.

Certum est entia mundana de facto moveri et inde novas perfectiones adquirere. Atqui: 1) Omne quod movetur (i. e. quod transit de quacumque potentia reali subiectiva sive passiva sive activa ad actum perfectionis non praehabitae) ab alio saltem etiam movetur (i. e. ipsum solum non potest esse causa adaequata talium motuum seu mutationum, sed requiritur aliud ab eo quod movetur seu mutatur distinctum); 2) ultimatim a primo motore immobili. Ergo mundi entia mutabilia certo nos ducunt ad Deum sub conceptu motoris immobilis.

*Maior.* Testimonio sensuum externorum et conscientiae constat mundi entia mutari saltem accidentaliter: transeunt de potentia reali subiectiva sive activa sive passiva ad actum: *localiter* cum transeunt ab una parte spatii ad aliam; *qualitative* v. c. quoad calorem, etc... *quantitative* siquiden crescunt et decrescunt.

Entia vegetativa motibus vitalibus sibi consentaneis, entia sensitiva motibus cognoscitivis; entia libera motu intellectuali et voluntario.

*Minor* quoad 1). Probandum est hoc: quidquid movetur ab alio movetur i. e. nihil posse esse causam adaequatam sui motus v. c. viventia cum se reducunt in actum efficiendum aut recipiendum; intellectus (et similiter voluntas) cum transit de potentia activa seu de actu primo ad secundum; vel cum transit de potentia passiva ad recipiendam intellectionem. Similiter non viventia activa cum transeunt ad actum operationis in alio ponendae v. c. ignis cum ponit calorem in ferro. Item ferrum ad calorem recipiendum...

a) *Mobile quatenus mobile*, movetur, recipit motum, est in potentia passiva ad perfectionem motus recipiendam. Ergo mobile quatenus mobile adaequate movetur ab alio, sub nullo respectu potest esse causa sui motus.

b) Si hoc ipsum mobile esset etiam *motor* adaequatus (causa adaequata, quae facit mobile transire de potentia passiva ad actum):

*quatenus mobile* esset relate ad perfectionem acquirendam in potentia pure passiva et inde in statu possibilitatis ad motum;

*quatenus motor* adaequatus esset relate ad perfectionem acquirendam in actu virtuali adaequato et inde etiam in actu formali adaequato ita ut contineat (eminenter, formaliter aut aequivalenter) quidquid positivi est in perfectione formaliter sumpta; inde in nulla passivitate, in statu impossibilitatis ad motum.

Atqui repugnat, ut est manifestum, aliquid esse simul secundum idem et sub eodem respectu:

—in potentia pure passiva et in actu formali adaequato;
—in statu passivitatis et in nulla passivitate;
—in statu possibilitatis ad motum et in statu impossibilitatis.

Ergo quidquid movetur ab alio movetur, mobile nunquam potest esse causa adaequata sui motus etiam si sit motor.

c) *Mobile ut est motor*, si habet perfectionem de novo adquirendam solum virtualiter i. e. in actu primo (potentia activa in actu primo) tum non est per se ipsum adaequate sufficiens ad actum secundum, qui multum addit supra primum, sed indiget moveri (simultanee non praevie ad actionem); indigentia vero movendi ab alio excludit perfectam sufficientiam dandi, ut in terminis evidens est.

«Omne potens agere et actu non agens, omne agens per actum sibi diversum, est inadaequatum agens, quamvis sit liberum; nulla igitur datur causa seu potentia activa absolute adaequata nisi Deus.» Mz. DEL CAMPO, Theol. Nat., p. 37.

*Minor*, quoad 2). *1. gressus.* Datur motor immobilis, a se et ratio adaequata saltem quoad illas perfectiones ad quas movet i. e. motor immobilis saltem relative.

Nam motor ille, qui mobili dat perfectionem, vel et ipse prius erat motus seu accepit perfectionem ab alio vel non. Si non accepit ab alio seu si habet ex se sine motu illum actum ad quem movet; ergo erat aliquid immobile et habeo intentum.

Si accepit ab alio, de hoc alio quaeram, etc...

Atqui per seriem motorum mobilium, licet sit infinita, debemus devenire ad motorem immobilem in quo detur ratio sufficiens adaequata totalis suae actionis i. e. mutationum seu perfectionum ad quas movet, secus daretur realis perfectio sine ratione sufficienti. Ergo datur motor immobilis saltem relative.

Insufficientia procedit ex hoc quod qui dat recipit et qui movet movetur, proinde ex additione moventis moti ad movens motum, numquam acceditur, licet series motorum sit infinita (repugnat haec series sine motore immobili) ad limitem sufficientiae et numquam minuitur ratio insufficientiae. Proinde sufficientia tum solum tenetur quando invenitur motor immobilis saltem relative.

*Minor*, quoad 2). *2. gressus.* Datur motor immobilis absolute, a se et ratio adaequata secundum totum suum esse.

Nam motor immobilis, a se, et ratio adaequata totalis quoad illas novas perfectiones, numquam quoad tales perfectiones, inde neque quoad suum esse simpliciter fuit in potentia.

Si enim esset mobilis, in potentia, ab alio quovis titulo quoad suum esse, necessario fuisset in potentia etiam quoad illas perfectiones novas (prius enim est esse quam agere et modus agendi sequitur modum essendi) contra id quod probatum est. Ergo motor ille immobilis relative est etiam absolute immobilis, a se, ratio adaequata quoad totum suum esse simpliciter.

**204. 2.ª Pars.** MOTOR IMMOBILIS EST ENS PERSONALE.

Ens personale modo vulgari est ens intellectu et voluntate praeditum, sui conscium et subsistens independenter ab aliis rebus. Atqui talis est motor immobilis in prima parte obtentus. Ergo motor immobilis est ens personale.

*Maior* est definitio vulgaris entis personalis.

*Minor.* Motor immobilis in prima parte obtentus est:

a) *Ens a se totaliter.* Si enim esset ab alio, primo fuit in potentia (saltem prioritate naturae) ad omne suum esse et consequenter etiam ad illas perfectiones ad quas nunc movet, quod est contra definitionem motoris immobilis.

b) *Substantia,* quia est aliquid primum omnium, accidens autem requirit subiectum cui inhaereat.

c) *Intellectu et voluntate praeditus.* Motor enim immobilis dat seu movet alia entia ad actus intellectus et voluntatis. Atqui nemo dat quod non habet. Ergo motor immobilis est vivens intellectu et voluntate praeditus et quidem formaliter.

d) *Subsistit independenter ab aliis rebus.* Nam motor immobilis, a se, est immutabilis; quidquid enim habet vi essentiae suae habet, proinde non potest recipere vel amittere quidquam, quia illud non haberet vi essentiae suae, non esset a se, non pertineret ad motorem immobilem. Consequenter motor immobilis est prorsus independens ab aliis rebus, nulli alieno influxui obnoxius esse potest per quem in perfectione crescere vel decrescere possit.

**205. SCHOLIUM I.**

*a)* Nihil potest esse simul in actu et in potentia secundum idem. Idcirco: 1) Nihil potest esse simul in potentia passiva et in actu formali sive substantiali sive accidentali v. c. habere et non habere habitum scientiae.

2) Nihil potest esse simul secundum idem in potentia activa seu in actu primo et in operatione seu in actu secundo, sed ab actu primo transit ad secundum.

b) *Perfectio aliqua* potest esse in aliquo subiecto: numerice, formaliter, eminenter lato vel stricto sensu et virtualiter. Cfr. thesim. 17.

**206.** c) *Quomodo continetur perfectio effectus in sua causa.*

*Causa efficiens* est principium quod actione sua determinat exsistentiam rei contingentis; unde ex principio rationis sufficientis aliquo modo debet continere effectum, nec effectum sibi superiorem producere valet. Immo nec inferiorem quando sub aliquo respectu, causa a tali effectu exceditur, vel talis effectus intra sphaeram huius causae non continetur v. c. homo non potest producere plantam. Non vero continet *numerice* (secus non haberetur actio sed emanatio v. c. aqua emanat ex fonte) sed *virtualiter* i. e. habet virtutem seu potentiam activam. Agens enim agit sibi simile i. e. effectus est similis suae causae, non est identicus suae causae, sed similis secundum perfectionem realiter distinctam.

Ut autem causa effectum virtualiter praecontineat et possit producere illum, debet continere perfectionem effectus: aut gradu superiori seu eminenter (stricto vel lato sensu) ut accidit in omni causa aequivoca; aut gradu aequali: sive formaliter secundum eamdem perfectionem specificam ut accidit in omni causa univoca; sive aequivalenter; aut etiam gradu inferiori sub aliquo respectu.

*Causa completa, adaequata in omni ordine* seu absolute est illa quae est proportionata et sufficiens in omni ordine ad effectum producendum. Unde debet continere perfectionem effectus virtualiter adaequate absolute idcoque etiam formaliter aut eminenter. Sic sola causa incausata seu Deus.

*Causa completa et adaequata in suo ordine,* in ordine causae secundae est illa quae est proportionata et sufficiens in suo ordine (nullo complemento alterius causae secundae indiget), sed semper eget complemento causae primae incausatae. Unde omnis causa secunda, inadaequata est saltem sub ratione dependentiae et actualitatis, quamvis non semper sub ratione essentiae et virtutis. Non necessario est una numero causa, sed potest esse complexus causarum inadaequatarum. Et continet perfectionem effectus virtualiter ita ut in suo ordine causae secundae non egeat complemento alterius. Sic sunt completae causae secundae univocae, quae continent

formaliter adaequate in suo ordine perfectionem effectus: ignis producens ignem; homo (parentes coniunctim) producens hominem; equus (parentes coniunctim) gignens equum...; motor mechanicus gradu aequali et aequivalenter continet calorem quem gignit.

*Causa incompleta et inadaequata in ordine* causae secundae est illa quae non est sufficiens (quamvis sit proportionata) ad producendum effectum, inde eget complemento alterius causae etiam secundae.

Sic intellectus tribuit vitalitatem actui cognoscitivo; obiectum vero tribuit illi simillitudinem. Unde intellectus continet perfectionem intellectionis virtualiter inadaequate. Potest dici quod intellectus contineat respectum vitalitatis specifice adaequate in suo ordine, sed etiam in hoc casu continet illum inadaequate sub rationi perfectionis actualitatis. Sic parentes singuli sunt homines aeque ac filius unde unusquisque continet gradu aequali et formaliter perfectionem filii secundum speciem, sed solum coniunctim generant. Ut vides: si causa continet perfectionem effectus virtualiter adaequate eo ipso debet etiam illam continere formaliter aut eminenter; sed non semper ac continet formaliter aut eminenter habet virtutem adaequatam ut ostendit postremum exemplum.

N. B. Quilibet effectus potest aliquo modo dici eminenter late seu improprie seu modo nobiliori contineri in sua causa, quae qua talis est nobilior quam effectus productus, siquidem habet in potentia alios et alios effectus.

**207.** *d)* Causa seu agens in quantum agit non mutatur, sed passum mutat: nam agens eo praecise quod agat, nihil reale aut amittit aut recipit. a) *Ut agens nihil reale amittit:* effectus enim non continetur in causa sua secundum esse realiter idem. Dum ergo fit actu, nulla realitas causae identica extra illam ponitur; causa igitur nullo modo in se ipsa aut exhauritur aut expoliatur. Non ita se res habet dum aurum e crumena eruitur, aqua ex fonte. Sed si causa effectum virtualiter continet, ita illum virtualitater effundit, determinando per suam virtutem transitum de non esse ad esse alicuius rei ab agente distinctae. Quod si agens agendo saepe alterari aut corrumpi videatur, non ita immutatur quatenus est agens formaliter, sed quatenus reactionem patitur, sub quo respectu est patiens.

b) *Agens qua agens nihil reale accipit.* Formalitas enim agentis est dare, non recipere, nam ab agente aliquid procedit.

Cum vero causa immanenter agit aliquid recipit, non in quantum est agens, sed quatenus huic agenti accidit esse patiens.

Ratio efficientiae concipienda est pure, corrigente intellectu phantasiam ope affirmationis et negationis.

**208. SCHOLIUM II. Quomodo diversa entia moveantur.**

*A)* QUOAD MOVERE ET PERFICERE SE IPSA.

a) *Corpus anorganicum* seu non-vivens 1) *remote* seu quoad primum esse et virtutes adaequate movetur et perficitur ab alio; 2) *proxime* seu quoad operationem adaequate etiam movetur et perficitur ab alio. Corpus enim si nullum motum habet, sponte sua (ex lege inertiae materiae) nec motum adquirere, nec aliunde acceptum extinguere aut quolibet pacto modificare potest. Certe sua activitate gaudet, sed eius operatio utpote transiens, recipitur in alio, quod movere et perficere potest, se ipsum movere et perficere ne inadaequate quidem potest.

b) *Corpus organicum* seu vivens 1) *remote* seu quoad primum esse et facultates adaequate movetur et perficitur ab alio; 2) *proxime* seu quoad operationem movetur ab alio et etiam a se ipso inadaequate, ita ut actus eius utpote immanens, recipiatur in ipso vivente et sic se ipsum perficiat. (Intra ipsum vivens, ait Loinaz, una pars est movens et alia pars est mota unde principium etiam negative seu exclusive urget).

*B)* QUOAD MOVERE ET PERFICERE ALIUD tam vivens quam non-vivens: 1) remote quidem ab alio adaequate moventur et perficiuntur; 2) proxime autem tum ab alio tum etiam a se ipsis inadaequate moventur. Nam non solum vivens sed etiam non-vivens gaudet seu pollet vi et activitate propria agendi in aliud, cuius causa saltem principalis agnoscenda est in eo qui corporibus illis talem naturam et proprietatem donavit.

**209. SCHOLIUM III. Argumentum entropologicum: ex inceptione motus physici in mundo.**

**Bibliographia.**—DESCOQS, *Theol. Nat.* 1, p. 652.—DONAT, *Theod.* n.° 66 ss.—Mz. DEL CAMPO, *Theol. Nat.*, p. 50.—VAN DE WOESTYNE, *Curs. Phil.*, II, p. 682.—HELLÍN, *Theol. Nat.*, p. 238.—PUIGREFAGUT, *Argumento entropológico*, Estudios Eclesiásticos (1944), p. 443.—SERTILLANGES, *La preuve de l'existence de Dieu et l'éternité du monde:* RevThom (1897) p. 746.—EYMIEU, *Le naturalisme devant la science*, p. 84-97.—PERIER, *Emprunts scientifiques en Théodicée*, Rev. Prat. Apol 29 (1919), p. 357 ss.

**210.** *Energia* est capacitas ad praestandum laborem v. c. energia mechanica, calor, lux, electricitas, energia chemica et aliae...

ENTROPIA (ἐν et τροπή introrsus conversio) est conversio energiae utilis in energiam inutilem, quae iam ad laborem praestandum adhiberi non potest.

*Lex conservationis energiae.* Summa totalis energiae in mundo est constans. Quamvis enim omnes energiae qualitative inter se transmutari possint (motus lapidis cadentis convertitur in calorem loci in quem impingit; electricitas lucem, calorem, motum visibilem producit...), quantitas seu summa eadem est, quatenus semper pro energia perdita nova inducitur tanta quanta prior fuit.

*Lex degradationis energiae:* energia utilis continuo convertitur in inutilem, unde inutilis crescit et utilis decrescit; sic v. c. quando lapis in terram cadit, motus in calorem convertitur, sed hic non iterum totus in laborem praestandum actu converti potest quia statim per spatia diffunditur et iam ad laborem actu praestandum adhiberi non potest.

**211.** Quaeritur utrum necne ex inceptione motus physici in mundo concludatur Deus.

*Sententiae inter scholasticos:*

1.ª *Sententia:* negat vim probativam argumenti. Sic R. PÉRIER, SERTILLANGES, O. P.; VAN DE WOESTYNE, HELLÍN et alii.

2.ª *Sententia:* admittunt valorem argumenti DONAT, BOEDDER, EYMIEU, GUIBERT, HONTHEIM, MONACO, Mz. DEL CAMPO et alii. DESCOQS illud appellat non certo efficax.

CENSURA: Probabilior.

**212.** ARGUMENTUM: Energia utilis in mundo continuo decrescit. Ergo initium habuit et aliquo tempore materia fuit prorsus iners. Atqui ad inceptionem energiae utilis requiritur interventus immediatus Dei. Ergo exsistit Deus.

*MAIOR.* 1) Physici tradunt duplicem legem: legem conservationis et legem degradationis seu entropiae.

2) Omnes energiae utiles non caloricae facile mutantur in calorem, unde calor quantitative perpetuo crescit in mundo. Hic vero calor iam non totus utilis est; sed semper remanet pars, quae tendens in aequilibrium temperaturae statim aequabiliter per spatia diffunditur. Unde quantitas caloris utilis continuo decrescit (calor solum est utilis quando adest in corporibus inaequaliter distributus), energia utilis continuo convertitur in inutilem donec tandem perveniatur ad aequilibrium energiarum; in quo calor nihil faciat, nulla calefactio, nulla vita, sed status quietis absolutae et mortis.

*Consequens.* Energia enim utilis decrescens non potuit esse infinita et aeterna: quia nec decrescere, nec inaequabiliter distribui nec in subiecto finito esse potest. Si vero energia utilis decrescens est finita (in parte determinata spatii) et ab aeterno inciperet decrescere, procul dubio iam pervenisset ad aequilibrium; et tamen non pervenit ad talem finem. Ergo initium habuit.

*Minor.* Nam in illo statu mundi non daretur nisi materia iners et ex principio inertiae mundus per se ipsum nec inaedaequate quidem potuit transire de statu quietis ad motum. Ergo requiritur interventus causae extramundanae, Deus.

N. B. Proinde etiam materia in tempore esse incepit, quia absurdum esset fingere iam ab aeterno materiam, etsi ornatam suis proprietatibus, adfuisse omnis motus et mutationis expertem.

**213.** DIFFICULTATES P. DESCOQS CONTRA SCHOLIUM.

1.ª Possibilis est influxus corporis extranei ad universum, quod illud iterum calefaciat. Resp. Nullum sensum videtur habere corpus extra universum.

2.ª Nescimus num tales leges applicentur in integro universo. Item num omnibus temporibus etiam praeteritis et futuris.

Resp. Leges quae fundantur in natura motus et energiae iam nunc satis cognitae valent semper et ubique.

3.ª Experimenta facta sunt in magnis molibus et non in energia unius atomi et fortasse energia atomica sit talis ut restauret totam energiam solarem quae perdita fuit.

Resp. Si est vera lex degradationis nego hoc fieri posse.

4.ª Gratis fingitur mundum esse systema clausum quod nullum influxum recipiat ab extrinseco; si enim dantur spiritus, fortasse illi augent identidem energiam diperditam.

Resp. Haec hypothesis in spiritibus, praeter Deum, gratis fingitur.

5.ª Principium entropiae falsum comprobatur in energia gravifica attractionis universalis; illa enim nec convertitur in calorem nec videtur ullam diminutionem pati. Ergo.

Resp. Estne verum hoc an est una ex multis hypothesibus?

6.ª Corpora caelestia aliquando ex magnis distantiis inter se collidentur, quo tantus orietur calor, ut iterum in statum nebularem dissolvantur atque ita processus cosmogonicus ab initio incipiat et sic deinceps sine fine.

Resp. Per has collisiones numquam eadem illa energia restitui potest, quae initio processus mundani corporibus inerat, quia per aetates magnam copiam energiae in spatia mundi diffuderunt. Calor autem novus ex collisione exortus statim eradiari incipiet.

7.ª Si forte mundus infinitam extensionem habet, id quod cum certitudine refutari non potest, etiam infinitam energiam habet. Atqui ut infinita energia in entropiam convertatur, tempus infinitum requiritur ideoque, etsi cursus mundi ab aeterno iam currat, non oportet nunc iam finem adesse.

Resp. Dist. mai... haberet energiam extensive infinitam C. intensive infinitam, i. e. in singulis corporibus Nego. Ctr. min. Explicatio: Illa infinita extensio solum efficeret ut locis infinite multis conversio in calorem fieret, i. e. singulis horis infinita quantitas energiae non thermicae consumeretur. Singulis autem locis finita esset quantitas energiae convertendae et haec finita quantitas singulis locis processu durationis finitae exhauriretur.

8.ª Mutationes olim factae sunt infinite parvae et sensim intensitas mutationum ad praesentem magnitudinem crevit. Et sic ab aeterno processus mundi currere potuit.

Resp. Illae mutationes infinite parvae gratis finguntur; immo repugnat ut celeritas infinitessima, qua sc. corpus iugiter locum in eamdem directionem mutat, quin tamen per omnia saecula mensurabiliter a primo loco distet.

## 214. OBIECTIONES contra thesim.

1) Aqua calida se reducit ad frigiditatem. Atqui ipsa sola hoc facit. Ergo quidquid movetur non semper ab alio movetur.

Conc. mai. et Nego minorem.

Explicatio: Aqua calida amittit aliquam qualitatem et motum cum ea connexum; eo autem calorem amittit quod agit in alia corpora minus calida et eis suum calorem communicat. Item ut iam diximus non est quaestio in thesi de amissione alicuius perfectionis ut accidit in casu allato.

2) Motus deorsum resultat in lapide ex intrinseca gravitate. Ergo non ab alio quam a se ipsa movetur per virtutem innatam ex qua talis motus resultat.

Dist. ant. A solo lapide ex intrinseca gravitate ut a principio adaequato N.; etiam a lapide ex intrinseca gravitate C.

Explicatio: Lapis ratione motus adquirit novas ubicationes et perfectiones, quarum ut diximus, principium adaequatum in solo lapide ex intrinseca gravitate inveniri non potest.

3) Animal cum movetur localiter (iuxta Aristotelem), non movetur a supposito alieno, sed per appetitum et animam movet corpus proprium. Ergo quidquid movetur non semper ab alio movetur.

Dist. ant. Animal movetur inadaequate a se ipso C.; movetur adaequate Nego.

Explicatio: Intra idem animal id quod movet est anima et eius potentiae, quod autem movetur est totum. Ergo id quod movet realiter inadaequate distinguitur ab eo quod movetur. Insuper requiritur motor ab ipso animali distincto.

4) Intellectus hominis se movet ad intelligendum seu ex potentia intelligendi transit ad actum intellectionis—idem dic de voluntate ad volitionem—. Ergo ipse est motor et mobilis.

Dist. ant. se movet inadaequate C.; adaequate N. ex dictis antea.

Explicatio: Etiam in ipso intellectu quod movet est intellectus cum specie intelligibili; quod movetur seu recipit est intellectus solus realiter inadaequate distinctus ab intellectu cum specie.

Intellectus cum specie est intellectione perfectior quasi in genere essentiae ideoque potest esse causa eius. Est autem simul intellectus imperfectior intellectione quasi in genere actualitatis ut actus primus est secundo inferior. Ergo intellectus ab intellectione perficitur et non potest esse eius causa adaequata.

Immo ens intelligens formaliter est melius quam ens non intelligens formaliter quia intellec-

tio est perfectio simpliciter simplex. Unde melius est habere illam formaliter quam eminenter virtualiter; inde si intellectus haberet illam eminenter adaequate et reciperet illam formaliter plus perfectionis acciperet (non solum quatenus est facultas passiva, non vero quatenus est activa ut volunt adversarii, sed in complexu facultatis activo-passivae) etiamsi consideretur solummodo respectus vitalitatis. Nam etiam sub respectu vitalitatis est plus actualitatis in actu 2.° seu cum intelligit quam in actu 1.° cum est in potentia ad intelligendum. Ergo intellectus respectu totius illius aspectus vitalitatis est causa inadaequata et sic iam potest eam recipere formaliter quamvis in suo ordine causae secundae contineat vitalitatem aliquo modo eminenter. Ergo ipse solus non potest esse causa adaequata sed requiritur semper causa actu formaliter intelligens.

5) Angeli, si dentur, de quibus in philosophia sola coniectura esse potest, moventur ad primam cognitionem tum a sua substantia, quae intime praesens facultati intellectivae est, ut obiectum eius; tum ab ipsa facultate intellectiva quae recipit intellectionem. Atqui in hoc casu res mota est intellectus angeli et res movens est tum substantia angeli, tum facultas intellectiva. Ergo unum idemque est motor et mobile.

Dist. mai. Angeli moventur... inadaequate C.; etiam adaequate Nego.

**215.** 6) Principium illud est falsum si causa activa ut transeat de potentia ad actum non eget moveri neque a se neque ab alio. Atqui causa activa non eget moveri neque a se neque ab alio ut transeat de potentia ad actum. Ergo principium est falsum.

Conc. mai. et nego minorem.

7) Potentia activa qua activa non eget moveri neque a se neque ab alio (no se muda ni por sí ni por otro) ut transeat de potentia ad actum, si transitus fit non per motionem praeviam in agente sed per actionem (estar obrando). Atqui talis transitus fit solummodo producendo actionem, actio vero non perficit agens ut agens. Ergo potentia activa qua activa non eget moveri neque a se neque ab alio ut transeat de potentia ad actum.

Dist. mai. si potentia activa est undequaque completa ita ut nullo modo perficiatur actione C. secus N.

Conc. min. et distinguo pariter consequens.

Explicatio: Transitus de potentia ad actum est actualizatio, quae non habebatur ante actionem. Iam vero omne quod transit de potentia ad actum, semper transit aliquo modo de potentia passiva ad actum (a statu non agendi ad statum agendi) unde hoc sensu iam perficitur.

8) Transitus de potentia activa in actum est actualizatio externa seu actio. Atqui actio non est in agente, nihil ponit in agente, sed in passo. Ergo neque ipse transitus est in agente, nihil ponit in agente.

Dist. mai. Ipse transitus qua talis seu motus formaliter sumptus est actio N. Fieri effectus prout dependet ab agente est actio C.

Cont. min. Ipse transitus non est ullo modo in agente, nihil ponit in agente N. (Transitus ab agente in passum non potest esse ab agente nisi prius sit in agente. Non est idem agens cum agit ac agens cum non agit).

Fieri effectus prout dependet ab agente non est in agente seu nihil ponit in agente qua tali C.

Explicatio: Agens quatenus agens non mutatur. Sed si transit de potentia activa in actum secundum simul est aliquo modo in potentia passiva, eget moveri et inde ipsum solum agens quatenus agens non potest esse causa adaequata sui motus.

9) Voluntas hominis praesupposita cognitione obiecti amabilis seu iudicio indifferenti intellectus circa obiectum, ipsa sola sine ulla determinatione praevia se determinat ad motum, ad volendum, volendo simpliciter. Ergo falsum est principium quidquid movetur ab alio movetur.

Nego antecedens.

10) Potentia activo-passiva ut est voluntas hominis positis omnibus praerrequisitis ad agendum, ut est activa neque a se neque ab alio eget moveri, ut vero est passiva movetur solum ab ipsa voluntate ut est activa. Ergo ipsa sola se determinat ad motum.

Nego antecedens vel distin. antec. Ut est passiva movetur a se ipsa ut est activa et quidem adaequate N. inadaequate C.

Explicatio: Voluntas est volitione perfectior quasi in genere essentiae, in arbore Porphyrii;

ideoque potest esse causa eius. Est autem simul voluntas imperfectior volitione quasi in genere actualitatis ut actus primus est secundo inferior. Ergo voluntas a volitione perficitur et non potest esse eius causa adaequata.

Voluntas ut est activa est in actu virtuali inadaequato relate ad volitionem realiter et numerice distinctam a perfectione voluntatis. Voluntas ut est potentia passiva recipere debet illam volitionem. Unde voluntas movet se ipsam, sed non adaequate.

11) Mobile non potest esse in actu et potentia simul, si actus et potentia sumantur in eodem sensu v. c. aqua calida in actu formali ut 8.°; et calida in potentia formali ut 8.°. Similiter equus pater non potest esse simul in actu formali productionis equi filii seu cum gignit filium et in potentia formali passiva productionis equi filii. Sed potest esse simul in actu et potentia respectu diversorum: sic equus pater ante causationem erat simul in actu virtutis productivae filii et in potentia formali passiva ipsius productionis filii (carebat formali et individuali perfectione filii). Ergo mobile potest esse simul in actu et potentia respectu diversorum.

Dist. ant. Potest esse simul respectu diversorum in actu virtuali adaequato (non haberet ullam passivitatem quoad illam perfectionem) et in potentia formali N.; non daretur motus de potentia in actum. In actu virtuali inadaequato et inde potente producere perfectionem formalem et in potentia formali C.

12) Nulla est difficultas in eo quod aliquod mobile habeat determinatam virtutem et perfectionem eminenter actu et simul sit in potentia ad eam formaliter adquirendam. Atqui hoc nihil aliud est quam mobile posse esse in actu virtuali eminentiali et in potentia formali. Ergo mobile potest esse...

Nego mai. si agitur de virtute adaequata.

Explicatio: Si actu est perfectio aliqua eminenter adaequate in aliquo subiecto non potest simul idem subiectum esse in potentia ad illam perfectionem formaliter adquirendam. Quare? Quia non daretur motus et praeterea quia una eademque perfectio non potest esse simul in eodem subiecto eminenter et formaliter. Tunc enim Deus qui continet eminenter actu omnem perfectionem, posset recipere quamlibet perfectionem formaliter, quod repugnat.

13) Qui possidet aliquam perfectionem in actu virtuali eminentiali et in gradu infinito et meliori modo possibili eam non potest recipere formaliter, quia hoc esset recipere aliquam imperfectionem, quae in Deum non cadit.

Sed qui habet aliquam perfectionem in gradu eminentiori, non tamen in gradu infinito nec meliori modo possibili potest se movere ad eam adquirendam modo formali, quia potest actuari alio modo quam qui erat in mera continentia virtuali (certe cum adiuvamine alius non ex impossibilitate quod res aliqua sit in actu et in potentia respectu eiusdem in hoc sensu confuso, sed ex principio causalitatis et contingentiae). Ergo potest aliquod mobile habere aliquam virtutem eminenter actu et esse in potentia ad habendam eam formaliter.

Conc. primam partem antecedentis.

Dist. secundam partem: si est in actu virtuali eminentiali adaequato N.; quia non daretur motus. Si est in actu virtuali inadaequato subd. totaliter seu adaequate a se ipso Nego; partialiter seu inadaequate C.

Explicatio: Agens, quod habet aliquam perfectionem actu eminenter i. e. in gradu superiori, si reciperet illam formaliter i. e. aequali gradu ac est in effectu, reciperet aliquam impertionem, amitteret aliquid realitatis seu perfectionis.

Si vero dicas non amittere quidquam si habeat eminenter et recipiat formaliter eo quod v. c. intellectio utpote perfectio simpliciter simplex melius et perfectius est habere formaliter quam eminenter. Tunc dico intellectum non posse producere, ut causam adaequatam perfectionem ordinis superioris. Unde intellectio in intellectu solummodo inadaequate contenta esse potest.

14) Si nulla res potest esse in actu virtuali adaequato et in potentia formali, tunc nulla datur in mundo causa activa, maxime causa immanens. Atqui dantur causae activae et immanentes. Ergo res potest esse simul in actu virtuali etiam adaequato et in potentia formali.

Nego maiorem.

15) Si causa secunda immanens se ipsam movet seu causat quomodolibet actum, sub eo respectu sub quo est causa sui actus esset simul in actu virtuali adaequato et in potentia formali. Atqui hoc iuxta te repugnat. Ergo nulla datur causa immanens.

Dist. mai. Etiam sub illo respectu a causa realiter distincto, quem efficere et recipere debet, se moveret seu causaret inadaequate, quia sub illo respectu esset plus actualitatis et plus perfectionis, unde esset simul in actu virtuali inadaequato et potentia formali C. aliter N.

16) Facultas immanens quae movet se ipsam ad motum, est perfectior post motum quam ante motum si comparetur cum facultate prout est passiva, non vero si comparetur cum facultate prout est activa. Ergo ipsa sola facultas immanens potest esse causa adaequata sui motus.

Nego antecedens.

Explicatio: Quamvis potentia activa ut est activa nihil activitatis, nihil novi adquirat cum motu, tamen erat potentia activa inadaequata relate ad actum. Ergo totus complexus (potentia et actus) perfectior est quam illud agens activum.

17) Potentia activa in motu producit aliquid solum extensive perfectius et in variatione entitatis (in mera conversione virtutis in formam siquidem nulla causa efficiens continet formaliter et individue perfectionem effectus) non vero intensive perfectius, (producere plura entia et varietatem entium proprium et essentiale est causae efficientis, nam virtus ad hoc nata est, nisi ad vocem vanam reducatur). Ergo ipsa sola potest producere actum.

Nego antecedens.

Explicatio: In complexu potentiae et actus est aliquid etiam intensive perfectius quam in causa sola ut est activa. Et si verum est virtutem illius causae activae aequivalere omnibus actibus quos producere potest dum duret facultas, semper est inadaequata quoad illos. Ergo semper eget cooperatione agentis externi ad omnes et singulos actus quos producere et recipere deberet, quin per hoc destruantur causae activae vel saltem causae immanentes.

18) Summa perfectionis quae habetur post motum superaret agens in totalitate actus. Atqui hoc signum est entitatem actus nullo modo contineri in facultate et sic non esse causam illius. Ergo summa perfectionis est eadem ante et post motum.

Nego maiorem.

Explicatio: Agens mobile est incompletum. Ergo quoad partem habebat iam perfectionem in actu virtuali; quoad partem vero non habebat. Ergo est causa illius quamvis sit incompleta.

**216.** 19) Plura possunt moveri cyclice alia ab aliis seu in circulum. Atqui tunc movens et motum habentur sine motore immoto. Ergo ex principio illo non possumus assurgere ad Deum, ut motorem immobilem.

Dist. mai. sine motore immoto et immobile exsistente extra cyclum N. cum motore immoto et immobili, qui motum imprimat alicui ex circulo C.

Contrad. min. et nego consequens.

20) Ponamus complexum duorum corporum A et B. Corpus A, utpote pollens vi attractiva et repulsiva movebit corpus B; et simul poterit moveri ab eodem corpore B, quia etiam hoc pollet vi attractiva aut repulsiva. Ergo unum movetur ultimo ab alieno supposito quod erit mobile et motor.

Dist. ant. moveri possunt inadaequate C.; ultimo a se ipsis seu adaequate N.

Explicatio: A. = ———————————— = B
a' b' c' c. b. a.

Corpora A et B se mutuo attrahunt et novas adquirunt ubicationes seu perfectiones a' b' c' = a b c.

Corpus A recipit perfectionem seu ubicationem a'. Hanc autem perfectionem non habebat formaliter, nec eminenter, nec virtualiter; utpote corpus anorganicum, adaequate ab alio supposito movetur, inde illam perfectionem totaliter ab alio acceptam habet.

A quo? A corpore B. Et corpus B quo gradu habet talem perfectionem? Si solum continet illam virtualiter inadaequate liquet non posse illam communicare corpori A eo quod causa inferior non potest producere effectum ordinis superioris.

Si corpus B continet perfectionem a' virtualiter adaequate eam continere debet etiam formaliter aut eminenter et tunc non daretur motus nec transitus de potentia activa ad actum

secundum. Est agens incompletum relate ad perfectionem a', est motor mobilis seu movens motum, eget iuvari seu moveri ab alio.

Hoc aliud non potest esse corpus A, quod nullum influxum exercet in B respectu perfectionis a'.

Ergo accepit ex corpore C. Tum quaero cns C vel est motor mobilis vel immobilis... etc. ...nec quiescam donec inveniam motorem immobilem, qui sit causa adaequata absoluta perfectionis seu ubicationis a'.

Ergo ex dictis constat nec corpus A nec corpus B nec duo simul posse esse causam adaequatam perfectionis seu ubicationis a', egent alio motore, qui ultimatim alius esse non potest nisi motor immobilis i. e. Deus omnipraesens.

21) Forsam dicas B habere aequivalenter saltem inadaequate a'.

A etiam habet aequivalenter saltem inadaequate a'; siquidem a' est aequivalens cum a, quam corpus A potest producere.

Ergo corpus A movetur a B et simul movet B.
B movetur ab A et simul movet A.

Ergo A et B sunt principium adaequatum perfectionis a'.

Dist. antc. Ubicationes a' et *a* conveniunt in quantum sunt ubicationes; sed toto caelo differunt quatenus sunt tales ubicationes; secus dico: sicut A potest producere *a* saltem inadaequate, posset etiam producere perfectionem (iuxta te aequivalentem) a', quod est falsum siquidem quoad hanc perfectionem adaequate movetur ab alio i. e. a B.

22) Corpus semel motum, solum sese ulterius movere localiter et novas ubicationes acquirere potest. Ergo quidquid movetur non semper ab alio movetur.

Nego antec.

Explicatio: Nam: Corpora inorganica certe sua activitate gaudent, sed si nullum motum habent, sponte sua (ex inertia materiae) nec motum acquirere, nec aliunde acceptum extinguere aut quolibet pacto modificare possunt.

Praeterea corpus sese movens novas ubicationes acquirit, quas qua tales nec formaliter nec eminenter adaequate habebat, quaeque proinde ultimatim procedere debent ab ente illas actu habente, nempe ab ente omnipraesente.

Unde corpus inorganicum, quamvis habeat naturam activam, gaudet activitate in aliud, quod movere et perficere saltem inadaequate potest. Sese movere, sese perficere etiam inadaequate non potest: quoad motum sui adaequate movetur ab alio.

Est falsa theoria illorum physicorum modernorum qui admittunt principium: motus est proprietas essentialis materiae.

Alii physici moderni dubitant num motus localis formaliter qua talis implicet mutationem realem. Possumus transmittere vel etiam dicere hoc: acquirit novam ubicationem ergo etiam novam perfectionem.

23) Quidquid movetur eatenus ab alio movetur quatenus de potentia transit in actum. Atqui res mota ab aeterno posita, numquam fuit in potentia sed semper in actu. Ergo res moveri possunt sine recursu ad motorem immotum et immobilem.

Dist. ant. quatenus de potentia transit ad actum per realem distantiam durationis interiectam inter statum potentiae et actus N.; per insufficientiam rei motae ad actum motus ex se habendum, unde reapse quatenus est de se in potentia et solum per virtutem alterius transire potest in actum C.

Contrd. min. et nego consequens.

**217.** 24) Motor ille potest habere vim movendi non acceptam per motum seu supposita iam exsistentia motoris per transitum de non-habere ad habere, sed per vim innatam cum natura vel ex vi suae naturae. Ergo ex vi principali erit motor ultimus, qui sit immotus et immobilis solum quoad illam perfectionem quam communicat aliis.

Sed potest esse mobilis respectu multarum perfectionum quarum acquisitio per motum non implicat contradictionem, licet fortasse eas non acquirat de facto, quia de facto non est motor aptus, qui eas reducat de potentia in actum. Ergo motor obtentus non esset penitus immobilis.

Dist. antecedens. Potest habere vim illam ex vi suae naturae adaequate seu ut ex prin-

cipio adaequato N (quia non haberet ullam passivitatem quoad illam perfectionem, non esset in actu primo seu in potentia ad actum perfectionis non praehabitae). Inadaequate, unde tandem per vim acceptam ab alio motore ultimatim a motore immobili saltem quoad illam perfectionem C.

EXPLICATIO: Motor ille esset agens incompletum, inde non moveret se ad actum nisi moveretur ab alio.

25) Ita procedis in tua argumentatione:

Motor ille habet vim movendi innatam cum natura; illa autem natura aut est a se aut est ab alio. Si est a se est Deus; et si ab alio dependet essentialiter ab illo, qui adiuvet in motu et ille est motor immobilis Deus. Ergo argumentum probat non ex motu, sed ex principio causalitatis.

Nego totum.

EXPLICATIO: Motor ille non potest habere vim innatam cum natura adaequate qnoad novam perfectionem, siquidem cum illa vi est adhuc in actu primo et solus non potest transire ad actum secundum, i. e. ad perfectionem quam superat suam virtutem sicut actus primus superat secundum. Proinde est motor mobilis, ab alio debuit moveri ultimatim a motore immobili.

26) Si enim res ut est activa determinaret seu moveret se ipsam, esset in actu et potentia respectu eiusdem. Atqui hoc iuxta te est contradictorium. Ergo creatura non potest determinare se ipsam, sed ab alio supposito distincto determinanda est per physicam praedeterminationem.

Dist. mai. Esset simul in actu virtuali adaequato et in potentia formali respectu eiusdem N. esset simul in actu virtuali inadaequato et in potentia formali respectu eiusdem C.

Contrd. min. et nego consequens.

EXPLICATIO: Unde non requiritur praedeterminatio. Determinatio actus venit a causa secunda sed cum cooperante externo eo quod sit agens incompletum.

27) Esse in potentia dicit se non habere illud ad quod est in potentia; esse in actu dicit se habere illud. Atqui inter habere aliquid et non habere non datur medium. Ergo intellectus ne inadaequate sese movere potest ad intellectionem.

Dist. mai. esse in potentia pure passiva dicit hoc C.; esse in potentia activa dicit hoc subd.; dicit se non habere illud formaliter C.; se non habere illud ne virtualiter quidem saltem inadaequate N.

Contrad. min. et nego consequens.

28) Nihil reducitur de potentia in actum nisi per ens actu. Atqui intellectus est in potentia ad motum sui, non in actu etiam inadaequato. Ergo debet adaequate moveri ab alio.

Dist. mai. si agitur de potentia pure obiectiva C.; si agitur de potentia unius perfectionis ad actum eiusdem Subd. nisi per ens actu exsistens et actu continens virtutem productivam eiusdem perfectionis C.; nisi per ens actu exsistens et actu continens formaliter individue eamdem perf. N.

## ARTICULUS II

### ARGUMENTUM EX EFFECTIONE

*(2.ª via S. Thomae)*

**THESIS 6. Mundi entia causata certo nos ducunt ad Deum sub conceptu causae primae incausatae et personalis.**

218. **Bibliographia.**—S. THOMAS, 1, q. 2, a. 3; 1 CG, c. 13.—SUÁREZ, DM 29, 1, 20 et ss.; D. 28, 1, 6-7.—DESCOQS, *Prael. Theol.Nat.* 1, p. 311-319.—URRABURU, *Theod.* 1, p. 95.—LOINAZ, *Prael. e Theol. Nat.*, p. 58 ss.—SCHAAF, *Theol. Nat.*, p. 112 ss.—HELLÍN, *Theol. Nat.*, p. 161 ss.—MZ. DEL CAMPO, *Theol. Nat.*, p. 45 ss.—GONZÁLEZ ÁLVAREZ, *Theol. Natural*, p. 258 ss.—CHOSSAT, DTC, col. 943.—BORDOY-TORRENTS, *De «secunda via» divi Thomae:* CT, 19 (1927), 197-207.

219. **NEXUS.** In argumento praecedenti consideravimus mundi entia mutabilia. In hoc argumento (2.ª via S. Thomae, argumentum cosmologicum ex causalitate) considerantur mundi entia causata et causantia.

### 220. NOTIONES.

**DEUS** est causa prima incausata et ens a se.

**CAUSA** *in genere* est principium per se influens esse in aliud.

*Principium:* id a quo aliquid procedit quomodocumque. Unde omnis causa est principium, sed non omne principium est causa.

*Per se:* vere influit, non autem solum comitatur ei quod influit, sicut musicus comitatur architecto in aedificatione domus.

*Influens esse:* dans esse.

*In aliud:* in aliam naturam sive inadaequate sive adaequate distinctam a principio: Hinc

Causa potest esse interna et externa.

*Causa interna* est principium per se influens esse in aliud secundum esse inadaequate a se distinctum et quidem communicatione sua. Unde haec causa manet intra effectum suum. Tales sunt causa materialis et formalis.

*Causa materialis* est principium per se influens esse in aliud (in compositum) unione seu communicatione sua tamquam pars indeterminata et determinabilis.

*Causa formalis* est principium per se influens esse in aliud (in compositum) unione seu communicatione sua tamquam pars specifice determinans.

*Causa externa* est principium per se influens esse in aliud secundum esse a se adaequate distinctum.

Haec causa manet extra suum effectum. Tales sunt causa finalis, exemplaris, efficiens.

*Causa finalis* est principium per se influens esse in aliud secundum esse a se adaequate distinctum et quidem bonitate sua seu sub ratione boni.

*Causa exemplaris* est principium per se influens esse in aliud secundum esse a se adaequate distinctum et quidem forma sua seu sub ratione taleitatis formalis.

**Causa efficiens** est principium per se influens esse in aliud secundum esse a se adaequate distinctum et quidem actione sua sub ratione ipsius esse.

*Adaequate distinctum* dicitur, unde est principium extrinsecum relate ad rem cui dat esse.

*Actione sua:* actio enim est ultima actualitas seu causalitas causae efficientis.

*Sub ratione ipsius esse* siquidem determinat esse seu exsistentiam rei contingentis.

*Effectus* causae efficientis est ille terminus, qui accipit esse a principio adaequate distincto et quidem actione eius.

**221.** Causa efficiens potest esse causata et incausata.

*Causata* est illa quae causat aliud ita ut ipsa quoque fuerit ab alio causata v. c. ignis cremans lignum.

*Incausata* est illa quae causat aliud quin ipsa sit causata; sic Deus producens mundum.

Causa causata potest esse: coordinata et subordinata:

*Coordinata* est illa quae simul cum alia et absque dependentia inter se in sua natura vel saltem in sua activitate propria, concurrit immediate ad productionem sui effectus v. c. duo equi trahentes currum, etsi procederet unus ab alio, saltem sunt independentes in sua activitate.

*Subordinata* est illa quae ordine est post aliam et producit effectum (aliquo modo) dependenter ab illa priori.

Causa subordinata potest esse: sub. per se et per accidens.

*Subordinata per se* est illa quae ordine est post aliam causam et producit effectum ita ut in ipsa actuali operatione dependeat ab actuali influxu prioris causae v. c. cum faber per manum et serram intendit secare lignum.

Haec subordinatio dicitur essentialis, quia ex ipsa actionis essentia requiritur actualis influxus praecedentium causarum. In serie causarum sic subordinatarum, causa prima in illa serie (faber) intendit ultimum effectum (sectionem ligni) per varias causas medias (per manum et serram); omnes causae actu exsistere et influere debent ut effectus obtineri queat; tandem omnes heterogeneae et diversi ordinis sunt.

*Subordinata per accidens* est illa quae est ordine post aliam et producit effectum ita ut quatenus causa, quatenus agens seu in sua actuali operatione non dependeat actualiter ab influxu prioris causae. Sic v. c. faber eiusque pater, avus, proavus respectu mensae factae. In hoc exemplo faber pendet ab anterioribus in praeterito.

Eodem modo si faber ad serrandos lignos serras plures successive assumit, multitudo serrarum non requiritur nisi per accidens ad sectionem lignorum, ex hoc tantum quod una non potest semper durare. In hoc exemplo una non pendet ab alia in actuali operatione, neque in praeterito a praecedente processit.

Haec subordinatio recte vocatur accidentalis, nam faber ut agens respectu mensae per accidens dependet a patre; etsi enim ab alio v. c. immediate a Deo esset productus eodem modo agere posset.

In serie causarum sic subordinatarum, causa prima in illa serie (proavus) intendit tantum effectum proximum (avum); non requiritur ut quando causa postrema (faber) agit, reliquae causae exsistant; tandem ut plurimum sunt homogeneae.

222. Ens personale intelligitur hic modo vulgari, ens intellectu et voluntate praeditum, actu sui conscium et subsistens independenter ab aliis rebus (i. e. non facit unum in subsistendo cum aliis entibus praesertim materialibus ut volunt pantheistae).

## 223. STATUS QUAESTIONIS.

1. Quaeritur utrum necne ex effectibus mundanis et per causas efficientes causatas possimus ascendere ad primam causam incausatam (in essendo et in causando).

224. 2. In quo nititur thesis?

a) *Factum experimentale* erit quaelibet rerum effectio sive substantialis sive accidentalis; sed maxime attendimus ad illam efficientiam quae producit novas substantias v. c. planta generat plantam, homo hominem, equus equum.

Effectio rei sumi potest: *a)* active seu ex parte causae causatae (ex causalitate causae causatae); *b)* passive seu ex effectu causae efficientis causatae.

b) *Principium metaphysicum* est principium causalitatis in sua stricta acceptione, quod sic enuntiatur: «quidquid producitur seu causatur ab alio producitur seu causatur».

225. 3. Praescindimus in argumentatione a possibilitate vel impossibilitate multitudinis infinitae in causis subordinatis sive per se sive per accidens; argumentum est validum in qualibet hypothesi, nam series sive finita sive infinita causarum causatarum sine causa incausata repugnat. Attendimus in argumento ad causas ordinatas uno vel alio modo.

226. 4. Thesis habet duas partes.

—*In prima parte* demonstramus exsistere aliquam causam incausatam et ens a se. Implicite probatur etiam talem causam esse unicam, sed non explicite.

—*In secunda parte* demonstramus causam incausatam obtentam in prima parte esse ens personale.

227. **ADVERSARII:** Enumerati sunt in thesi 3.ª

**CENSURA:**

Philosophice certa; in Theologia saltem est doctrina Catholica quod demonstratur ex effectibus. DB n.º 2145.

## 228. PROBATUR.

**1.ª Pars.** Dantur in mundo effectus seu entia producta, causata. Atqui si dantur entia causata datur prima causa incausata et ens a se. Ergo datur prima causa incausata et ens a se.

*Maior.* Constat ex experientia: plura exsistunt in mundo causata a causis efficientibus mundanis: planta nova, animal novum, nova entia intellectiva, actu sui conscia et volitiva producuntur de novo, incipiunt exsistere.

*Minor.* 1) Nam quidquid producitur seu causatur ab alio producitur seu causatur et non a se ipso ut constat ex principio causalitatis (nam res quae fit aut producitur per effectionem acquirit esse, antea erat nihil; res autem quae facit aut producit supponitur habere esse et ideo claram repugnantiam involvit quod idem faciat se ipsum).

Unde res facta seu causata causatur ab alio. De hoc alio quaeram utrum sit et ipsum causatum an incausatum. Si est incausatum habeo intentum; si causatum de hoc rursus quaeram idem nec quiescam donec inveniam causam primam incausatam per seriem (etiam si sit infinita) causarum causatarum, quas in mundo alias ab aliis oriri conspicimus et in quibus est plena insufficientia seu sunt nihil in ordine ad exsistentiam propriam et a fortiori ad producendam exsistentiam alienam (ut enim aliqua res aliam producat, debet prius ipsa exsistere, quare si singulae res effectae ex sua essentia sunt insufficientes ad exsistendum—antequam exsistant—a fortiori ex sua essentia sunt insufficientes—si adhuc non exsistunt—ad dandum exsistentiam aliis).

Eodem processu probatur quod ens incausatum seu improductum sit etiam improductibile in ea ratione in qua improductum est.

2) Ut patet experientia datur series causarum efficientium actu dependentium inter se, quae per modum unius concurrunt ad eamdem actionem et effectum ita ut unaquaeque non causet nisi in quantum determinetur ab alia superiore. Atqui ubi datur talis series, debet dari alia causa, quae sit principalis et prima, non subordinata, quae suam efficientiam ab alia non repetat et sit causa efficiens omnium causarum subordinatarum: secus non daretur causa adaequata productionis et effectus, quia unaquaeque causa in illa serie (sive finita sive infinita) esset dependens ab alia superiori causa; immo tota collectio esset dependens, omnes causae in illa serie essent causae mediae et inde insufficientes ad operandum.

Ergo extra illam seriem debet dari aliqua causa quae sit principalis et prima, causa incausata seu absolute independens in operando et inde etiam absolute independens in essendo.

**229. 2.ª Pars.** Causa incausata, improducta, improductibilis et a se exigit esse semper idem sine ulla omnino mutatione intrinseca. Atqui mundus continuo mutationibus est obnoxius. Ergo causa incausata, improducta, improductibilis, et a se obtenta in prima parte non esse potest unum cum mundo.

*Maior.* Si talis causa mutari possit intrinsece quovis modo, diceret aliquam potentialitatem, nempe posse recipere aut amittere aliquid, posse esse aut non esse quoad aliquid sui intrinsecum. Iam vero quod potest esse aut non esse, ut sit, ut exsistat eget causa efficiente, inde esset productibile. Ergo causa ex essentia sua improducta et improductibilis esset simul ex essentia sua productibilis quoad aliquid sui intrinsecum quod repugnat.

Si talis causa est absolute immutabilis eo ipso est absolute independens: si enim dependeret quovis modo intrinsece ab alio ex hoc capite possit ei advenire aliqua mutabilitas, contra id quod probatum est. Nec potest esse unum cum materia, quae natura sua mutabilis est.

Est intellectu, voluntate et conscientia sui praedita et quidem actu (in causa incausata nulla dari potest potentialitas) secus non daretur ratio sufficiens entium habentium intellectum, voluntatem et conscientiam.

**230. SCHOLIUM.** Alia argumenta, quae proponuntur ab auctoribus non sunt nisi applicationes particulares huius argumenti generalis.

1. Argumentum etiologicum: Ex inceptione singularium viventium. Ex experientia abundantissime constat dari in mundo entia, quae incipiunt vivere. Ergo habent causam efficientem (ex principio causalitatis). Atqui haec causa debet esse *a)* causa vivens (ex principio: omne vivens ex vivente); *b)* ultimatim causa quae a se vivat, Deus. Ergo exsistit Deus.

**231.** 2. Argumentum biologicum: Ex inceptione ipsius vitae in mundo. Vita organica in terra aliquando incepit exsistere. Ergo habuit causam (ex principio causalitatis). Atqui haec causa non potest esse alia nisi Deus. Ergo exsistit Deus.

*MAIOR* constat ex Geologia et Paleontologia.

**232.** 3. Argumentum anthropologicum: Ex inceptione hominum. Primi homines aliquando inceperunt exsistere, ut constat ex Geologia et Paleontologia. Ergo habuerunt causam (ex principio causalitatis). Atqui haec causa ultimatim non potest esse alia nisi causa prima incausata. Deus. Ergo exsistit Deus.

*MINOR*. Unica causa, quae assignatur praeter illam causam supramundanam, est aliqua bellua. Iam vero a belluina aliqua specie non potest provenire anima humana, utpote spiritualis et immortalis, et evolutionismus anthropologicus minime demonstratur.

## 233. OBIECTIONES.

1) Demonstratio tua nititur experientia Atqui experientia non exhibet nisi causas secundas. Ergo causa prima non demonstratur ex causis causatis.

Resp. Nititur experientia adiuta ratiocinio C.; sola experientia, N.

Atqui neque experientia adiuta ratiocinio ostenditur exsistentia causae primae. Ergo...

2) In tua demonstratione exigitur causa prima ut exsistentia causarum mundanarum explicetur. Atqui exsistentia causarum mundanarum sufficienter explicatur per causas secundas. Ergo causa prima neque experientia adiuta ratiocinio demonstratur.

Dist. mai. Ut explicetur proxime et inadaequate N.; ultimo et adaequate C.

Cr. Dist. minorem: proxime et incomplete C.; etiam sunt ultimo et complete sufficientes N.

Atqui causae causatae sunt ultimo et complete sufficientes. Ergo...

3) In causis causatis ordinatis processus in infinitum possibilis est. Atqui processus in infinitum vitat necessitatem causae primae incausatae. Ergo causae causatae sunt ultimo et complete sufficientes.

Resp. Tr. maior. Nego minorem.

Explicatio: De facto scimus nos venire v. c. in serie viventium causatorum et causantium ad primum vivens in eadem serie v. c. ad primos homines et sic de facto non datur regressus in infinitum. Quare prima viventia produci debuerunt ab alio ente vivente, extramundano.

—Sed supponamus possibilitatem huius regressus: *a* procedit ex *b*; *b* procedit ex *c*; *c* ex *d*... et sic in infinitum. Quid sequeretur? Nos non posse assignari primam causam causatam a qua series initium duxerit. Age vero:

*a* est causatum, ergo habet plenam insufficientiam ad exsistendum.

*b* est causatum, ergo habet plenam insufficientiam ad exsistendum.

*c* est causatum, ergo habet plenam insufficientiam ad exsistendum.

Uno verbo tota series, etsi infinita, esset causata; in tota illa serie haberetur plena insufficientia ad exsistendum. Ergo extra seriem illam deberet esse causa incausata a qua remote tota series causaretur sive sit finita sive infinita.

—Forsam dicas: *a* habet plenam insufficientiam ad exsistendum, sed procedit ex *b*. Ita sane, sed *b* est causatum ergo habet plenam insufficientiam ad exsistentiam propriam et a fortiori, antequam exsistat, ad producendum exsistentiam *a*. Hinc quoniam ratio sufficiens adaequata pro exsistentia alicuius rei est illa ultra quam alia non requiritur et in casu praeter causas proximas requiruntur aliae remotiores, ultimatim causa incausata, *b* non est ratio sufficiens adaequata pro exsistentia *a*.

Series sive finita sive infinita causarum causatarum subordinata sive per se sive per accidens sine causa prima incausata repugnat. Si enim series sive finita sive infinita est causata seu producta, quaero: a quo? Non ab aliqua causa extra seriem causarum causatarum, quia non datur ex hypothesi.

Neque ab aliqua causa intra seriem, quia omnia essent causata ab illa et quoniam haec est causata seu producta necessario pendet a se ipsa seu producta est a se ipsa saltem mediate quod repugnat.

Ergo illa series sive finita sive infinita esset causata et tamen non daretur causa illius, quod repugnat.

4) Ponamus seriem circularem causarum causatarum et causantium sic: A producit B, haec producit C, haec producit D et haec producit A. Ergo vitatur necessitas causae incausatae.

Resp. Nego ant. Quia A produceret se ipsam mediate per suum effectum, D. Et hoc repugnat quia ageret priusquam esset: non enim exsisteret A nisi ut producta ab aliquo effectu suo et interea dum non erat producta nec exsistebat iam produxit effectus B. C.

5) Unus remex v. c. non potest trahere navim; plures remiges illam trahere possunt. Ergo a pari unaquaeque causa causata non sufficit, sed series infinita potest continere rationem sufficientem exsistentiae.

R. Nego consequens et paritatem; quia unusquisque remex inchoative confert aliquam vim ad trahendam navim; sed unaquaeque causa causata habet plenam insufficientiam ad exsistendum.

Atqui non demonstratur exsistentia causae incausatae ex creatis etiam si haberent plenam insufficientiam ad exsistendum. Ergo...

6) Ex causatis seu effectibus concluderetur ad Deum ut unicam causam incausatam. Atqui hoc admitti non potest; quia unus effectus habere potest plures causas. Ergo ex causis causatis non demonstratur exsistentia causac incausatae.

R. Dist. Mai. sive mediate sive immediate C.; praecise immediate N.

Contr. min. Non concluditur immediate et explicite causa unica incausata C.; nec implicite, N.; Dist. rationem; plures immediatas C.; plures remotas et mediatas seu ultimas incausatas N.

Atqui neque remote seu mediate pervenitur ad causam incausatam.

7) Conceptus causae primae incausatae involvit necessitatem creationis. Atqui creatio ex nihilo concipi nequit. Ergo neque concipi potest causa prima incausata.

R. Dist. minor. Creatio est impossibilis N.; non habemus eius conceptum Subd. non proprium ex propriis C.; non habemus conceptum analogum N.

Atqui creatio impossibilis est.

8) Ex lege constantiae materiae et energiae quae dicit: «summa materiae et energiae mundi necessario semper eadem manet». Atqui ex hoc sequitur nullam unquam materiam et energiam creatione ortam esse. Ergo creatio impossibilis est.

R. Dist. mai. Lex illa dicit nullam materiam vel energiam penitus novam oriri per vires naturae C.; non posse ortum habere per Deum. N.

9) Probandum est exsistere nunc causam incausatam. Atqui argumentum tuum ad summum probaret exstitisse aliquando. Ergo ex causis causatis non demonstratur exsistere nunc causam incausatam.

R. Concedo maiorem et N. minorem. Causa enim improducta et improductibilis a nobis demonstratione obtenta est ens a se, exsistit vi essentiae suae, est absolute immutabilis, unde non potest perire ullo modo.

10) Argumentum 2.ae partis probat ens improductum et improductibile esse immutabile ex parte causae efficientis, non vero ex parte causarum materialium et formalium. Ergo argumentum non probat absolutam immutabilitatem.

Resp. Nego antecedens.

Explicatio: In ente improducto et improductibile nulla dari potest mutabilitas, nulla potentialitas. Omnis enim mutatio intrinseca est aliquid quod potest esse et non esse, aliquid de novo exsistens; antea non erat nunc est, antea erat pure possibile nunc est aliquid exsistens, incipit exsistere; iam vero ex principio causalitatis semper in his casibus requiritur aliqua causa efficiens; ergo illud erit causatum, productum. Ergo non pertinet ad ens improductum et improductibile.

2) Si darentur in ente improducto materia et forma, daretur etiam multiplex dependentia: materia dependet a forma; forma autem dependet a materia. Totum compositum dependet a materia et forma. Iam vero ens improductum et improductibile est absolute independens.

## ARTICULUS III

### ARGUMENTUM EX ENTIBUS CONTINGENTIBUS
### *(3.ª via S. Thomae)*

**THESIS 7. Mundi entia contingentia certo nos ducunt ad Deum sub conceptu entis absolute necessarii et personalis.**

234. **Bibliographia.**—ARISTOTELES, *12 metaph.*, c. 6; *De caelo*, I, c. 12.—S. THOMAS, 1, q. 2, a. 3; 1 CG, c. 15, n. 4; 1. 2., c. 15, n. 5.—SUÁREZ, DM 28, 1, 8-12; D. 29, s. 1, n. 20.—CHOSSAT, DTC, col. 944-945.—GARRIGOU-LAGRANGE, *Dieu*, pp. 269-276; DAFC, col. 1.041-45.—DESCOQS, *Prael. Th. Nat.* 1, pp. 237-285.—SCHAAF, *Theol. Nat.*, p. 122.—LOINAZ, *Prael. e Theol. Nat.*, p. 61.—HELLÍN, *Theol. Nat.*, p. 168.—GAYRAUD, *Les vielles preuves de l'existence de Dieu:* RevPh, 2 (1908), 19 ss.—HALLEUX, *Les preuves de l'existence de Dieu:* RevNéoscolPh (1907), pp. 149 165; 304-328.—AMOR RUIBAL, *Los problemas fundamentales...*, t. 6, p. 612.—SERTILLANGES, *La contingence dans la nature selon Saint Thomas d'Aquin:* RevScPhTh (1909), pp. 665-681.—M. F., *La preuve de l'existence de Dieu par la contingence dans la Somme Theol.:* RevPh, 32 (1925), 319.—BAGLIOLO, *Dall'esistenza dell'essere particolare all'assoluto, unica via di ascesa razionale a Dio:* «Salesianum», 9 (1947), 487 ss.—QUILES, *Un elemento existencial de la tradición escolástica. La contingencia del ser finito:* CyFe, 5 (1949), 77 ss. In «Congreso Internacional de Filosofía de Barcelona», t. II (1949), p. 405 idem evolvit.—Pío XII, *Las pruebas de la existencia de Dios a la luz de la ciencia natural moderna;* discurso a la Academia Pontificia de las Ciencias (1951).

### 235. NEXUS.

In thesi praecedenti consideravimus entia mundana causata et causantia ut via ad Deum. In hoc argumento, 3.ª via S. Thomae, considerantur mundi entia quae sunt contingentia.

### 236. NOTIONES.

CONTINGENS. *Late sumptum* est id quod vi essentiae suae potest esse vel non esse sive de facto exsistat sive non. Unde, si exsistit, non exsistit vi essentiae suae, non habet in sua essentia metaphysica rationem sufficientem suae exsistentiae physicae, sed ab alio vel in alio quaerenda est. Sic sunt contingentia omnia possibilia et actualia excepto Deo.

*Stricte sumptum* est id, quod ita exsistit iam de facto ut possit non exsistere. Unde non exsistit vi essentiae suae, non habet in sua essentia metaphysica rationem sufficientem suae exsistentiae physicae, sed ab alio vel in alio quaerenda est. Hoc sensu sunt contingentia omnia entia actualia excepto Deo.

NECESSARIUM. In genere est illud ens quod non potest non exsistere. Potest esse n. per se et n. per alterum.

*Nec. per se* simpliciter seu absolute: est illud quod non potest non esse seu exsistere sub omni respectu et independenter ab omni conditione. Unde, si exsistit, exsistit vi essentiae suae; habet in sua essentia metaphysica rationem sufficientem suae exsistentiae physicae.

*Nec. per alterum* seu hypothetice est illud quod non potest non exsistere, dependenter tamen ab aliqua hypothesi vel conditione. Sic mundus, in opinione (falsa) creationis necessariae nequiret non exsistere, sed supposito Deo; ex suis vero constitutivis mundus etiam in illa hypothesi esset contingens.

Ut vides, necessarium et contingens in praedictis definitionibus intelligitur ontologice et in ordine entis; sed aliis etiam modis accipi possunt: Sic

—*in ordine logico* illatio dicitur necessaria vel contingens

—*in ordine agentis* causa dicitur necessaria vel contingens seu libera; et effectus ontologice necessarius vel contingens.

—*in ordine ad finem* medium dicitur ontologice necessarium vel contingens. etc...

**ENS A SE** est illud, quod non accipit esse ab alio, inde habet exsistentiam physicam vi suae essentiae formaliter non efficienter.

**ENS AB ALIO** est illud quod accipit esse efficienter ab alio, inde non habet exsistentiam physicam vi essentiae suae.

**ENS PERSONALE** (vulgariter) est ens intellectu et voluntate praeditum, actu sui conscium et subsistens independenter ab aliis rebus.

## 237. STATUS QUAESTIONIS.

1. QUAERITUR utrum per seriem entium contingentium possimus ascendere ad aliquod ens absolute necessarium necne.

Ad hoc obtinendum probandum est: *a)* Dari entia contingentia sensu explicato; ex quo sequitur notionem entis contingentis et entis ab alio mere nominalem initio datam esse vere obiectivam. *b)* Hoc posito eorum rationem sufficientem adaequatam et ultimam esse solum ens absolute necessarium et a se. Unde definitio nominalis initio data entis absolute necessarii et a se eo ipso fit realis vere obiectiva.

## 238. 2. QUO NITITUR THESIS?

a) *Factum experimentale:* sunt entia contingentia stricte talia. Contingentia vero probatur immediate ex quovis genere mutationis intrinsecae, quae supponit semper mutabilitatem intrinsecam afficientem totum omnino subiectum, quod intrinsece mutatur.

Inde hoc argumentum vocatur generatim argumentum cosmologicum (κοσμος, mundus); ab aliquibus vero vocatur argumentum alloiologicum (αλλοιόω, mutare).

b) *Principium metaphysicum* est principium causalitatis in sua stricta acceptione, quod sic enuntiatur: Contingens habet causam efficientem realiter a se distinctam.

**239.** 3. POSSUMUS permittere hypotheses sequentes:

—exsistentiam mundi ab aeterno;

—entia mundana alia ab aliis procedere serie infinita.

Thesis nostra stat etiam in illis hypothesibus: mundus enim, etsi ab aeterno exsisteret, ex suis constitutivis esset contingens; item series sive finita sive infinita entium contingentium sine ente absolute necessario repugnat.

**240.** 4. Thesis habet duas partes:

—*in prima parte* per seriem entium contingentium in quibus adest plena insufficientia ad exsistendum assurgimus ad aliquod ens absolute necessarium. Hic adhuc explicite (certe implicite) non probamus esse unicum;

—*in secunda parte* demonstrabimus tale ens obtentum in prima parte esse ens personale sensu explicato: realiter distinctum a mundo, intellectu et voluntate praeditum et actu sui conscium.

**241. ADVERSARII.** Iam enumerati sunt in thesi 3.ª

1. OMNES ATHEI. a) *Determinismus* atheus iuxta quem non datur nisi materia aeterna, infecta necessario et determinato modo sese evolvens: DEMOCRITUS, LEUCIPUS, EPICURUS, LA METTRIE, HOLBACH, FEUERBACH, MOLESCHOT, HAECKEL, LE DANTEC, etc...

b) *Indeterminismus* atheus iuxta quem omnia casu aut saltem sine intrinseca ratione sufficienti fieri; nulla determinatio, lex..., vacat Deus.

2. CRITICISTAE iuxta quos argumentum cosmologicum implicaret argumentum ontologicum.

3. PANTHEISTAE: pro ipsis nulla datur contingentia.

4. OMNES, qui negant principium causalitatis esse analyticum et vere obiectivum. Sic HUME et alii, quos iam supponimus refutatos in Ontologia.

**CENSURA:** Certa.

**PROBATUR.**

**242.** **1.ª Pars.** Exsistunt in mundo entia contingentia. Atqui si exsistunt entia contingentia exsistit ens absolute necessarium. Ergo exsistit ens absolute necessarium.

*Maior.* Ut constat ex experientia entia mundana mutantur realiter intrinsece: sic plantae, animalia, homines, spiritus finiti...

a) *Transeunt ab non esse ad esse; ab esse ad non esse.* Ergo vi essentiae suae possunt esse et non esse, non habent in sua essentia metaphysica rationem sufficientem suae exsistentiae physicae, proinde sunt contingentia.

b) *Transeunt* (etiam materia anorganica) *ab uno statu positivo in alium* per veram mutationem intrinsecam; unde quoad aliquid intrinsecum, quod

afficit totum subiectum mutationis, possunt esse et non esse et inde sunt contingentia.

c) *Multipliciter* realiter intrinsece inter se *dependent* et sic illud, in quo intrinsece dependent, non habent vi essentiae suae, sed ab alio. Ergo sunt contingentia. Inde notio entis contingentis est notio vere obiectiva, vere realis: non est talis quia ita nos cogitamus; sed e contra ita nos cogitamus quia ita est ut constat ex evidentia obiectiva immediata.

*Minor:* probatur ex principio causalitatis efficientis. Quod est contingens exsistens debet habere, sicut quodlibet ens, rationem sufficientem suae exsistentiae physicae. Atqui hanc rationem ne inadaequate quidem habet in se; ex se ipso est nihil in ordine ad exsistentiam. Ergo talem rationem habebit totaliter in alio realiter a se distincto a quo impulsum accepit ad exsistendum.

De illo ergo alio quaeram num sit necessarium vel contingens; si est necessarium habeo intentum; si contingens de illo iterum quaeram rationem adaequatam ultimam suae exsistentiae donec ad aliquod ens necessarium veniamus.

Iam hoc ens necessarium vel est absolute necessarium vel hypothetice necessarium. Si primum habeo intentum; si secundum iterum quaeram... donec per seriem entium in quibus adest plena insufficientia ad exsistendum veniam ad ens absolute necessarium.

Ergo si exsistunt entia contingentia exsistit ens absolute necessarium i. e. quod a se ipso vel vi essentiae suae exsistat et sit ratio exsistentiae aliorum.

243. Inde notio entis absolute necessarii, quod contradictorie opponitur enti contigenti, est notio vere obiectiva, vere realis: non est ita quia ita nos cogitamus, sed e contra ita nos cogitamus quia ita est ut constat ex evidentia obiectiva mediata.

N. B. quid constet certo ex argumento primae partis:

—exsistit extra omnem seriem contingentium, aliquod ens contradictorie oppositum enti contingenti, nempe ens absolute necessarium (et saltem implicite Deus).

—Essentia talis entis dicit seu est formaliter esse et solum esse, exsistere et solum exsistere ita ut nullatenus possit dicere non esse aut posse non esse quoad aliquid sui intrinsecum; quia secus diceret contingentiam ut est manifestum: nam quod non est actu et potest esse; item quod est actu et potest non esse, illud, inquam, ex suis constitutivis est contingens, quod omnino opponitur enti absolute necessario.

244. 2.ª **Pars.** Mundus continuo mutationibus est obnoxius. Atqui ens absolute necessarium exigit esse semper idem. Ergo ens absolute necessarium non potest esse unum cum mundo.

*Maior.* Patet ex experientia ut diximus in probatione primae partis.

*Minor.* Ens absolute necessarium (cuius notio est vere realis) dicit:

a) *Quoad suam exsistentiam*, absolutam necessitatem exsistendi ita ut metaphysice repugnet non exsistere: si enim posset non exsistere diceret contingentiam, quae omnino repugnat enti necessario.

b) *Quoad suam essentiam*, absolutam necessitatem essendi totum et solum id quod est; absolutam immutabilitatem. Et vere nam eius essentia dicit seu est formaliter esse et solum esse cum exclusione omnis potentialitatis et mutabilitatis quoad aliquid sui intrinsecum; si enim hoc intrinsecum est actu et possit desinere esse, aut non est actu et possit advenire per veram mutationem,

tum ens absolute necessarium diceret contingentiam (etsi illa mutatio necessario verificaretur) quae repugnat omnino essentiae entis absolute necessarii.

c) *Relate ad alia entia*, absolutam independentiam; secus posset ei advenire, ex capite dependentiae, aliqua mutabilitas et mutatio intrinseca et iam non haberet a se, vi essentiae suae formaliter totum sui esse intrinsecum.

d) *Ens absolute necessarium:* est causa entium habentium intellectum, voluntatem et conscientiam sui; ergo debet habere illas perfectiones et quidem actu (in eo non datur ulla potentialitas) et formaliter quia sunt perfectiones purae; unde est ens personale.

**245. SCHOLIUM I. De valore et de diversis interpretationibus textus S. Thomae, 1, q. 2, a. 3.** Cfr. inter alios multos.

GENY, *Les preuves thomistes de l'existence de Dieu:* RevPh (1924) 576-602.

DESCOQS, ArchPh 3 (1924) cah. 3, p. 98 ss; 6, cah. 4, p. 205-207; *Prael. Theol. Natur.* 2, p. 848.

SERTILLANGES, *A propos des preuves de Dieu, la troisième «voie» thomiste:* RevPh (1925) p. 24; *Le P. Descoqs et la «Tertia via»:* RevThom (1926) pp. 490-503.

CHAMBAT, O. S. B., *La «Tertia via» dans Saint Thomas et Aristote:* RevThom 10 (1927) pp. 334.

BOUYGES, *L'exegese de la Tertia via de S. Thomas d'Aquin:* RevPh (1932) p. 113-146.

MAQUART, *Elementa Phil.* t. 3, p. 308.

BOYER, *Cursus Phil.* t. 2, p. 309.

MZ. DEL CAMPO, *Th. Nat.* 2, p. 21.

GONZÁLEZ ÁLVAREZ, *Teología Natural*, p. 267 ss.

ARNOU, *Theol. Nat.* (1947) p. 93, appendix.

GARCÍA LÓPEZ, *Exposición e interpretación de la tercera via de Santo Tomás para probar la existencia de Dios:* ReFil 9 (1950) 99-116.

**246. SCHOLIUM II. Argumentum ideologicum:** *ex pure possibilibus per causalitatem efficientem.* In thesi ex entibus contingentibus stricte talibus obtinuimus Deum sub conceptu entis absolute necessarii per viam causalitatis efficientis. Nunc quaestio est de entibus contingentibus late dictis, nempe de pure possibilibus.

*Supponimus* dari possibilia et hoc nos posse probari per experientiam ante probatam exsistentiam Dei; secus posset aliquis negare realitatem possibilium vel concedere eam solummodo in cogitatione, sed non ut aliquid vere obiectivum.

Realitate possibilium demonstrata, argumentum procedit ex insufficientia eorum ut explicent suam aptitudinem ad exsistendum sine contradictione absque causa efficiente potente ea producere, ultimatim sine causa efficiente prima et absolute necessaria. Ita propositum argumentum potest dici commune et certum inter scholasticos.

**247. Argumentum.** Possibilia sunt illa entia realia, quae possunt exsistere a parte rei sine contradictione. Atqui si non exsistit causa efficiens potens ea producere, ultimatim causa efficiens prima absolute necessaria, non possent exsistere sine contradictione. Ergo exsistit causa prima incausata, ens absolute necessarium, Deus.

*Maior.* Est definitio possibilium: possunt exsistere a parte rei ex eo quod dicant sociabilitatem intrinsecam notarum, inter quas una est exsistentia realis a parte rei; si enim cum exsistentia reali dicerent contradictionem, hoc significaret esse impossibilia.

*Minor.* 1) Remota causa efficiente potente ea producere daretur contradictio. Nam *a)* possibilia possent exsistere, i. e. notae eorum possent esse unitae a parte rei sine contradictione ut constat ex eius definitione. Quomodo possent venire in exsistentiam? Non ab alio ex defectu causae efficientis. Ergo a se ipsis. Sed aliunde non a se ipsis utpote entia contigentia. *b)* Ergo notae qualitativae eorum non dicerent sociabilitatem cum exsistentia reali i. e. essent impossibilia ex intrinseca repugnantia notarum.

Ergo datur aliqua causa efficiens potens ea producere.

2) Haec causa obtenta vel est absolute necessaria et a se vel est contingens; si primum habeo intentum; si secundum iterum quaeram donec perveniat ad causam efficientem et absolute necessariam et a se ut fecimus in thesi.

## 248. OBIECTIONES.

1. Argumentum, quo probas necessitatem entis absolute necessarii, non est nisi applicatio principii causalitatis. Atqui hoc principium si enuntiatur: «quidquid incipit exsistere causam efficientem habet» non extenditur ad mundum in hypothesi exsistentiae sine initio, ab aeterno. Si vero adhibetur formula: «quidquid contingenter exsistit» (cum inceptione et non necessario) causam efficientem habet non extenditur ad mundum in hypothesi creationis necessariae, nec in hypothesi creationis aeternae, Ergo vi principii causalitatis ex entibus mundanis non probas in omni hypothesi necessitatem entis absolute necessarii.

Resp. Concedo maiorem et minorem; sed adhibeo formulam «contingens habet causam efficientem sui realiter a se distinctam» ubi contingens significat illud quod ex suis constitutivis est indifferens ad exsistendum vel non exsistendum.

2. Principium causalitatis est syntheticum a priori, unde subiectivum, cum subiectum non contineat formaliter praedicatum. Ergo ex principio causalitatis nihil probas.

Resp. Nego antec. Et nota: ut sit analyticum sufficit ut contineat exigitive.

3. Principium causalitatis non applicatur extra experientiam possibilem, vel si applicatur extra experientiam possibilem, etiam de entê necessario esset praedicandum, cuius originem investigare quoque oporteret.

Resp. Nego utrumque: rationes patent.

4. *a)* Contingens est idem ac possibile *b)* possibile vero est iam tale ex sola non repugnantia notarum sine respectu ad causam. Atqui tale ens ex se exsistere potest. Ergo contingens ex se exsistere potest sine recurso ad ens necessarium.

Resp. Dist. Mai. *a)* Proprie loquendo N.; improprie Conc.; Nam contingens est quod potest esse et forsam non est de facto; vel est de facto et potest non esse. Possibile autem est quod potest esse et non est de facto; vel est de facto ita ut aliquando possit non esse, aliquando necessario debet esse v. c. Deus. Ergo latius patet possibile quam contingens; omne quidem contingens est possibile; sed non omne possibile est contingens v. c. Deus.

*b)* Possibile aliquod, Deus C.; possibili quodlibet Subd. adaequate N.; inadaequate Subd. proxime et formaliter C.; remote et fundamentaliter Neg.

Contrd. minorem.

Atqui omnia entia possunt venire ad exsistentiam sine ente necessario.

5. Ens necessarium exigitur ut exsistentia contingentium explicetur. Atqui exsistentia contingentium sufficienter explicatur per causas contingentes. Ergo ex contingentibus non probatur necessitas entis absolute necessarii.

Resp. Dist. mai. Proxime et inadaequate C.; ultimo et adaequate N.

6. In serie contingentium processus in infinitum possibilis est. Atqui processus infinitus contingentium omnino explicat exsistentiam eorum. Ergo contingentia sunt ultimo et adaequate sufficientia.

Resp. Trans. maior et nego minorem. Unde nos praescindimus a possibilitate et impossibilitate seriei infinitae et solum dicimus esse impossibilem seriem rerum contingentium sine ullo ente necessario sive illa series sit finita sive sit infinita.

6. Homo non potest attollere magnum pondus; plures homines possunt. Ergo a pari unumquodque contingens non sufficit, sed series infinita iam sufficit.

Resp. Conc. antecedens et nego consequens et paritatem.

Explicatio: Unusquisque homo inchoative aliquid ponit, aliquam vim; unumquodque contingens quoad suam exsistentiam nihil absolute ponit; unde est nihil in ordine ad suam exsistentiam.

7. Si ponatur series membrorum contingentium circulariter ita ut unum membrum producat sequens et ita deinceps et ultimum producat primum iam vitatur necessitas entis necessarii. Ergo...

Resp. Nego antecedens.

In hac hypothesi v. c. A produceret B; B p. C; C p. D; D p. A. Ergo A producit se ipsum saltem remote i. e. per membrum D productum a se producit se, quod repugnat, quia causa est prior quam effectus. Quod enim habet D receptum est ab A.

Atqui etiam si contingentia sint insufficientia non deducitur ex illis ens necessarium. Ergo...

8. Quod illud ens necessarium sit infinitum solum ex analysi entis necessarii i. e. a priori deducitur; quod est argumentum ontologicum anselmianum. Atqui quousque infinitas entis necessarii non fuerit ostensa Deus non est demonstratus. Ergo Deus probaretur solum a priori seu a simultaneo, quod tu reicis.

Resp. Conc. mai. et nego quod sit argumentum anselmianum.

Dist. min. Deus in prima parte non est demonstratus ut ens necessarium ut nota distinctiva Dei N.; non sub nota infinitatis C.

Atqui nec ut ens necessarium concluditur Deus ex contingentibus.

9. Est contra regulas Logicae ex contingenti deducere necessarium. Atqui hoc facis in tua demonstratione. Ergo non licet ex contingentibus deducere necessarium.

Resp. Dist. mai. est contra regulas Logicae ex contingenti i. e. ex eo, quod non est certo verum deducere necessarium seu conclusionem certam C.; ex entibus contingentibus deducere exsistentiam entis absolute necessarii N.

Atqui nec ut ens necessarium deducitur Deus ex contingentibus.

10. Non demonstratur Deus nisi per praedicatum quod soli Deo conveniat. Atqui necessarium datur in rebus—totum determinismo subiectum—. Ergo ex contingentibus non demonstratur Deus transcendens.

Resp. Concedo mai.

Distn. min. Absolute necessarium N.; hypothetice, per alterum necessarium Conc.

Atqui etiam absolute necessarium potest convenire aliis rebus.

11. Quod est aeternum absolute necessarium est. Atqui mundus aeternus est vel potuit aeternus esse. Ergo etiam absolute necessarium convenit aliis rebus distinctis a Deo.

Resp. Dist. mai. Si ex vi essentiae suae ab aeterno exsistat C.; si per causalitatem alterius N.

Atqui si non admittitur mundus necessarius, nec Deus saltem personalis admittendus est nunc, vel semper.

12. Nunc exsistit ens necessarium, sed non apparet cur semper exstiterit et semper exstiturum sit. Ergo non demonstratur ens absolute necessarium.

Resp. Nego antecedens. Non-exsistentia entis absolute necessarii, quod iam probamus exsistere, est contradictio in terminis sub qualibet hypothesi.

13. Non est admittendum ens absolute necessarium et personale, si tantum datur unica substantia mutationibus obnoxia. Atqui una tantum datur substantia in mundo. Ergo non est admittendum ens absolute necessarium et personale, sed solum ens quod sit materia mundi vel eius substratum.

Resp. Concedo mai. et nego minorem.

Explicatio. *1.ª* Illud ens absolute necessarium est causa mundi; causa autem realiter distinguitur ab effectu. Ergo Deus non potest esse unum cum mundo.

*2.ª* *Primus processus.* Deus, ens absolute necessarium est ens a se. In ente a se essentia est esse; est ipsum esse per se subsistens; ipsum esse per se subsistens continet omne esse seu omnem perfectionem in gradu infinito; ens simpliciter infinitum est absolute immutabile et spirituale, quod repugnat esse unam substantiam cum mundo continuis mutationibus obnoxio, sive agatur de mundo noto sive de aliis entibus forsam nobis ignotis.

*Secundus processus.* Ens absolute necessarium est absolute immutabile inde non potest esse unum cum mundo.

14. Materia infecta ad quam omnia reducuntur est necessaria. Ergo non probatur Deus transcendens..

Resp. Nego; cum entia sint mutabilia.

15. Materia-motus est ens necessarium. Ergo iterum ex contingentibus non probatur ens personale distinctum a mundo.

Resp. Dist. ant. Materia non est idem ac motus seu actio, cum substantia et accidens, mobile et motus metaphysica necessitate diversa sint.

Motus est essentialiter mutabilis; necessarium e contra est essentialiter immutabile. Motus subsistens intrinsece repugnat, et mundum non esse nisi motum apparentem fundamenta Criticae evertit et ibidem refutatur.

16. Nequit cognosci contingens (insufficiens) quin cognoscatur ens necessarium (sufficiens...). Atqui si cognoscitur ens neccssarium iam nulla possibilis demonstratio illius. Ergo ex contingentibus Deus demonstrari non potest.

Resp. Dist. Mai. nequit cognosci contingens materialiter sumptum (quod potest esse et non esse) quin cognoscatur etc... Nego.

Formaliter et reduplicative sumptum, insufficiens, cuius sufficientia est ens absolute necessarium C.

Explicatio: Absolute negandum est ideam insufficientiae praesupponere ideam plenae sufficientiae, sicut pariter ideam finiti praesupponere ideam infiniti.

Ens contingens: quod potest esse et non esse; ens absolute necessarium: quod non potest non esse contradictorie opponuntur. Tamen si illa definiuntur sub ratione sufficienti quoad esse, notio entis necessarii est omnino absoluta, notio vero contingentis est essentialiter relativa, unde eius oppositio est relativa non mutua.

17. Sicut non potest cognosci v. c. gregem quedam esse incompletum, nisi prius cognoscatur numerus exactus individuorum, qui constituunt collectionem. Ergo a pari de insufficientia in esse nisi prius cognoscatur ens sibi plene sufficiens quod sit ratio omnium insufficientium.

Resp. Conc. antecedens et nego consequens et paritatem.

Explicatio: In casu allato habetur quaestio facti ordinis empyrici, quae exigit cognitionem praeviam explicitam et perfecte determinatam numeri membrorum. In casu nostro est quaestio iuris, quae pertinet ad exigentiam essentialem ordinis metaphysici: haec res potest esse et non esse, ergo non habet in se rationem sufficientem sui quin ad hoc requiratur cognitio perfectae sufficientiae.

18. Argumentum nititur experientia. Atqui experientia nequit revelare contingentiam: manifestat enim quod est, non vero quod poterat non esse. Ergo argumentum est nullum.

Resp. Dist. Mai. sola experientia N.; experientia adiuta ratiocinio C.

Cont. min. Experientia manifestat quod est necessitate conditionali et relativa C.; quod est necessitate absoluta Subd. experientia sola N.; simul cum ratiocinio Conc.

19. Ultima elementa mundi sunt immutabilia, quae solum extrinsece mutantur (mechanicismus). Atqui si ita est non possumus ex mutabilitate rerum concludere ad causam immutabilem. Ergo argumentum non valet.

Resp. Nego mai. Interna, saltem accidentalis, mutabilitas rerum probata est in Cosmologia.

20. Ad probandam exsistentiam entis absolute necessarii supponenda est contingentia metaphysica. Atqui mutabilitas empyrica tantum probat contingentiam empyricam, non vero metaphysicam. Ergo nequit probari ens absolute necessarium ex mutabilitate rerum.

Resp. Conc. mai. et nego minorem.

21. Contingentia empyrica in eo est, quod res pro tempore, quo non est (non est talis) cognoscitur ut possibilis non esse; contingentia metaphysica e contra dicit rem etiam eo tempore quo est (talis est) posse non esse (non esse talem). Mutabilitas rerum ex experientia nota tantum primam ostendit.

Resp. Conc. maiorem.

Disting. min. Mutabilitas rei ex sola experientia nota tantum contingentiam empyricam ostendit C.; mutabilitas rei ex experientia simul cum ratiocinio nota et intellecta, tantum contingentiam empyricam ostendit N.

22. Contingentia rerum probatur ex mutabilitate earum. Atqui mutabilitas attingit solum formas. Ergo contingentia solum quoad formas, non quoad totam substantiam probata est.

Resp. Concedo maiorem et nego minorem.

23. Quod est incorruptibile est necessarium. Atqui primum subiectum transmutationis est incorruptibile. Ergo est necessarium et non-contingens.

Resp. disting. mai. quod est incorruptibile est necessarium per se vel per alium C.; non potest esse necessarium nisi per se N.

24. Illud est necessarium per se, quod ex natura sua non potest non esse. Atqui primum subiectum transmutationis ex natura sua non potest transire ad non esse. Ergo est necessarium per se.

Resp. Dist. mai. quod ex sola natura non potest non esse C.; quod ex natura sua sub aliqua conditione non potest non esse N.; Ctrd. min. supposito quod est C.; supposito quod non est N.

## ARTICULUS IV

### Argumentum ex gradibus perfectionis
### *(4.ª via S. Thomae)*

**THESIS 8. Mundi entia diversimode gradata et limitata in suis perfectionibus certo nos ducunt ad Deum sub conceptu entis summe perfecti, illimitati et a se.**

**249. Bibliographia.**—S. Thomas 1, q. 2, a. 3; 1 CG, c. 13; 1. 2, c. 15; *De pot.*, q. 3, a. 5.—Suárez, DM 29, 13. 14. 21. 22.—Billot, *De Deo* 7, p. 68-71.—Garrigou-Lagrange, *Dieu*, p. 276-314; *Dieu:* DAFC, col. 1.045-64.—Descoqs, ArchPh 2, p. 167-178; III, cah. 3, p. 103-111; *Praet. Theol. Nat.*, 2, p. 15-75.—Amor Ruibal, *Los problemas fundamentales...*, t. 6, p. 604-609.—Loinaz, *Prael. e Theot. Nat.*, p. 69.—Mz. del Campo, *Th. Nat.*, p. 54.—Hontheim, *Inst. Theod.*, n. 235 ss.—Monaco, *Theot. Nat.*, p. 71.—González Álvarez, *Teología Natural*, p. 284.—Hellín, *Theot. Nat.*, p. 218.—Bordoy Torrents, CT, t. 60, p. 273; 63 (1944), p. 30-43.—Geny, *A propos des preuves thomistes de l'existence de Dieu:* RevPh (1924), p. 598.—Chossat, *Dieu:* DTC, col. 945-46.—Gayraud, *Les vieilles preuves...:* RevPh (1908), p. 133 ss.—Lemaître, *La preuve de l'existence de Dieu par les degrés d'être:* NouvRevTh (1927), p. 321-339; 436-468.—Bonamartini, *De quarta via S. Thomae:* «Act. Acad. Rom. S. Thomae» (1936-1937), p. 115 ss.—Chambat, *La «quarta via» de S. Thomas:* RevThom (1928), p. 412 ss.—Van Steenberghen, RevPhilLouv (1947), p. 168.—Daffara, *La quarta via di S. Tomaso:* Sap (1952), p. 5-30.—Muñiz, RevFil (1944), p. 385 ss; (1945), p. 92-102.

**250. Nexus:** In argumento praecedenti consideravimus mundi entia contingentia. In hoc argumento (4.ª via S. Thomae) considerantur mundi entia iam exsistentia, quae habent suas perfectiones minoratas seu secundum magis et minus et diversimode limitatas.

## 251. NOTIONES.

**Deus** est ens summe perfectum, illimitatum, imparticipatum.

*Gradus in genere* est quaedam species ordinis secundum dignitatem vel perfectionem vel locum.

Gradus *alicuius perfectionis* sunt diversi modi, quibus entia plus minusve hanc perfectionem participant.

**Perfectio** est forma perfecti seu quilibet gradus entitatis sive realitatis quibus res constituitur perfecta.

*Perfectum* est ens cui nihil deest eorum quae ipsi debentur. *Relative:* si in aliquo ordine v. c. homo beatus. *Absolute* seu summe perfectum, si in omni ordine; sic solus Deus.

**252.** 1. Perfectio potest esse substantialis et accidentalis.

*Substantialis* est illa, quae est constitutivum substantiae sic v. c. in homine corpus et anima; animalitas et rationalitas.

*Accidentalis* (prout opponitur substantiali; accidens praedicamentale = ens in alio) est illa quae rei in linea substantiali plene constitutae supervenit; sic intellectus, voluntas, actus intellectus et actus voluntatis...

2. Perfectio essentialis et accidentalis.

*Essentialis:* est illa, quae constituit essentiam rei vel ex ea necessario sequitur. Unde perfectio essentialis potest esse:

*Specifica:* est idem ac species seu tota essentia v. c. homo; vel differentia specifica seu pars essentiae determinans v. c. rationalitas. *Generica:* est genus sive proximum sive remotum seu pars essentiae determinabilis v. c. animal. *Proprietas* est aliquid necessario sequens ex essentia v. c. intellectus, voluntas, risibilitas...

*Accidentalis* (prout opponitur essentiali; accidens logicum) est illa quae potest esse vel abesse integra manente essentia, unde contingenter praedicatur v. c. sapientia in homine; actus intellectus et voluntatis...

**253.** 3. Perfectio praedicamentalis et transcendentalis.

*Praedicamentalis* proprie dicta est illa quae in aliquo praedicamento est et praedicatur (univoce), de omnibus inferioribus, non vero de suis differentiis; tales sunt species, quae praedicantur de individuis; et genera quae praedicantur de speciebus et de individuis.

*Transcendentalis* est illa quae praedicatur (analogice) de omnibus inferioribus et de omnibus suis differentiis, quas etiam transcendit. Potest esse proprie talis et improprie talis.

*Proprie talis* est illa quae convenit intrinsece et essentialiter omni enti; inde praedicatur essentialiter (analogice) de omnibus rebus et de omnibus differentiis; sic ens, unum, verum, bonum, quae transcendunt omnes alias perfectiones... aquam, leonem, doctorem, sanctum.

*Improprie talis* est illa quae praedicatur intrinsece essentialiter de omnibus inferioribus et de eorum differentiis, sed inferiora non sunt omnia entia, sed solum aliqua: ut vita, cognitio. Sic vivens transcendit omnia viventia et omnes differentias, vegetativum, sensitivum, intellectivum; sed tamen non omnia entia sunt viventia. Sic cognitio transcendit omnes cognitiones sensitivam, intellectualem, et tamem non omnia entia sunt cognitiva.

**254.** 4. Perfectio minorata et non minorata.

*Minorata* est illa quae est in aliquo subiecto ita ut sit de facto vel possit esse maior in aliis subiectis. Unde invenitur in illis gradata secundum magis et minus et diversimode limitata; in nullo enim ex illis subiectis exsistit in summo illo gradu cuius est capax talis perfectio: unde est participata seu secundum partem.

*Exempla.* 1) Quaedam perfectiones accidentales mixtae ut habitus scientiae, sapientiae, iustitiae, continentiae...; quantum, calidum, album, rubrum... admittunt magis et minus etiam intra eamdem speciem et sic homo potest esse magis aut minus sciens, sapiens, iustus, continens, castus... 2) Perfectiones pure transcendentales ut ens, unum, verum, bonum, vivens... 3) Perfectiones purae non transcendentales ut intellectus et intelligere actu, voluntas et velle actu, libertas... in homine, in angelo etc....

*Non minorata* est illa quae adest in aliquo subiecto ita ut non possit esse maior in aliis, quia adest secundum totam suam entitatem, secundum plenitudinem seu imparticipate, non secundum magis et minus, non secundum partem seu participata.

*Exempla.* 1) Sic perfectiones quae in suo conceptu includunt infinitatem ut immensitas, sapientia infinita... 2) Sic essentiae rerum seu perfectiones genericae et specificae (genus, species, differentia specifica) non accipiunt gradus, sed secundum eumdem gradum inveniuntur in omnibus entibus, quae eas participant et de omnibus univoce praedicantur.

Essentiae enim rerum nequeunt differre nisi essentialiter; si quid alicui essentiae additur

vel minuitur iam agitur de alia essentia; se habent sicut numeri: sicut enim si aliquid v. c. numero binario addas vel ab eo demas periit ratio binarii; simili modo si addas aliquid talibus rationibus specificis vel ab eis auferas non manet eadem species, sed mutatur in aliam. Unde planta non est magis aut minus planta; equus non est magis aut minus equus; homo non est magis aut minus homo; sed aut sunt quoad totam essentiam vel omnino non sunt.

Si tamen loqueris de specie aut natura v. c. humana. Si enim loqueris de exemplari (vel ideali) humano, quod est quasi summa omnium perfectionum hominibus possibilium, aliquis potest esse magis vel minus homo.

**255.** 5. Perfectio univoca et perfectio analoga.

*Univoca* est illa quae convenit omnibus secundum eamdem rationem. *Analoga* (per intrinsecam denominationem) quae omnibus inferioribus convenit intrinsece et secundum rationem partim eamdem partim diversam.

**256.** 6. Perfectio simpliciter simplex et mixta.

*Simpliciter simplex* seu pura est illa quae in suo conceptu formali et praecisivo nullam dicit imperfectionem vel quia eam positive excludit ut aeternitas, actus purus; vel quia praescindit ab imperfectione, v. c. ens, unum, verum bonum; intellectus et intelligere; voluntas et velle...

*Mixta*, non pura, est illa quae in suo conceptu formali et praecissivo dicit perfectionem admixtam imperfectioni v. c. ratio corporis, ratio quantitatis, album, rubrum...

**257.** Aliqua perfectio in aliquo subiecto potest esse:

*Numerice* quando continetur in illo secundum suam entitatem individualem. Sic aqua in fonte.

*Formaliter* quando continetur in aliquo subiecto secundum propriam formam (secundum eamdem naturam, speciem, perfectionem specificam) sic v. c. animalitas in homine et in bruto.

*Eminenter* quando continetur, non secundum propriam formam, sed in perfectione altioris rationis, quae vel habeat virtutem eam producendi vel praestandi eosdem effectus ac praestat ubi est formaliter; sic angelus continet eminenter ratiocinium.

*Virtualiter* quando subiectum habet virtutem eam producendi saltem inadaequate v. c. intellectus continet virtualiter intellectionem.

Ens personale est ens intellectu et voluntate praeditum, actu sui conscium et subsistens independenter ab aliis rebus.

## 258. STATUS QUAESTIONIS.

Quaeritur utrum ex diversis gradibus perfectionum, seu ex entibus mundanis gradatis et diversimode limitatis in suis perfectionibus possimus ascendere ad ens summe perfectum, nempe ad Deum necne.

**259.** 1) Quo nititur thesis?

a) *Factum experimentale* sunt diversi gradus in perfectionibus puris seu simpliciter simplicibus et maxime transcendentalibus ut sunt ens, unum, verum, bonum... quae transcendunt omnes alias perfectiones et sunt in diversis secundum magis et minus (graduadamente) et inde diversimode limitatae in omnibus.

Unde excluduntur a puncto a quo quartae viae:

—perfectiones quae consistunt in indivissibili et secundum magis et minus ab individuis non participantur, sed secundum totam suam entitatem seu plenitudinem; sic perfectiones essentiales genericae et specificae: genus (animal), species (homo), differentia specifica (rationale).

—Item proprietates essentiales rerum (sic intellectus, voluntas, risibilitas in una eademque specie v. c. in hominibus; vel etiam in diversis speciebus in angelis, in hominibus...) quia maior vel minor perfectio explicatur per maiorem vel minorem perfectionem subiecti.

—Etiam perfectiones mixtae in quibus non potest dari summum et illimitatum formaliter, sed solum eminenter v. c. calidum, rubrum.

b) *Principium metaphysicum* erit principium causalitatis efficientis, quod sic explicari potest quoad hoc argumentum: Perfectiones minoratae et inde diversimode limitatae, sunt perfectiones minoratae et limitatae non a se ipsis, sed causaliter, et quidem efficienter ab alio realiter distincto a subiecto in quibus tales perfectiones inveniuntur, ultimatim ab ente summe perfecto, non minorate, illimitate et a se habente illas perfectiones.

**260.** 2) RETINEMUS quartam viam ut argumentum distinctum a praecedentibus. Etsi enim perfectio realis, quae plus et minus accipere potest implicet aliquam contingentiam, tamen gradus non considerantur sub aspectu contingentiae, sed formaliter in quantum sunt gradus diversimode limitati.

Unde quoad initium viae quod ibi erat mutabile, causatum, contingens, hic est gradatum et diversimode limitatum. Et in termino viae quod erat immobile, incausatum, absolute necessarium (ex quo a priori deducimus esse illimitatum), hic est directe non minoratum, illimitatum, imparticipatum.

Differt ab argumento ontologico in quo ex conceptu Dei infertur exsistentia Dei ut infiniti et inde tentat a priori inferre necessarium. Nos a posteriori, a gradatione rerum in ordine ad esse inferimus Deum ut infinitum et completa est demonstratio; quamvis deinceps possimus ab infinito sic demonstrato deducere a priori necessarium.

**261.** 3) Diversi modi arguendi et inde diversa nomina argumenti. Vocatur

*a)* A. Henologicum (ex verbo graeco ἕν, ἕνωσις = unum, unitas) quia procedit ex unitate perfectionis in diversitate subiectorum, et sic ascendit ad maxime unum sine diversitate.

*b)* A. Climacologicum (ex verbo graeco Κλιμαξ = scala, gradus) quia procedit ex diversitate graduum unius perfectionis, quae invenitur in diversis minorata, gradata secundum magis et minus et mediante comparatione cum essentia subiecti ascendit ad perfectionem non minoratam seu summam.

*c)* A. limitationis et eminentiae, quia procedit ex limitatione in ipsa perfectione gradata et non iam per respectum ad essentiam subiecti et sic ascendit ad ens illimitatum continens cum eminentia perfectiones limitatas.

*d)* A. exemplaritatis quia ex exemplatis minoratis ad exemplar summum ascendit.

**262.** 4) Tandem in thesi probamus exsistere aliquod ens summe perfectum, illimitatum et a se, non solum aliquid supremum et relative maxime perfectum inter omnia entia mundana exsistentia, quod etiam atheus admitteret (implicite probatur esse unicum); et esse personale distinctum a mundo.

## 263. SENTENTIAE.

*1.ª Sententia* est eorum, qui negant possibilitatem demonstrationis exsistentiae Dei, et consequenter etiam hoc argumentum.

*2.ª Sententia* est eorum inter scholasticos, qui dubitant de valore argumenti vel negant eius efficaciam vel dicunt esse certum solummodo si reducatur ad

argumentum ex contingentibus; vel de eo prorsus tacent. Sic SUÁREZ, GAYRAUD, AMOR RUIBAL, DESCOQS, BROSNAN, HELLÍN...

*3.ª Sententia* est eorum scholasticorum, qui apodicticam viam censent sive explicent per causalitatem efficientem, sic BILLOT, GZ. ÁLVAREZ et multi alii... sive per causalitatem exemplarem, sic MZ. DEL CAMPO, MAQUART; sive per utramque simul, sic GISQUIÈRE, et quidem processu sive platonico, sive aristotelico, sive avicenniano singillatim vel coniunctim. Sic S. THOMAS, BALTHAZAR, BILLOT, BOEDDER, BOYER, SCHIFFINI, SCHAAF, SERTILLANGES, CHAMBAT, CHOSSAT, FARGES, GARRIGOU-LAGRANGE, GENY, HONTHEIM, KLEUTGEN, LEMAÎTRE, REMER, GREDT, LOINAZ, MARITAIN, MONACO, BORDOY-TORRENTS, MUÑIZ, MARTÍNEZ DEL CAMPO, GONZÁLEZ ÁLVAREZ, GISQUIÈRE.

**CENSURA.** Certa (per causalitatem efficientem; sic nobis videtur salvo meliori iudicio).

**264. PROBATUR.**

**1.ª Pars.** Certum est multas perfectiones esse in diversis subiectis mundanis minoratas et diversimode limitatas. Atqui quoties una eademque perfectio (v. c. ens, unum, verum, bonum...) est in diversis subiectis minorata et diversimode limitata signum est:

1) Illam non habere ex se ipsis seu natura sua sed esse minoratam et limitatam ab alio; 2) ultimatim ab ente a se ipso illam non minorate, illimitate, imparticipate possidente et aliis gradu limitato efficienter communicante. Ergo perfectiones in mundo minoratae et diversimode limitatae certo nos ducunt ad ens summe perfectum, illimitatum, ad Deum, qui est causa efficiens perfectionum minoratarum.

*Maior.* Experientia abundantissime constat perfectiones puras transcendentales esse maiores et minores: sic dantur plurimi gradus entitatis, unitatis, veritatis, bonitatis in regno minerali, vegetali, animali, humano et intra diversa regna sunt innumerae species gradatae secundum diversos gradus perfectionis entitatis, unitatis, veritatis et bonitatis: homo perfectior est animali; animal perfectius est vegetali, vegetale perfectius est minerali.

*Minor quoad* 1). Si una eademque perfectio pura diversis subiectis ex se ipsis seu natura sua competeret, ab iisdem totaliter secundum omnem gradum entitatis, non vero diversimode limitata, possideretur, quia nulla daretur ratio talis gradationis et limitationis. «Quod alicui convenit ex sua natura et non ex aliqua causa minoratum in eo et deficiens esse non potest» (S. Thomas). Ergo si convenit illi minorate et deficienter, convenit illi causaliter i. e. ab alio efficienter singulis subiectis est donata.

*Minor quoad* 2). Iam de hoc alio quaeram num talem perfectionem nonminorate imparticipate et illimitate, an minorate, participate et limitate possideat. Si primum habeo intentum; si secundum iterum quaeram dum per entia minorate et limitate illam perfectionem habentia, perveniam ad ens maxime bonum, verum, maxime ens seu ad ens absolute perfectum habens illam per-

**fectionem non minorate, imparticipate, vi essentiae suae, quod est causa efficiens prima (unica implicite) perfectionum minoratarum.**

Processus minoratarum in infinitum sine ente non minorato repugnat. Nam ex hypothesi in tota illa serie infinita, omnia entia habent illam perfectionem minorate et limitate, proinde minoratam et limitatam ab alio extra illam seriem infinitam, nempe ab ente illam possidente non minorate, illimitate et a se.

Item omnia entia mundana sunt minorata et limitata quoad esse, unum, verum, bonum. Ergo ex dictis omnia sunt minorata et limitata ultimatim ab ente extramundano, non minorato quod sit summum ens, illimitatum et a se.

**265. Minor argumenti probatur ex S. Thoma.** (De Potentia, q. 3, a. 5) secundum triplicem processum, nempe platonicum, aristotelicum et avicennianum.

Perfectio in aliquo subiecto vel est essentia seu constitutivum formale, nt est rationalitas et tunc non exigit esse causatum; nam si quaeratur cur homo sit homo, vel animal vel rationale, respondetur quia talis est natura eius et nulla alia ratio dari potest. Vel est causata seu derivata ut aliquid proprium ab ipsa essentia seu constitutivo formali, sicut rissibile, admirativum derivantur a rationalitate, et tunc si quaeratur cur homo sit rissibilis vel admirativus respondetur quia derivatur a rationalitate in qua est radix illarum proprietatum. Vel est causata ab agente extrinseco ut intellectio, volitio, color, etc... S. Thomas: «Omne autem quod convenit alicui vel est causàtum ex principiis naturae suae sicut risibile in homine, vel advenit ab aliquo principio extrinseco, sicut lumen in aere ex influentia solis.» *(De ente et essentia*, cap. 5, n.° 4.)

«Quidquid est in aliquo quod est praeter naturam eius, opportet esse cansatum; vel a principiis essentiae sicut accidentia propria consequentia speciem, ut risibile consequitur hominem et causatur ex principiis essentialibus speciei; vel ab aliquo exteriori sicut calor in aqua causatur ab igne.» (I, q. 3, a. 4.)

**266. I. Processus platonicus** arguit ex eo quod «una» eademque perfectio sit «in variis subiectis essentialiter diversis»; unde considerat unitatem in diversitate. Et demonstratio in hoc processu est mediata et indirecta, mediante essentia subiecti; sic: illa una et eademque perfectio est communis omnibus diversis. Ergo non est essentia rei nec eius proprietas. Ergo est causata ab extrinseco.

Perfectio transcendentalis *ESSE* (idem dic de aliis) in illis subiectis essentialiter diversis 1) Non est tota essentia eorum quia una essentia specifica est propria et exclusiva subiectorum eiusdem speciei, quod non accidit in casu nostro. 2) Non est differentia specifica, quia differentia specifica est aliquid proprium et exclusivum unius speciei et illa perfectio est communis subiectis specifice diversis.

3) Non est nota essentialis generica, quia genus praescindit a differentiis; perfectio autem transcendentalis ESSE transcendit omnia.

4) Non est proprietas, quae derivetur ab essentia, quia perfectio nostra transcendit omnia; et illa perfectio si est communis omnibus essentialiter diversis non potest esse aliquid derivatum a differentia specifica sen a constitutivo formali uniuscuiusque tamquam aliquid proprium et exclusivum.

Ergo illa perfectio transcendentalis ESSE communis omnibus subiectis est causata ab aliquo extrinseco omnibus illis subiectis.

Iam vero de hoc quaeram... eodem modo ut fecimus antea.

**267. II. Processus aristotelicus.** Arguit ex diversitate graduum in una eademque perfectione. Unde considerat diversitatem graduum in unitate perfectionis. Et demonstratio etiam est mediata et indirecta, mediante essentia. Illa enim perfectio est in diversis gradata secundum magis et minus. Ergo non est essentia nec eius proprietas. Ergo est causata ab aliquo extrinseco.

*Una* eademque perfectio transcendentalis *ESSE* (idem dic de aliis) «in illis diversis» subiectis «diversimode gradata»: 1) Non est essentia eorum, i. e. nec species, nec differentia specifica, nec genus, quia tales perfectiones essentiales dantur in inferioribus secundum totam suam entitatem, non vero secundum magis et minus: unde vel habetnr secundum totam suam entitatem vel non habetur simpliciter. Mutatio enim in perfectione essentiali addendo vel detrahendo aliquid non potest esse mera mutatio in gradu, sed esset mutatio specifica illius perfectionis, quae iam non amplius eadem remaneret. 2) Nec est proprietas eorum, quia proprietates dantur in subiectis eiusdem speciei secundum totam suam entitatem et non secundum magis et minus; et ratio est quia proprium est illud quod convenit subiecto uni, soli et semper, unde tum subiectum tum proprietas eius habent eamdem universalitatem, extensionem et amplitudinem v. c. homo non est magis aut minus risibilis.

S. Thomas: «Quod alicui convenit ex sua natura et non ex aliqua causa minoratum in eo et deficiens esse non potest.» (C. G. 1, 2, c. 15.) Ex sua vero natura convenit subiecto non solum propria natura, sed etiam proprietates.

Ergo ex dictis antea si perfectio minorata secundum magis et minus gradata non convenit illis subiectis ex natura sua neque ut essentia neque ut proprietas, est causata ab extrinseco aliquo.

Iam vero de hoc quaeram, etc... eodem modo ut antea.

**268. III. Processus avicennianus.** Arguit ex limitatione unius eiusdemque perfectionis diversimode facta in diversis subiectis. Demonstratio hic est directa: comparatur enim perfectio pura cum suo proprio limite et ex perfectione limitata et imperfecta directe et immediate concluditur esse causatam.

Illa una eademque perfectio transcendentalis *ESSE* (idem dic de aliis) ut constat ex experientia est in diversis diversimode limitata et non secundum totam plenitudinem cuius est capax illa perfectio, sed secundum partem seu participata. Hoc constat saltem ex illis entibus quae possident illam secundum gradus inferiores relate ad supremum. Atqui illa perfectio non potest esse diversimode limitata a se ipsa, quia perfectio pura ESSE ex suo conceptu praescindit a limitibus. Ergo est diversimode limitata ab aliquo principio extrinseco, quod principium saltem debet esse causa efficiens.

Iam vero de hoc principio extrinseco quaeram... ut antea fecimus...

**2.ª Pars.**

**269.** ENS IN PRIMA PARTE OBTENTUM EST ENS PERSONALE.

Ens personale vulgariter est ens intellectu, voluntate et conscientia sui praeditum et subsistens independenter ab aliis rebus. Atqui tale est ens habens perfectiones summo gradu, quod in prima parte obtinuimus. Ergo ens habens perfectiones summo gradu, imparticipate et a se est ens personale.

*Maior* est definitio entis personalis.

*Minor.* Ens quod in prima parte obtinuimus est:

a) *Ens a se totaliter.* Si enim esset ab alio, primo fuit in potentia ad omne suum esse et consequenter etiam ad illas perfectiones, quas certo probavimus habere imparticipatas et a se.

b) *Substantia.* Etenim ens summe perfectum et primum omnium non potest esse accidens, quod requirit subiectum cui inhaerent.

c) *Intellectu et voluntate praeditum.* Nam est ens maximum absolute in linea essendi, fons et causa omnis esse et veritatis, bonitatis et cuiuscumque perfectionis in omnibus rebus etiam intellectus et voluntatis. Atqui omnis causa continet perfectionem effectus. Ergo est ens intellectu et voluntate praeditum.

*Subsistit independenter a rebus.* Si enim est summe perfectum et a se totaliter nulli alieno influxui obnoxium esse potest per quem in perfectione crescere vel decrescere possit (secus possit esse minoratum). Ergo est prorsus independens ab aliis rebus.

**SCHOLIUM I. 4.ª via per causalitatem exemplarem.**

**270.** A) EX ENTIBUS MINORATIS QUOAD ESSE IAM EXSISTENTIBUS.

QUAERIMUS num ex diversis gradibus perfectionum in diversis entibus mundanis iam exsistentibus possimus ascendere ad Deum ut exemplar, non solum ideale et cogitatum, sed etiam ut exsistens et illimitatum.

**271.** a) *Factum experimentale* sunt entia exsistentia minorata et diversimode limitata in ordine essentiae vel intelligibilitatis: nempe diversi gradus minorati formaliter tales in ordine essentiae vel intelligibilitatis in perfectionibus puris et maxime in perfectionibus transcendentalibus.

Consideramus illos gradus qua tales formaliter in quantum sunt gradus in ordine intelligibilitatis, specificationis et dicimus in quantum gradus non esse intelligibiles in ordine essentiae nisi referantur ad maximum ut omnium exemplar reale et exsistens, cuius causalitas consistit in productione operis prout determinata per ideam.

*Principium metaphysicum* erit principium causalitatis exemplaris: «Quodlibet ens reale sive exsistens sive possibile non habens in se rationem sufficientem et ultimam suae essentiae vel intelligibilitatis, ab alio ente reali, quod causa exemplaris dicitur eam habet».

3) *Argumentum sic procedit:* Consideratio graduum in ordine essentiae vel intelligibilitatis, proinde a posteriori nos ducit ad concipiendum in ordine ideali ens maximum, quod debet esse saltem positive possibile, ex principio rationis sufficientis, quia opus est positivo fundamento metaphysico talis gradationis exsistentis. Unde Deus est positive possibilis; ita enim videt intellectus et Deus possibilis—Deus exsistens.

**272. Probatur.** Omnia entia mundana iam exsistentia, sunt entia minorata quoad esse, quia habent esse finitum, quod diverso gradu et perfectione singulis convenit. Atqui entia minorata

quoad esse procedunt exemplariter a Deo infinito *a)* saltem ita cogitato seu in ordine logico *b)* a Deo infinito, sed iam in ordine metaphysico positivae possibilitatis *c)* a Deo infinito iam exsistente. Ergo ex entibus mundanis exsistentibus minoratis quoad esse probatur exsistentia Dei infiniti.

*Minor. a)* Ratio cur entibus mundanis exsistentibus: anorganicis, plantis, brutis, hominibus, angelis... conveniat esse minorate ultimatim alia esse non potest nisi quia talia entia imitantur ens cui esse conveniat non minorate, secundum plenitudinem, ens quod sit exemplar infinitum saltem ideale vel in ordine logico.

Nam si perfectio esse seu talis actualitas convenit omnibus illis entibus gradatim et finito modo, signum est illis non convenire ex natura sua (quia in hac hypothesi non daretur ratio diversae limitationis et haberent esse secundum plenitudinem) sed per participationem ab alio quod sit ratio sufficiens suae essentiae seu intelligibilitatis, ultimatim (iuxta processum saepe repetitum) ab alio tamquam a causa exemplari saltem ideali cui esse conveniat vi essentiae suae et inde secundum plenitudinem gradu infinito.

*b)* Exemplar infinitum extramundanum si solum est tale in ordine mere logico, forsam sit aliqua chimaera, quae non explicat factum reale entium exsistentium minoratorum. Ergo tale exemplar infinitum tale sit oportet etiam in ordine metaphysico positivae possibilitatis.

*c)* Tandem iuxta nostram sententiam. Deus possibilis Deus exsistens, qui est ratio ultima intelligibilitatis entium minoratorum exsistentium.

**273.** *B)* Ex entibus possibilibus.

**Bibliographia.**—Plato, cfr. *Phaed., Tim., Convivium.*—S. Augustinus, *De libero arbitrio.* 1.2, c. 2-15; *Confes.*, 1. 8, c. 17, et in multis aliis locis.—Chossat, *Dieu:* DTC, col. 948.—Descoqs, *Prael. Th. Nat.*, 2, p. 75 ss.—Billot, *De Deo*[7], p. 76.—Garrigou-Lagrange, *Dieu*, p. 296.—Hontheim, *Inst. Theod.*, n. 216; Mz. del Campo, *Theol. Nat.*, p. 65.—Hellín, *Theol. Nat.*, p. 229.—Cuervo, *El argumento de las verdades eternas según Santo Tomás:* CT, 37 (1928), p. 18-34.—Ileris, *La preuve de l'existence de Dieu par les vérités éternelles:* RevThom, 9 (1926), p. 330.—P. Broglie, *Preuves psychol. de l'existence de Dieu*, p. 93-127.

**Nexus.** Ex entibus minoratis exsistentibus fecimus ascensionem ad Deum per viam causalitatis exemplaris. Potestne hoc fieri ex entibus pure possibilius?

**274.** *Sustinent vim probativam argumenti* ex possibilibus uno vel alio modo sive ex realitate eorum sive ex veritate necessaria et aeterna, sive ex harmonia omnium inter se per causam exemplarem: S. Augustinus, S. Bonaventura, Leibniz, Kleutgen, Schiffini, Pesch Chr., Donat, P. Broglie..., A. Lepidi, O. P., Boedder, Van der Aa, Hontheim, Garrigou-Lagrange, O. P., Schaaf, Monaco, Mz. del Campo... et alii non pauci.

*Alii* aut praetermittunt hoc argumentum aut admittunt ut probabile, (Descoqs); aut negant vim probativam accusantes illud de petitione principii. Sic Balthazar, Lahousse, Billot, D. Mercier, Cuervo O. P., Picard, Loinaz, Hellín.

**275.** **Probatur.** Ante probatam exsistentiam Dei mihi constat de realitate pure possibilium minoratorum quoad esse, ad quod dicunt capacitatem. Atqui pure possibilia sic cognita procedunt exemplariter a Deo infinito

*a)* saltem ita cogitato seu in ordine pure logico.

*b)* A Deo infinito, sed iam in ordine metaphysico positivae possibilitatis. *c)* A Deo infinito iam exsistente. Ergo ex pure possibilibus pervenimus ad exsistentiam Dei sub conceptu causae exemplaris continentis illa eminenter.

Minor probatur (mutatis mutandis) eodem processu argumenti ex entibus exsistentibus minoratis quoad esse.

N. B. Eodem processu instituitur ab auctoribus argumentum ex diversis gradibus veritatis ontologicae essentiarum possibilium, quae relate ad nostrum intellectum dantur ante probatam exsistentiam Dei.

**276.** **SCHOLIUM II. 4.ª via per causalitatem efficientem et exemplarem simul.**

Omnibus entibus mundanis sive exsistentibus sive possibilibus convenit esse modo finito et diverso gradu. Ergo nulli enti mundano convenit esse per essentiam, sed omnibus per partici-

pationcm efficientem, ultimatim ab cnte quod habeat esse vel exsistentiam vi cssentiae suac et a se (en viam causalitatis cfficientis).

Sed haec causa efficiens dcbct habcre ideam de illis dcterminatis gradibus quos producit; et debet dari ratio sufficiens cur sint possibiles vel exsistant hi gradus diversi prae aliis in ordine intelligibilitatis seu essentiae. Haec ratio non potest esse alia nisi quia diversimode participant exemplariter ab ente quod habct esse seu exsistat gradu infinito vi esscntiae suae (en viam causalitatis exemplaris).

**277. SCHOLIUM III. Argumentatio S. Thomae sic vidctur procedere.**

*Maior.* Ut constat ex experientia dantur in rebus mundanis perfectiones transccndentales, quales sunt esse unum, verum, bonum... quae conveniunt illis minorate, secundum magis et minus, limitate.

*Minor.* Atqui magis et minus (el mayor o menor grado de positividad) dicuntur quoad illas perfectiones de diversis secundum quod magis vel minus accedunt ad ens maximum, reale et exsistens siquidem ab eo debent procederc causaliter: nam quod convenit alicui ex natura convenit ei non minorate; ergo e contra quod convenit minorate non convenit ex natura sed causaliter ab alio extrinseco.

*Consequens.* Ergo exsistit maximum ens, unum, verum, bonum.

*Minor subsumpta.* Atqui quod dicitur maxime tale (sive formaliter sive eminenter) in aliquo genere est causa omnium quae sunt illius genere. (Genus seu ordo in casu nostro sunt perfectiones purae: ens, unum, verum, bonum in diversis secundum magis et minus; inde causatae ab aliquo extrinseco, ultimatim ab eo ente quod sit maximum in illo genere i. e. maximum ens, maximum unum...)

*Consequens.* Ergo exsistit aliquid maximum quod omnibus entibus est causa esse et bonitatis et cuiuslibet perfectionis et hoc dicimus Deum.

**278. SCHOLIUM IV. De theoria idearum ad mentem Platonis.**

Existimavit Plato ideas universales generum et specierum subsistere per se separatas ab individuis. Individua autem v. c. planta aliqua, animal aliquod, aliquis homo... sunt magis aut minus perfecta prout magis vel minus accedant per similitudinem ad genus suum subsistens vel ad speciem suam subsistentem, quae dicuntur universalia. Iam vero ex eo quod unam rem perfectiorem alteram dicimus sequitur nos iam habere ideam eiusdem perfectionis in summo gradu, cui ideae debet correspondere obiectum reale. Haec autem idea est causa perfectionum limitatarum et producit illas per quamdam sigillationem in materia. Inter ideas platonicas est idea summi boni, a qua omnia participant et coincidit cum Deo.

## 279. OBIECTIONES contra thesim.

1) Argumentatio S. Thomae nititur hoc principio: «magis et minus dicuntur de diversis secundum quod appropinquant diversimode ad aliquid, quod maxime est». Atqui hoc principium est falsum. Ergo falsa est quarta via.

Resp. Conc. maior et nego minorem.

2) Si illud maximum est mere cogitatum nihil probatur. Atqui tale maximum est aliquid mere cogitatum. Ergo argumentum nihil probat.

Resp. Conc. mai. et nego minorem.

3) Iuxta te perfectiones reales minoratae et diversimode limitatae mensurantur ab idea perfectionis sine limite.

Atqui idea perfectionis summae hic et nunc est mere idealis: nempe «datur conceptus maxime veri...» Ergo illud maximum est mere cogitatum.

Resp. Nego mai.

Explicatio: Idea alicuius perfectionis limitatae non mensuratur per ideam perfectionis sine limite; nec idea imperfecta praesuponit ideam perfectam; nec cognitio limitationis alicuius perfectionis realis praesupponit cognitionem realitatis perfectionis illimitatae; nec idea est mensura realitatis.

Affirmatio thomistica habet valorem in ordine exsistentiae et realitatis concretae.

4) S. Thomas ex perfectionibus realibus ascendit ad ideam entis summe perfecti, ad maximum cogitatum, et ex hac perfectione summa mere cogitata descendit ad obiectum eius reale. Atqui hic committitur transitus illegitimus ex ordine ideali ad ordinem realem.

Ergo quarta via nihil probat.

Resp. Nego mai. Nam perfectiones minoratae in ordine reali exsistunt et inde ratio intelligibilitatis et possibilitatis earum in eodem ordine esse debet i. e. in quantum mensurantur a perfectione reali summa et per eam in realitate ponuntur.

5) S. Thomas explicat principium a pari cum hoc exemplo:

«Sicut magis calidum est quod magis appropinquat maxime calido». Atqui exemplum est falsum. Ergo etiam principium.

Resp. Conc. mai. et nego minorem.

Explicatio: Exemplum non est demonstrativum principii, sed mere explicativum sensus illius. Iam vero si exemplum accipitur in sensu vulgari praescindendo ab eius valore in physica moderna est verum. Sic aliquod corpus habebit maiorem vel minorem calorem secundum maiorem vel minorem approximationem ad ignem ut ex experientia est manifestum.

6) S. Thomas ait: «Est igitur aliquid, quod est verissimum et optimum et nobilissimum et per consequens maximum ens». Atqui illud aliquid est tantum relative summum in perfectione aliqua. Ergo non obtineretur Deus.

Resp. Conc. mai.

Dist. min. relative summum inter entia mundana N.; absolute et simpliciter summum in linea essendi C.

7) Ut probes exsistentiam Dei debes probare exsistentiam entis summe perfecti continentis omnes perfectiones actuales et possibiles. Atqui tantum probas exsistentiam entis continentis perfectiones actuales. Ergo non probas exsistentiam Dei.

Resp. Conc. mai. et nego minorem.

Explicatio: Quod est maxime verum, maxime perfectum est etiam maxime ens, nam omnes perfectiones non sunt nisi varii modi essendi; et omne ens est perfectum in quantum aliquo modo habet esse. Ergo datur maxime ens seu Ens quod habeat omnes perfectiones actuales et possibiles.

8) Argumentum S. Thomae nititur hoc secundo principio: «quod dicitur maxime tale in aliquo genere est causa omnium quae sunt illius generis». Atqui hoc principium est falsum. Ergo quarta via reicienda.

Resp. Conc. mai. et nego minorem.

Explicatio: Principium non est immediate evidens sed fit evidens debita declaratione sic: perfectiones minoratae—omnia entia mundana sunt minorata quoad esse—non conveniunt subiectis, in quibus inveniuntur ex natura sua secus non daretur gradatio. Ergo conveniunt illis causaliter ab ente possidente illas vi essentiae suae et imparticipate in summo gradu absolute et quod sit causa omnium entium minoratorum.

9) Quod nimis probat nihil probat. Atqui argumentum probaret hoc: qui est maxime sapiens inter homines est causa omnis sapientiae in hominibus; maxime homo et maxime animal est causa omnium... Ergo argumentum nihil probat.

Resp. Conc. mai. et nego minorem.

Explicatio: Ut constat ex praecedentibus ascendimus ad maximum absolute in linea essendi et in linea sapientiae etc... quod illam perfectionem habeat imparticipate et a se et sit causa omnium entium minoratorum quoad esse.

10) Verum est quod ens quod sit causa aliorum entium debet possidere in gradu aequali vel superiori perfectiones, quae inveniuntur in illis. Sed non est verum hoc: ens summe perfectum intra aliquam categoriam entium est causa aliorum entium inferiorum. Atqui hoc requireretur ut argumentum S. Thomae probaret. Ergo nihil probat.

Resp. Conc. mai.

Dist. min. Non semper accidit hoc C.

Non accidit in nostro processu N.

11) Iuxta te ubi plura subiecta specifice diversa conveniunt in aliquo praedicato communi (v. c. ens, unum, verum, bonum) hoc praedicatum non habent illa subiecta ex natura sua, sed causaliter ab alio realiter distincto. Atqui hoc est falsum. Ergo etiam argumentum tuum est falsum.

Resp. Conc. mai. et nego minorem.

12) Argumentum est falsum si illa perfectio communis datur in illis subiectis specifice diversis ratione alius solum ratione distincti a subiectis. Atqui ita est. Ergo argumentum est falsum.

Resp. Conc. mai. et Nego minorem.

13) Petrus et Paulus, res singulares, sunt homines ratione alius rei distinctae a Petro et Paulo, nempe ratione hominis, quae est ratio magis universalis; sed homo iam non est homo ratione alius praedicati magis universalis, sed ratione ipsius praedicati-homo. Ergo a pari in tuo argumento.

Resp. Conc. antec. et nego consequens et paritatem.

Explicatio: Ut diximus in argumento arguimus ex perfectionibus transcendentalibus v. c. esse iam a parte rei; illa perfectio non est tota essentia... etc.

Ergo convenit illis causaliter... etc.

14) Si multa subiecta sunt bona, unumquodque non est bonum ratione sui formaliter, ratione singularitatis, sed ratione alicuius praedicati magis universalis i. e. ratione bonitatis, quod est distinctum ab illis solum ratione. Ergo argumentum nihil probat.

Resp. Dist. antec.: illud explicat cur sit formaliter bonum unumquodque subiectum i. e. per formam bonitatis C.

Explicat adaequate cur sint diversimode bona illa subiecta specifice diversa N.; ad hoc recurrendum est ad causam efficientem.

15) Illud praedicatum—bonum—magis universale quam subiectum iam est bonum ratione sui formaliter mere logice per exclusionem praedicati magis universalis. Atqui tuo argumento obtines tantum hoc. Ergo iterum argumentum nihil probat.

Resp. Conc. mai. et nego minorem.

16) Debes prabare tuo argumento illa diversa subiecta bona participare suam bonitatem ontologice et causaliter a causa summe perfecta. Atqui nihil aliud probas nisi participationem mere logicam sicut inferiora dicuntur participare rationes magis universales. Ergo...

Resp. Conc. maiorem et nego minorem.

17) Praedicatum v. c. esse non potest esse diversimode gradatum in diversis subiectis per essentiam ipsius praedicati abstracte considerati, quia praescindit a limitibus; sed potest esse diversimode gradatum per differentias; humanum, caninum, angelicum, quae differentiae non distinguntur realiter sed solum ratione a praedicato communi. Ergo argumentum est invalidum.

Resp. Dist. ant. materialiter ita ut explicet sensum negativum, quod supponit causam efficientem C.

ut explicatio adaequata N.

18) Tu ita procedis: Dantur multae perfectiones diversimode limitatae; quod vero est limitatum non potest esse a se, sed ab alio, quod postulat ens a se. Atqui hoc argumentum non est ex mera limitatione, sed ex limitatione ut est indicium contingentiae. Ergo...

Resp. Nego maiorem. Cfr. argumentum.

Explicatio: In argumento concludo directe ad ens summe perfectum, illimitatum; nihil dico de ente contingente et necessario quamvis de facto coincidant.

## ARTICULUS V

### Argumentum ex ordine mundano

*(5.ª via S. Thomae)*

**THESIS 9. Mundi entia ordinata certo nos ducunt ad Deum sub conceptu sapientissimi ordinatoris extramundani et personalis.**

280. **Bibliographia.**—S. Thomas, 1, q. 2, a. 3; 1 CG, c. 13. 42. 44; 1. 2, c. 24.—Suárez, DM, 19, 12; D. 29, s. 2, 6-36.—Descoqs, *Prael. Th. Nat.*, 1, p. 320-436.—Garrigou-Lagrange, *Dieu*, p. 314-338. —DAFC, col. 1.063-74.—Urraburu, *Theod.*, 1, p. 124-142; *Cosmología*, p. 169-177.—Piccirelli, *De Deo*, p. 77-88.—Hontheim, *Inst. Theod.*, p. 157-191.—Brosnam, *Theol. Nat.*, p. 44.—Hellín, *Theol. Nat.*, p. 182 ss.—Mz. del Campo, *Theol. Nat.*, p. 77.—González Álvarez, *Teología Natural*, p. 300.—Paul Janet, *Des causes finaes.*—Sertillanges *Las fuentes de la creencia en Dios*, p. 62.—Gisquière, *Prael. Theodicéae*, 1, p. 223.

281. **NEXUS.** In argumento praecedenti consideravimus mundi entia minorata et diversimode limitata in suis perfectionibus. In hoc argumento theleologico (ex verbo graeco τελος = fin; 5.ª via S. Thomae) consideramus mundi entia ordinata.

### 282. NOTIONES.

**Ordo** est apta dispositio plurium secundum aliquod principium unitatis, rationem aut relationem eorum v. c. dispositio plurium librorum in bibliotheca secundum rationem quantitatis, qualitatis: theologiae, philosophiae, historiae. Ordo semper igitur supponit: aliquam multiplicitatem et principium aliquod ponens unitatem.

Unde elementa necessaria ad ordinem sunt:

a) *Materia* seu elementum materiale, quae est: 1) *pluritas* elementorum v. c. librorum; 2) eorumque *dispositio* materialiter sumpta.

b) *Forma* seu elementum formale et specificum ordinis; est ratio cui oboedit talis dispositio v. c. ratio qualitatis theologiae, historiae. Talis ratio varia esse solet pro diversitate ordinum: sic quantitas pro ordine symetrico; situs pro ordine prioris et posterioris; ratio finis, finalitas pro ordine theleologico seu secundum relationem medii ad finem. Sic rationi signandi horas oboedit dispositio apta rotarum in ordine horologii.

### 283. Divisiones ordinis.

*Materialiter* sumptus est dispositio plurium secundum aliquam rationem abstrahendo utrum adsit directio alicuius intelligentiae vel non.

*Formaliter* sumptus est apta dispositio plurium secundum aliquam rationem cognitam et intentam ut talem. Unde hic ordo v. c. in viventibus addit supra ordinem materialiter sumptum stricte dictam finalitatem i. e. media fuisse consulto ordinata ad bonum quoddam consequendum.

*Simplex* est apta dispositio plurium secundum unam rationem v. c. dispositio librorum in bibliotheca secundum quantitatem.

*Compositus* (complexus, complicatus) est apta dispositio plurium secundum plures rationes v. c. ordo in viventibus.

*Constans* est ille qui inter varietates rerum et vicissitudines semper perseverat.

*Uniformis* est ille qui eodem modo semper in diversis individuis, locis et circumstantiis perseverat.

*Staticus* est apta dispositio plurium ad unum constituendum, v. c. ordo librorum in bibliotheca.

*Dynamicus* seu causalis est apta dispositio causarum ad res causatas; seu apta dispositio plurium causarum ad unum efficiendum: sic dispositio causarum efficientium in viventibus ad organismum efficiendum.

*Ordo causalitatis efficientis* est apta dispositio causae efficientis ad effectum secundum quod hic in esse suo reali a causa dependet. Activitas seu causalitas causae efficientis est actio.

Ordo causalitatis efficientis *per se* est apta dispositio causae efficientis ad effectum, qui procedit ex determinatione necessaria naturae aut ex intentione voluntaria agentis v. c. ordo in libris, in organismis...

Ordo causalitatis efficientis *per accidens* est apta dispositio causae efficientis ad effectum, qui procedit praeter intentionem voluntariam agentis aut praeter necessariam inclinationem naturae v. c. nomen Mariae efformatum litteris a me temere proiectis.

Casus. *a)* Est illud factum, quod procedit praeter intentionem voluntariam agentis aut praeter necessariam inclinationem naturae.

*b)* Est effectus unius causae per accidens, ut si medicus aedificet domum. Saepius intelligitur:

*c)* Effectus productus a concursu plurium causarum independentium, quae praeter intentionem sive agentium liberorum sive naturae, fortuito coniunguuntur, singulae suum effectum producunt, et coniunctim gignunt effectum ad quem nulla erat destinata, quique proinde admirationem movet.

*Exempla.* 1) Si ex proiectione characterum exsurgat verbum vel oratio, motio singulorum est effectus per se; efformatio orationis est effectus per accidens seu casus.

Non deficit principium causalitatis, quia omnes coniunctim sunt causa illius effectus. Sed datur casus quia praeter intentionem ullam habita est talis causarum coniunctio. Effectus vero cuiusque causae est secundum intentionem; et si de effectu causarum naturalium agitur est etiam secundum intentionem naturae.

2) Si duo servi Petrus et Paulus, uno de altero ignorante, per diversas vias ad eumdem locum a Domino suo Antonio mittantur intendendo utriusque concursum; talis concursus est effectus casualis respectu servorum; servi autem sunt causa per accidens. Antonius est causa per se concursus, qui est effectus per se intentus.

3) Si Petrus proicit tegulam e tecto intendendo occisionem Pauli praetereuntis: talis occisio est effectus casualis respectu tegulae; tegula autem (cadens per se) est casus ut causa

respectu occisionis. Petrus est causa per se occisionis; occisio autem respectu Petri est effectus per se intentus.

*Ordo causalitatis finalis* (ordo finalitatis) est apta dispositio causarum vel causae efficientis ad actionem et effectum, non prout hic in suo esse reali a causa efficiente dependet, sed secundum quod ut terminus et finis alicuius appetitus efficitur vel attingitur.

**284.** FINIS, est id propter quod aliquid fit; illud nempe bonum, ad quod producendum vel obtinendum actio ponitur. (Finis est primus in intentione, postremus in executione.)

*Finis qui* est bonum quod intenditur.
*Finis cui* est persona cui bonum intenditur.
*Finis quo* seu formalis est possessio boni.

*Finis operantis* (extrinsecus) est ille, quem agens rationale libere sibi praefigit, vel ille ad quem de facto agens actionem suam ordinat v. c. aliquis potest facere eleemosynam ad sublevandam indigentiam pauperis, propter vanagloriam, ad redimenda peccata...; auctor potest scribere librum ad pecuniam comparandam, ad maiorem Dei gloriam, ad gloriam alicuius amici etc...

*Finis operis* est ille ad quem natura sua opus vel actio agentis tendit seu respicit tamquam specificativum sui v. c. eleemosyna natura sua ordinatur ad sublevandam indigentiam pauperis. Actio scribendi librum natura sua ordinatur ad ideas communicandas (finis intrinsecus auctoris libri).

Finis operis potest esse:

*Intrinsecus* est ille ad quem natura sua opus ordinatur et constituit perfectionem intrinsecam seu internam rei. Sic v. c. veritas est finis operis intrinsecus intellectus, quia intellectus veritate intrinsece perficitur.

*Extrinsecus* est ille ad quem natura sua opus ordinatur et non constituit perfectionem intrinsecam rei. Sic v. c. combustio est finis operis extrinsecus ignis cum ad combustionem ignis natura sua tendat, quin tamen combustio perfectionem intrinsecam ignis constituat.

*Finis efficiendus* est ille qui non exsistit prius, sed ab agente faciendus intenditur v. c. tabula pingenda.

*Finis obtinendus* est ille qui exsistit prius, sed eius possessio intenditur v. c. pecunia pro mercatore. Finis bonorum operum est possidere Deum, non vero efficere Deum.

*Finis communicandus* est ille qui iam exsistit et possidetur sed intenditur communicare.

**285.** FINALITAS est relatio seu habitudo agentis in finem; est dispositio, adaptatio mediorum ad finem v. c. dispositio et adaptatio plurium causarum efficiendum in vivente ad organismum efficiendum.

*Finalitas materialiter* sumpta est dispositio et adaptatio mediorum ad finem praescindendo utrum talis finis sit cognitus et intentus necne.

*Finalitas formaliter* sumpta (vera et stricta finalitas) est dispositio et adaptatio mediorum ad finem cognitum et intentum.

Unde in hac finalitate formaliter sumpta intenditur tum finis, tum ordo mediorum ad finem et inde dicit media fuisse consulto ordinata ad finem et bonum consequendum; et proinde exigit sive mediate sive immediate intellectum cognoscentem finem et media et disponentem media secundum relationem mediorum ad finem; et insuper voluntatem intendentem tum finem tum etiam illam dispositionem et adaptationem mediorum ad finem.

Item finalitas non identificatur adaequate cum ordine finalistico qui complectitur tria: pluralitatem elementorum, aptam dispositionem mediorum ad finem seu finalitatem et finem aut bonum consequendum per illam aptam dispositionem.

*Activitas finalis* (seu finalizatio): est exercitium causae vel causarum efficientium finaliter agentium. Est causalitas finis seu eadem actio causae efficientis prout a fine dependet. Unde non est sola actio causae efficientis, sed actio quatenus posita est propter finem, quae iam non est ipsa finalitas stricte sumpta, sed manifestatio ipsius finalitatis.

*Finalitas interna* est dispositio et adaptatio mediorum in finem seu in bonum ipsius agentis v. c. finalitas in elementis alicuius organismi.

*Finalitas externa* est dispositio et adaptatio mediorum in finem seu in bonum aliorum v. c. agentia mundana tendunt in bonum totius universi.

**286.** PRINCIPIUM FINALITATIS est iudicium exprimens nexum inter causam efficientem et finem. Sic enuntiari potest: Omne agens agit propter finem, diversimode tamen; illa enim tendentia fieri potest:

a) *Legaliter* sic ens non vivum (mineralia) tendit iuxta leges naturae seu per appetitum naturalem ad requisita v. c. temperamentum, densitatem...

b) *Plastice:* sic ens vivum, sed non cognoscitivum, plasmat seu intendit per appetitum naturalem seu per principia activa et necessaria ad plasmanda organa convenientia pro sua perfectione; ita plantae, quae tendunt in finem, sed non cognoscunt finem.

c) *Instinctive:* sic ens vivum sensitivum velut brutum, quod cognito fine per sensum intendit per appetitum elicitum sensitivum cum spontaneitate, non vero cum libertate illum finem cognitum solum materialiter i. e. cognoscit bonum, quod est finis et media et est naturaliter determinatum ad usum mediorum. Non autem cognoscit finem ut finem, media ut media, nec relationem mediorum ad finem.

d) *Intellectualiter:* sic ens vivum intellectivum, veluti homo, qui cognito fine per intellectum, intendit per appetitum elicitum rationalem seu per voluntatem (quae movetur a fine in suis actibus elicitis et imperatis) illum finem cognitum ab intellectu formaliter ut finem, media ut media seu proportionata et eligibilia ad finem, et relationem mediorum ad finem.

N. B. Agens non intellectuale proprie suae actionis non habet finem, sed terminum et materialiter intendit finem sibi ab alio inditum.
Iam vero finis non exercet suum influxum nisi in ordine intentionis ideoque vera finalitas tunc solum erit quando habetur finis cognitus ab aliquo intellectu et intentus a voluntate sive immediate sive mediate. In hoc casu causalitas finis erit completa.

**287.** *Ordo mundanus* est apta rerum viriumque dispositio ad fines proprios, ita ut per fines proprios, res ad finem universi tendant seu conspirent. Unde ratio seu elementum formale ordinis mundani est finis, seu bonum universi.

**288.** ENS PERSONALE est ens intellectu et voluntate praeditum actu sui conscium et subsistens independenter ab aliis rebus.

## 289. STATUS QUAESTIONIS.

1. QUAERIMUS utrum ex ordine mundi possimus ascendere ad Deum sub conceptu sapientissimi ordinatoris necne?

2. ADMITTIMUS valorem argumenti, quod ex ordine generali mundi desumitur i. e. ex qualibet actione vel operatione, quae manifestet ordinationem

in finem (fatemur tamen, ait Descoqs, eum praebere magnas difficultates quando crisi in specie et in individuo subicitur).

INDE argumentum desuminus solum ex ordine dynamico praesertim in organismis brutorum et plantarum.

**290.** 3. IN QUO NITITUR ARGUMENTUM?

a) *Factum experimentale* erit finalitas intrinseca, quam manifestant viventia sua activitate finali seu suis operationibus tendentibus constanter et uniformiter in finem seu bonum sibi proprium.

b) *Principium metaphysicum* est principium causalitatis efficientis ad finem huius theseos adaptatum sic: illa finalitas seu dispositio et adaptatio plurium causarum efficientium ad finem efficiendum, est causata ab aliquo ente finaliter agente, ultimatim ab intelligentia summa, quae sit causa efficiens prima (non quaerimus hic causam finalem ultimam) finaliter intellectualiter agens, saltem ordinatrix illorum organismorum.

**291.** 4. CONCEDIMUS viventia mundana esse causam efficientem finaliter agentem per se proximam talis ordinis dynamici.

Sed AFFIRMAMUS esse absolute necessariam causam efficientem per se, intelligentem extramundanam, quae determinet causam proximam ad ponendos actus in ordine ad finem.

Et sic ex ordine finalistico organismorum materialiter sumpto ascendimus ad ordinem finalisticum eorumdem formaliter sumptum i. e. prout provenit ab aliqua intelligentia dirigente illum et ab aliqua voluntate exsequente. Aliis verbis: Ordo in viventibus implicat relationem mediorum ad finem et quaestio hic erit utrum implicet finem cognitum et intentum per aptam dispositionem mediorum.

**292.** 5. Argumentum ex ordine mundano considerari potest sive completum argumentis metaphysicis sive seorsim. Si seorsim consideratur non evincit exsistentiam Dei qualis ponitur sub definitione nominali aliquantulum scientifica; sed certe evincit exsistentiam Dei qualis ponitur sub definitione vulgari: concludit nempe exsistentiam alicuius entis sapientissimi, potentissimi a mundo distincti.

Unde facile hic ens intelligens sui conscium, ibi argumentis metaphysicis ens a se demostratur. Coniungendo igitur utrumque, clarissimum et summe probativum argumentum pro exsistentia Dei componitur.

**293.** 6. Thesis habet duas partes:

*In 1.ª parte* demonstratur exsistere sapientissimum ordinatorem a se.

*In 2.ª parte* probatur tale ens esse personale.

## 294. ADVERSARII.

IN GENERE: enumerati sunt in thesi 3.ª
IN SPECIE contra hanc thesim:

**295.** 1) ILLI, QUI NEGANT OMNEM FINALITATEM, ut materialistae, Pantheistae, positivistae, evolutionistae, mecanicistae... qui ordinem mundanum explicant per solas causas efficientes per accidens sive casu fortuito sive evolutione caeca absque ulla finalitate. Unde pro ipsis homo v. c. videt quia habet oculos, sed non habet oculos ut videat; avis volat quia habet alas, sed non habet alas ut volet.

2) ILLI, QUI ADMITTUNT FINALITATEM, ut W. HEGEL, SCHOPENHAUER, BERGSON, LE ROY, RENAN, PAULSEN... et inde ordinem mundanum explicant per causas efficientes et finales. Sic homo videt quia habet oculos et habet oculos ut videat. Tamen pro ipsis causa per se et adaequata illius ordinis mundani sunt ipsa entia mundana. Causa intelligens extramundana non est necessaria ad hoc explicandum.

**296.** 3) ILLI, QUI AFFIRMANT FINALITATEM ESSE MERE SYMBOLICAM: repraesentamus enim naturas rerum quasi tenderent in finem praeordinatum ab aliqua intelligentia, sed non accidit hoc in re, est merus anthropomorphismus quo iudicamus de rebus naturalibus sicut de artificiis humanis, v. c. de horologio. Sic *criticistae* post KANT, qui affirmant insuper hoc argumento non probari intellectum infinitum, et hoc requiritur ad probandam exsistentiam Dei.

**297.** OMNES THEISTAE. SS. Patres, scholastici... uno ore affirmant finalitatem et explicant ordinem mundanum per causas efficientes et finales: proxime per ipsa entia mundana, quae sunt causa per se ordinis; remote per causam per se, intelligentem, extramundanam, quam Deum nominamus.

**CENSURA.** Certa.

## 298. PROBATUR.

**1.ª Pars.** Est in mundo, praesertim in viventibus, ordo mirabilis, complicatissimus, constans et uniformis: uno verbo adest finalitas intrinseca in viventibus. Atqui talis finalitas exigit: *a)* causam aliquam efficientem; *b)* causam efficientem per se; *c)* summe intelligentem; *d)* extramundanam, quam Deum nominamus.

Ergo ex finalitate intrinseca organismorum certo probatur exsistentia Dei sub conceptu sapientissimi ordinatoris extramundani.

*Maior* supponitur iam probata in cosmologia, ubi constat:

*ordo mirabilis:* Causae creatae miro modo apparent in se constructae et ita inter se coniunctae et dispositae ut ad magnificam in unitate varietatem, utilitatem, delectationem conspirent. Prae oculis habes ordinem in mundo stellari, plantas tam varias, necnon bruta et modum, quo tria regna ad invicem sese adiuvent;

*ordo complicatissimus:* considera innumera et diversissima genera, species et individua, quae ad ordinem totius universi conferunt; item singulas res ordinem complicatissimum efficientes, cogita v. c. de complicatione unius organismi;

*ordo constantissimus.* Post longissima tempora in summa rerum varietate et vicissitudine talis ordo perseverat;

*ordo uniformis:* in diversis locis et circumstantiis corpora praesertim organica, ad suos fines eodem modo tendunt.

Considera structuram et operationes vitales organismorum et diversorum organorum, quae non tantum favent productioni, conservationi, evolutioni, restitutioni et generatim bono vitae vel in individuo vel in specie, sed positive ad eam ordinantur et adaptantur.

*Minor.* Talis finalitas intrinseca exigit:

a) *Aliquam causam efficientem ordinatricem,* quia est aliquis effectus ordinatus, et omnis effectus postulat suam causam proportionatam.

b) *Causam efficientem per se,* si enim haec non daretur nulla esset ratio sufficiens illius tendentiae constantis et uniformis:

—*non intentio* voluntaria agentis intendentis effectum, quia ex hypothesi non daretur; *nec inclinatio* necessaria naturae, quae iterum ex hypothesi non daretur;

—*nec casus,* quia proprietates eius sunt inconstantia et variabilitas; effectus vero est constans et uniformis;

—*nec necessitas* caeca per accidens elementorum, quia in casu nostro datur coniunctio multarum causarum independentium inter se, quae sunt indifferentes ad indcfinitas combinationes.

Ergo unica ratio sufficiens illius finalitatis est causa, quae constanter et uniformiter operetur, i. e. causa per se.

*Confirmatur:* Si Antonium deambulantem per viam semel aut iterum percutiat in capite lapis proiectus, hoc factum casu explicari potest. Si vero Antonium multoties deambulantem per viam multoties item lapis in capite percutiat, estne aliquis qui dicat illud factum casu explicari posse? Minime, sed statim quaerit auctorem illius facinoris, nempe causam per se v. c. inimicum Antonii consulto proicientem lapidem.

Haec causa per se proxima et immediata illius finalitatis sunt ipsa viventia, quae finaliter agunt seu ponunt suos actus in ordine ad finem determinatum; carent vero intelligentia, et finalitas quae in eis elucet:

c) *Exigit causam intelligentem.*

Nam organismus seu finis efficiendus:

—*debet dirigere* constanter et uniformiter ipsam dispositionem et evolutionem, secus non daretur ratio sufficiens cur elementa de se independentia inter se in esse et operari et indifferentia ad indefinitas combinationes etiam ineptas, efficiant hanc dispositionem et evolutionem mirabilem, complicatissimam, constantem et uniformem cum selectione quam aptissima talium mediorum prae aliis secundum aptitudinem uniuscuiusque ad finem determinatum consequendum. Sic v. c. embrio ab una cellula incipit, diu ante usus organorum totum organismum (oculos, aures, manus, pedes...) virtute continet, ex parvis initiis paulatim mirabili finalitate in perfectum organismum crescit, impedimenta evitans, laesiones reparans, organa efformans;

—*non potest dirigere* executionem *nisi prius cognoscatur.*

In casu enim adest causalitas finis, quia effectus futurus influit in causam efficientem, quae ponit suas operationes propter finem ut modo probavimus. Atqui causalitas finis non exercetur nisi in ordine intentionis seu cognitionis, quia si ille finis, qui non exsistit nullo modo cognosceretur, non potest ullo modo esse praesens subiecto, neque ideo causalitatem exercere in eius activitatem. Ergo finis efficiendus debet prius cognosci.

*Non potest cognosci nisi ab intellectu.* Nam totum hoc arguit:

a) *Concipere et intendere finem ut finem,* ut effectum futurum et bonum propter quod aliquid fit, secus non daretur ratio sufficiens cur causa ad hunc effectum sit determinata.

Iam vero cognoscere futurum ut futurum est opus solius intelligentiae.

b) *Ordinare media* ad illum finem seu seligere media determinata secundum aptitudinem uniuscuiusque ad finem individui. Cognoscere autem medium ut medium item est opus solius intelligentiae.

c) *Cognoscere formaliter relationem* seu conducentiam ut talem mediorum ad hunc finem prae omnibus aliis. Sed cognoscere relationem seu conducentiam ut talem est opus solius intelligentiae.

Ergo finalitas intrinseca in viventibus exigit causam intelligentem et quidem summe intelligentem: si enim est signum magni ingenii inter homines invenire etiam minimam partem illius mirabilis finalitatis, summa erit intelligentia illius qui tam pulchrum et constantem ordinem instituit.

*Confirmatur:* ex analogia cum arte factis et experientia constat sine ulla exceptione ordinem complicatum v. c. in horologio, numquam casu formari sed exigere causam intelligentem. Ergo a fortiori cum agitur de ordine pulcherrimo et complicatissimo in viventibus.

d) *Extramundanam, quam Deum nominamus.*

Nam 1) Talis causa non invenitur in plantis et brutis in quibus ordo mirabilis, complicatissimus, constans et uniformis maxime elucet; haec enim intelligentia carent.

2) In mundo homines sunt intelligentia praediti, sed liquet illos non esse causam ordinis, qui in plantis et brutis splendet. Immo etiam ordo complicatissimus qui in hominibus intelligentiam exigit v. c. operationes evolutionis proprii organismi, restitutionis, digestionis, etc., caece et necessario ex sua parte fiunt.

Ergo ordo mundanus exigit causam extramundanam.

HAEC CAUSA EST DEUS. Si enim aliquis non maneat contentus cum illa causa intelligente extramundana, eo quod possit esse aliquis spiritus, quaero: vel ille spiritus est a se saltem quoad intellectum, vel ab alio; si est a se quoad intellectum habetur intentum i. e. intellectus summe intelligens extramundanus et a se; si est ab alio, hic intellectus ab alio ultimo requirit intellectum summe intelligentem a se et inde etiam totaliter a se seu habet esse a se. Sic argumentum ex ordine argumentis metaphysicis completur.

Ergo ordo mundi aspectabilis intelligi nequit sine aliqua mente ordinatrice, quam Deum nominamus.

**299. 2.ª Pars.** Sapientissimus ordinator, a se, est ens personale.

Sapientissimus ordinator obtentus in prima parte est ens intellectu praeditum, sui conscium, realiter distinctum a rebus ordinatis, ens a se et consequenter subsistens independenter ab aliis rebus. Atqui haec est definitio entis personalis. Ergo sapientissimus ordinator, ens a se obtentum in prima parte est personale.

**300. SCHOLIUM. De principio finalitatis.**

*Principium finalitatis*, est iudicium exprimens nexum inter causam efficientem et finem. Triplici forma efferri solet:

1.ª *Opus agentis per intellectum est propter finem seu omne intellectualiter agens agit propter finem.* Ubi agere «intellectualiter» est agere cognoscendo et volendo. In hoc sensu tantum extenditur ad entia rationalia.

2.ª *Opus per se ordinatum est propter finem.* Etiam restringit quaestionem ad entia rationalia.

3.ª *Omnis effectus est propter finem;* seu omne agens, agit propter finem; i. e. non datur causa efficiens absque fine.

Sic ostendit P. Delmas, (Ontología p. 543). Intentio finis ultimo determinat agens ad effundendum effectum. Nam ratio sufficiens effectus non est sola eius in agente praecontinentia in ordine reali sive etiam ideali (i. e. in causa efficiente aut exemplari); haec enim dat posse agere. Requiritur insuper inclinatio, quae actualem effusionem determinet; haec autem nihil aliud est quam intentio finis. Ergo intentio finis in omni effectu influit.

N. B. Notandum est particulam propter non semper significare causalitatem finis. Deus enim agit propter finem, qui respectu divinae volitionis non est causa, haec enim habet rationem sufficientem non vero causam finalem.

Praeterea Deus agit propter finem communicandum i. e. agit ad suam bonitatem communicandam ceteris.

Principium finalisticum est analyticum ideoque omnino necessarium et certum.

## 301. OBIECTIONES.

1) Non sunt multiplicanda entia sine necessitate. Atqui ordo mundanus explicatur solis suis constitutivis sine sapiente ordinatore. Ergo ex ordine mundano non demonstratur sapiens ordinator.

Resp. Conc. mai.

Dist. min. proxime et inadaequate C.; remote et adaequate N.

Atqui nec ultimatim requiritur sapiens ordinator. Ergo...

2) Ordo mundanus casu oriri potuit. Atqui ex ordine casuali non demonstratur sapiens ordinator. Ergo nec ultimatim requiritur sapiens ordinator.

Resp. Nego maiorem. Respectu causae primae non datur casus; respectu causae proximae, casus numquam producit ordinem complicatum et constantem; potest autem producere ordinem simplicem, sed raro, non saepe.

3) Ordo casu resultans est una ex possibilibus combinationibus. Atqui ordo actualis mundi est una ex possibilibus combinationibus. Ergo casu oriri potuit.

Resp. Dist. mai. si est complicatissima, constans et uniformis N.; si est simplex et transeunter ordinata Tr.

Contrd. min. est possibilis siquidem exsistit, C.; est possibilis casualiter N.

Atqui etiam casu resultans. Ergo...

4) Ordo simplex potest casu oriri. Atqui ordo complicatus essentialiter non differt ab ordine simplici. Ergo etiam ordo complicatus potest oriri casu.

Resp. Dist. mai. Si non est constans, uniformis nec vere et per se unus C.; si est constans, uniformis et vere per se unus N.

Tr. min. et distinguo pariter consequens.

Explicatio: Casus et finalitas invicte probata pugnant inter se. Calculus probalitatis, leges magnorum numerorum et leges statisticae non solvunt quaestiones.

Non enim sunt leges obiectivae rerum, sed sunt diversi modi quibus nos utimur ut, data possibilitate alicuius combinationis, sciamus plus minus exacte qua probabilitate accidere potest. Sed in casu nostro negatur possibilitas combinationis casu ortae sine intelligentia ordinatrice.

Insuper ordo macroscopicus est ordo per se et constans et habet suam correspondentiam in mundo microscopico, nempe causas determinatas et ordinatas obiective, quamvis nos subiective exacte cognoscere et determinare non possimus.

Atqui etiam ex dicto ordine complicato non demonstratur sapiens ordinator. Ergo...

5) Sicut leges physico-chemicae explicant naturam elementorum, sic pari ratione leges biologicae exprimunt naturam organismorum. Atqui ex legibus physico-chemicis difficulter finalitas et supremus ordinator probari potest. Ergo etiam difficulter... ex legibus biologicis.

Resp. Nego maiorem et paritatem. Quidquid sit de valore argumenti ex legibus physico-chemicis, vita organica explicari non potest ex solis viribus physico-chemicis. Finalitas intrinseca maxime apparet ut diximus, in organismis efficiendis.

Atqui etiam ordo in organismis explicatur sine sapiente ordinatore. Ergo...

6) Phaenomena organica legibus biologicis necessario reguntur. Atqui tum ordo organismorum sufficienter explicatur ab ipsis organismis. Ergo vacat sapiens ordinator.

Resp. Conc. maior.

Dist. min. proxime et inadaequate C.; ultimatim et adaequate N.

Atqui etiam ultimo et adaequate. Ergo...

7) Tales leges sunt proprietates essentiales organismi. Atqui proprietates essentiales ultimam et adaequatam rationem sui habent in suis naturis. Ergo natura est causa ultima.

Resp. Nego minorem. Probo min.

8) Posita essentia seu natura quin aliud ponatur, necessario sequitur proprietas, et natura sublata tollitur. Ergo in natura et in sola natura habebitur ratio sufficiens.

Resp. Conc. antec. Dist. consequens; ratio sufficiens proxima a qua dimanat illa proprietas C.; ratio ultima et adaequata N.

Atqui ultima et adaequata. Ergo...

9) Naturae rerum organicarum non exigunt sapientissimum ordinatorem si sunt ordinatae a se. Atqui nulla est ratio sufficiens, quae probet esse ordinatas ab alio. Ergo naturae rerum organicarum sunt ratio adaequata, non exigunt sapientissimum ordinatorem.

Resp. Conc. mai. et nego minorem.

Explicatio: Ordo singularum rerum saepe eis essentialis est v. c. in organismis, unde si a se essent ordinatae a se etiam exsisterent, quod repugnat. Item quia naturae ex se solis nequeunt esse apte dispositae ut tam mirabilem ordinem efficiant, cum elementa earum sint indifferentia ad indefinitas combinationes, etiam ineptas. Certe de facto sapiens ordinator etiam illas naturas produxit et sic datur identitas materialis, non vero formalis, inter argumentum ex ordine et argumentum ex productione.

Atqui sunt sufficientes naturae rerum... Ergo...

10) Ordo mundanus est effectus finitus. Atqui ad effectum finitum sufficit virtus finita. Ergo non datur necessitas ordinatoris extramundani.

Resp. Conc. mai.

Dist. min. proxime et inadaequate C.; etiam remote et adaequate, N.; Dist. pariter consequens.

Atqui non requiritur nec datur sapiens ordinator extramundanus. Ergo...

11) Ille ordinator sapientissimus semper et in omnibus sapienter ageret. Atqui evidenter probatur contrarium. Ergo non datur sapiens ordinator extramundanus.

Resp. Conc. Mai. et Nego minorem.

EXPLICATIO: Ex finalitate intrinseca viventium certo probatur sapiens ordinator extramundanus. Deordinationes apparentes postea explicandae et conciliandae sunt cum sapientissimo ordinatore, unico et omniperfecto.

Atqui sunt multa in quibus nullus ordo datur. Ergo...

12) Ordo praecipuus apparet ex finalitate in viventibus. Atqui sunt multa in illis quorum nullus ordo datur.

Resp. Conc. mai.

Dist. min. nobis non satis innotescit finis C.; nullus revera datur finis. N.

Atqui revera nullus datur finis in eis. Ergo...

13) Tunc Deus ageret propter finem. Atqui hoc admitti non potest in ente absolute independente. Ergo revera nullus datur finis in eis.

Resp. Dist. mai. Propter finem formaliter sumptum N. Propter finem virtualiter sumptum. C. Nam Deus vult omnes res unice propter suam bonitatem, quae est ratio volendi omnia.

14) Argumentum ex ordine sumitur ex analogia. Atqui analogia non gignit certitudinem. Ergo non probatur certo sapiens ordinator ex ordine.

Resp. Dist. mai. solum ex analogia N.; etiam ex analogia C.

Contr. min. Analogia sola saepe... C.; numquam gignit certitudinem N.

15) Opera arte facta oriuntur saepe ex impulso inconscio et tum procedimus magis perfecte quam quando agimus conscienter et reflexe. Ergo a pari ordo mundanus complicatus potuit oriri ex instinctu caeco.

Resp. Dist. ant. ex impulso inconscio supposito magno labore rationali et mira finalitate in facultatibus C.

Solummodo ex impulso caeco N.

16) Si viventia in suis operationibus diriguntur ad finem determinatum ab extrinseco, periret causalitas naturalis. Atqui hoc admitti non potest. Ergo diriguntur a se ipsis in finem.

Resp. Dist. mai. Si adaequate moverentur ab extrinseco C.; si etiam operantur suo principio vitali N.

Contr. min.

# CAPUT VI

## De argumentis moralibus

## ARTICULUS I

### Argumentum eudaemonologicum

**THESIS 10. Deum exsistere tamquam summum bonum probatur ex appetitu seu desiderio beatitudinis nobis innato.**

302. **Bibliographia.**—Schiffini, *Theol. Nat.*, n. 395.—Sertillanges, *Las Fuentes...*, p. 255 ss.—Pohl, *De vera religione quaestiones selectae* (1928), p. 108-117.—Gredt, *Elementa Philos.*, 2 (1922), p. 193-195; ídem, DivThom (Fr), 1924, p. 329 ss.—Garrigou-Lagrange, *art. Dieu:* DAFC, col. 1.058-1.060; ídem, *Dieu*, p. 394; ídem, Ang (1931), 129-148—Maréchal, *Le point...*, v. 5, p. 27 ss.; 419 ss.—Monaco, *Theot. Nat.*, p. 120-122.—Roland-Gosselin, *Désir de bonheur et l'existence de Dieu:* RevScPhTh (1924), 162-172.—Hontheim, *Inst. Theod.*, n. 362 ss.—Donat, *Theod.*, n. 14.—De Backer, *Theol. Nat.*, p. 84 ss.—Boyer, *Cursus Phitos.*, p. 355 ss.—Arnou, R., *Theol. Nat.* (1947), p. 107.—Mz. del Campo, *Theot. Nat.* (1946), p. 87.—Maquart, *Elem. Philosophica*, 3, p. 321.—L. Bordet, *Manuel de Philosophie. Metaph. Vitte* (1932), p. 281-283.—Monnier, *Désir de bonheur et existence de Dieu:* RevPh (1921), 174-193.—Rast, *Theot. Nat.*, p. 41.—Billot, *De Deo*,[7] p. 42-48.—De Munnyck, *Prael. de Dei exsistentia*, p. 85-86.—Mercier, *Traité élém.*, 2, p. 53-54.—Merkelbach, *Exsistentia Dei non probatur ex ordine morali:* RevEcclLiège, 6 (1910-1911), p. 420.—Van der Meersch, *De Deo uno...* (1928), p. 66-69.—Van de Woestyne, *Cursus Philos.*, 2, p. 685-687.—Hellín, *Theol. Nat.*, p. 256.—Gisquière, *Praet. Theod.*, 1, p. 263.—Descoqs, *Prael. Theol. Nat.*, 2, p. 135 ss.

303. **NEXUS.** In thesi praecedenti consideravimus entia mundana, praesertim viventia non intellectualia, ordinata seu tendentia in suum finem seu bonum ipsius viventis et quaerebamus causam efficientem primam ipsius finalitatis intrinsecae.

In hac thesi (argumentum eudaemonologicum, a verbo εὐδαιμων, beatus) considerabimus entia mundana libera tendentia appetitu innato in beatitudinem seu in bonum qua tale, et in bonum infinitum, quod est Deus causa finalis ultima. Unde in hac thesi quaerimus causam finalem ultimam illarum tendentiarum.

### 304. NOTIONES.

Deus: est summum bonum.

**Bonum** *in genere* est illud quod alicui conveniens est ideoque appetibile.

Divisiones boni.

*Honestum* est illud quod per se ipsum convenit naturae qua tali.
*Explicatio: Per se ipsum:* sc. per illam perfectionem quam in se habet.

*Naturae:* sive rationali sive ratione carenti.

*Qua tali:* i. e. absque ordine ad delectationem, sed solum quia per se decet ac consentaneum est.

Bonum honestum *sensu lato* seu bonum naturale: est illud quod per se ipsum convenit cuilibet naturae quia eam intrinsece perficit seclusa ratione virtutis, v. c. sanitas, integritas, ipsum esse, vivere, sapere...

Bonum honestum *stricto sensu* seu bonum morale: est illud quod per se ipsum convenit naturae rationali qua tali, quia eam intrinsece perficit v. c. virtus.

*Delectabile* est illud quod enti conveniens est in ordine ad delectationem v. c. sumptio cibi dulcis.

*Utile* est bonum quod convenit enti non per se ipsum, sed sola ratione alterius boni, quod per illud seu mediante illo obtineri potest v. c. pecunia ad comparandam sanitatem; sumptio medicinae amarae ad obtinendam sanitatem.

BONUM QUA TALE est illud quod praescindit a limite ideoque sese extendit ad bona indefinite multa. Ut tale non exsistit nisi in ordine logico vel psychologico.

BONUM INFINITUM est illud quod excludit omnem limitem et est inexhauribile per quamcumque mensuram determinatam bonitatis.

**305. APPETITUS** *in genere:* est tendentia seu inclinatio rei in suum bonum.

*App. supernaturalis* est ille, qui procedit a principio elevante naturam et tendit ad terminum superantem omnes vires activas, passivas et exigitivas naturae. Sic desiderium videndi Deum ortum ex virtute infusa spei.

*App. naturalis* est ille qui procedit a principio naturali et tendit ad terminum iuxta capacitatem et exigentiam naturae. Sic desiderium obtinendi beatitudinem naturalem, quaecumque illa erit, de quo agemus in thesi; vel desiderium in voluptatem brutis inditum.

*App. nat. innatus* est inclinatio positiva naturae in bonum sibi conveniens antecedenter ad cognitionem huius boni ex parte ipsius subiecti. Seu est inclinatio consequens formam naturalem seu ipsam naturam rei.

Non est actus secundus seu operatio, sed realiter identificatur cum ipsa natura cuius est, unde potest considerari ut actus primus. Non est mera capacitas seu potentia aliquid faciendi vel recipiendi, sed inclinatio positiva. Est pondus naturae i. e. pondus quo omnis natura (seu omne principium operationis) in terminum suum quasi gravitat. Est quasi sollicitudo, quia nulla natura est indifferens ad terminum suum, sed ad eum ab intrinseco iugiter sollicitatur. Invenitur in omni substantia et in omni accidente; quaelibet enim potentia appetitu innato tendit seu desiderat bonum sibi conveniens. Sic intellectus appetitu innato antecedenter ad omnem cognitionem seu actum secundum tendit in verum qua tale; voluntas appetitu innato antecedenter ad omnem volitionem seu actum secundum tendit in bonum qua tale.

*App. nat. elicitus* est illa inclinatio (actus secundus vitalis procedens a facultate appetitiva) quae sequitur bonum seu formam aliquam apprehensam a subiecto appetente eique convenientem. Unde praecedit cognitio boni deinde venit inclinatio. Invenitur in solis substantiis cognoscitivis.

*App. elicitus sensitivus* est ille (actus secundus) qui sequitur bonum seu formam apprehensam per sensum. Sic actu appetitivo sensitivo brutum appetit cibum cognitum ab actu cognoscitivo sensitivo.

*App. elicitus intellectivus seu rationalis* est ille (actus secundus) qui sequi-

tur formam apprehensam per intellectum. Sic homo actu appetitivo rationali (voluntate) appetit bonum cognitum ab intellectu.

*App. elicitus rationalis necessarius* est ille (actus) ad quem ex natura sua determinatur voluntas v. c. actus amoris erga Deum in visione intuitiva divinae essentiae; actus desiderii beatitudinis in communi seu id quod est undequaque bonum.

*App. elicitus rationalis liber* est ille ad quem libere determinatur voluntas; sic actus amoris in bonum particulare, quod est malo admixtum.

*Appetitus. In actu primo remoto* est natura ex qua facultates dimanant. *In actu primo proximo* est facultas tendendi. *In actu secundo* est ipsum exercitium tendendi.

**306.** *Appetitus frustratur: per se:* si finis in se impossibilis est. *Per accidens:* si finis in se quidem possibilis est, sed propter conditionem non impletam non obtinetur. Sic beatitudo ut ultimus finis hominis potest frustrari ex eius culpa. Nam cum homo beatitudinem quaerat actibus elicitis liberis potest sive ex errore sive ex malitia beatitudinem in concreto reponere ibi ubi non adest.

**307.** **BEATITUDO** *in genere* est possessio omnium bonorum, quae ad connaturalem perfectionem hominis pertinent. Seu bonum perfectum, quod totaliter quietat appetitum creaturae rationalis.

*Obiective considerata* est bonum illud, quod totaliter quietat appetitum; seu illud obiectum necessarium et sufficiens ad beandum; seu aggregatio omnium bonorum. *Obiectum necessarium* est illud quo non adepto beatitudo haberi nequit etsi omnia alia bona habeantur. *Obiectum sufficiens* est illud quo adepto, etsi omnia alia bona desint, beatitudo perfecta habebitur; proinde quod unice requiritur.

*Subiective considerata* est ipsa possessio illius boni et plena quies voluntatis ex hac possessione resultans.

*Obiectiva in concreto seu determinata:* est obiectum determinatum necessarium et sufficiens ad beandum.

*Obiectiva in abstracto* seu potius in communi est ratio transcendens boni, bonum qua tale, praecisione facta a re in qua verificatur; quae relucet in bonis non satiantibus, quae appetuntur, sed non quietant et maxime in bono (vel bonis, hoc maxime quaerendum) quae satient et quietent respectu cuius vel quorum priora se habent ut media relate ad finem.

*Naturalis* est illa quae respondet aptitudini et tendentiae naturae purae i. e. absque elevatione ad ordinem supernaturalem.

*Supernaturalis* est illa quae respondet elevationi per gratiam ad ordinem, qui est supra naturam humanam.

*Perfecta* est illa quae animum nostrum omnino quietat.

*Imperfecta* est illa quae animum nostrum non quietat, non plene satiat.

**308.** **FINIS** et eius divisiones. Cfr. has notiones in thesi 9.ª

*Finis operis intrinsecus* est ille ad quem natura sua opus ordinatur et constituit perfectionem intrinsecam seu internam rei. Est finis quo specificativus facultatis seu illa perfectio quae

in facultate per operationem resultat. Sic: quoad intellectum est informatio eius actualis circa ens ut verum iam cognitum; quoad voluntatem est fruitio actualis boni.

*Finis operis extrinsecus* est ille ad quem natura sua opus ordinatur et non constituit perfectionem intrinsecam rei. Sic combustio est finis operis extrinsecus ignis cum ad combustionem ignis natura sua ordinetur, quin tamen combustio perfectionem intrinsecam ignis constituat.

*Finis proximus* est ille qui immediate intenditur, sed ad alium finem ordinatur; unde etsi propter se ametur intentio operantis non sistit in eo. Sic v. c. salus pro aegroto, qui immediate illam intendit.

*Finis intermedius* est ille qui intenditur mediante alio fine proximo, et ad alium ordinatur; inde etsi propter se ametur intentio operantis in eo non sistit. Sic aegrotus intendit scientiam mediante sanitate.

*Finis ultimus* est ille qui ad nullum alium ordinatur et ad quem reliqui omnes ordinantur; unde intentio operantis in eo sistit. Hic autem finis adhuc potest esse:

*Finis ultimus secundum quid* est ille qui est ultimus solum in aliqua serie; seu ille quem quis quaerit quin illum ad ulteriorem finem ordinet v. c. divitiae vel vita diuturna pro multis hominibus.

*Finis ultimus simpliciter seu absolute* est ille qui non est propter alium et cuius gratia sunt omnia in quocumque genere. Unde nec est ordinatus nec ordinabilis ad alium finem. Sic solus Deus (si exsistit) qui est finis ultimus hominis i. e. illud quo obtento tota eius capacitas spiritualis adimpletur, seu quo possesso perfecte beatur.

**309.** PRINCIPIUM FINALITATIS sic enuntiari potest:

Impossibile est desiderium naturale esse inane.
Omnis appetitus naturalis debet per se impleri posse.

EXPLICATUR.

*Desiderium in genere* est tendentia aliqua in aliquod obiectum.

*Desiderium naturale* est tendentia seu inclinatio positiva naturae exsurgens ab intrinseco ex exigentiis fundamentalibus eius in obiectum sibi conveniens et debitum.

In tali tendentia duplex aspectus considerari potest:

—*aspectus specificativus:* tendentia est talis, tendit in hoc obiectum prae alio; *aspectus efficacitatis* virtutis ad attingendum et possidendum suum obiectum.

*Inane seu frustraneum* dupliciter intelligi potest:

*a)* talis tendentia non potest realizari, quia terminus eius vel est impossibilis absolute, est aliquid chimaericum; vel est impossibilis saltem relate ad talem tendentiam v. c. si canis haberet appetitum naturalem immortalitatis naturalis;

*b)* talis tendentia potest realizari, terminus eius est possibilis, sed non realizatur de facto propter aliquod impedimentum; sic v. c. anima humana habet appetitum ad immortalitatem, sed si annihilatur non realizatur de facto illa tendentia.

Unde iuxta dicta, principium: «impossibile est desiderium naturale esse inane», significat: terminum tendentiae naturalis non esse impossibilem nec absolute nec relative; immo tendentiam illam regulariter termino suo privari non posse.

**310.** OBIECTUM *in genere* alicuius facultatis est illud ad quod facultas tendit per suam propriam activitatem.

*Obiectum adaequatum* est totum illud ad quod quocumque modo potest tendere facultas per omnes suos actus. Sic pro omni voluntate sunt omnia entia.

Obiectum adaequatum potest considerari: materialiter seu extensive, sub ratione communi et sub ratione attingibilitatis.

*Obiectum ad. materiale* seu extensivum sunt omnia et singula entia quae attingi possunt a facultate. Sic pro omni voluntate sunt omnia et singula entia.

*Obiectum ad. sub ratione communi* est illa ratio in qua conveniunt omnia quae possunt attingi a facultate. Sic pro omni voluntate est ratio entis ut boni; seu bonum ut tale, bonum qua bonum.

*Obiectum ad. formale* seu sub ratione attingibilitatis est ratio illa sub qua vel ratione cuius obiectum materiale attingitur. Sic pro omni voluntate est etiam illa ratio communis in qua conveniunt omnia i. e. ratio entis ut boni; pro unaquaque voluntate est ratio specialis.

Unde obiectum formale potest esse formale genericum et formale specificum.

*Obiectum formale genericum* est ratio illa quae facit aptum obiectum materiale ut attingatur a tali facultate; quam certe specificat eam separans ab aliis potentiis diversis. Sic pro omni voluntate est ratio entis ut boni; bonum qua bonum; bonum qua tale.

Potest vocari obiectum formale specificum lato sensu.

Unde intellectu apprehendimus bonum quatenus verum seu sub ratione veri; voluntate amamus veritatem quatenus bonam seu sub ratione bonitatis.

*Obiectum formale specificum* (stricte formale, vel stricte specificum) est illud quod primo et per se attingitur a tali facultate et ratione cuius cetera attinguntur. Hoc obiectum specificat potentiam et definit naturam propriam talis facultatis.

Vocatur etiam obiectum proprium et proportionatum: illud quod est characteristicum talis facultatis. Sic pro voluntate humana est bonitas honesta et delectabilis creata; seu ratio finis in entibus finitis. Pro voluntate divina est essentia divina ut est bona, seu bonitas infinita Dei.

Item obiectum materiale potest esse primarium et secundarium.

*Obiectum materiale primarium* est illud in quo reperitur obiectum formale specificum facultatis (et a fortiori formale genericum). Sic pro voluntate humana est bonum concretum honestum et delectabile finitum; pro voluntate divina est Deus ut est bonus.

*Obiectum materiale secundarium* est illud in quo reperitur solummodo obiectum formale genericum, non vero o. f. specificum. Sic pro voluntate humana est bonum utile, quod habet rationem medii non vero rationem finis; pro voluntate divina sunt omnia bona distincta a Deo.

**311.** N. B. Habitudo obiecti adaequati, quod totaliter facultatem quietare potest:

—*ad obiectum formale:* omnis ratio obiecti formalis contenta esse debet, ut liquet, in obiecto adaequato facultatis. Sic omnis ratio entis ut boni in omnibus entibus quatenus sunt obiectum voluntatis.

—*ad finem:* obiectum adaequatum est finis qui extrinsecus et ultimus facultatis v. c. pro voluntate est omne bonum, bonum qua tale. Insuper eius possessio est finis quo intrinsecus et ultimus facultatis.

—*ad specificationem:* Facultates specificantur per actus, actus vero proxime per obiecta formalia (ratio finis in entibus creatis pro voluntate qua humana) ultimo per ordinem ad suum obiectum adaequatum seu ad finem ultimum (bonum qua bonum, bonum qua tale pro voluntate qua est voluntas in genere).

## 312. STATUS QUAESTIONIS.

In Ethica supposita iam exsistentia Dei, ex appetitu innato posito a Deo in beatitudinem perfectam naturalem, possumus legitime concludere hunc appetitum non esse inanem et inde Deum esse obiectum necessarium et sufficiens beatitudinis naturalis hominis.

**313.** In Theodicea non supposita exsistentia Dei quaerimus:

An ab appetitu naturali et innato hominis in beatitudinem naturalem perfectam, legitime inferatur Dei exsistentia per viam causalitatis finalis sub conceptu boni infiniti? Affirmative.

1. ITA PROCEDITUR: Ex appetitu elicito necessario hominis in bonum qua tale, cognoscimus dari appetitum innatum hominis in bonum qua tale i. e. praescindens a limitibus et arguendo ascendimus ad appetitum innatum in bonum actu infinitum i. e. excludens limites seu ad Deum exsistentem sub conceptu boni infiniti.

**314.** 2. NON ARGUIMUS FORMALITER ex appetitu elicito necessario nisi initialiter ut per ipsum detegere valeamus appetitum innatum, qui ut diximus non in se ipso, quia non est actus vitalis; neque in cognitione aut idea innata praecedente, quae non habetur; sed certe in actibus elicitis necessariis a nobis cognosci potest.

**315.** 3. *Nullo autem modo gressum facimus ab appetitu elicito libero* qua iber est, siquidem, utpote variabilis, non praebet fundamentum ad investigandam naturam constantem; et insuper homo in actibus liberis se dirigit in finem, quem quaerit, quem iam cognoscit; unde non est via ad Deum, qui illum moveat ad finem.

**316.** 4. *Agimus de beatitudine mere naturali.* Etsi enim homo de facto ad hanc beatitudinem non sit destinatus propter elevationem ad ordinem supernaturalem—de quo nobis certo constat ex fide—tamen de beatitudine naturali agere possumus, quia potuisset dari et quoad rem de facto habetur in illis qui inculpabiliter absque donis supernaturalibus moriuntur ut sunt infantes sine baptismo.

Cum omnes homines eamdem specifice habeant naturam, eamdem etiam beatitudinem seu ultimum finem appetitu innato appetunt, etsi appetitu elicito quandoque diversa bona prosequantur.

**317.** 5. *Argumentum nititur* principio finalitatis, quod variis formulis exprimitur: Omnis appetitus naturalis debet per se impleri posse.

Impossibile est desiderium naturale esse inane.

Consideramus in hac tendentia naturali maxime *aspectum specificativum* et asserimus talem tendentiam non esse inanem: terminus enim eius non est impossibilis nec absolute nec relative. Hoc sensu facile nobis constare potest de valore principii finalitatis ante probatam exsistentiam Dei.

Etiam consideratur in thesi *aspectus efficacitatis virtutis tendentiae* ad attingendum et possidendum suum obiectum. Hoc sensu difficilius probatur valor principii finalitatis ante probatam exsistentiam Dei; tamen admittimus eius valorem probativum.

## 318. SENTENTIAE.

*1.ª sententia* est eorum qui negant vim probativam argumenti.

INTER NON-SCHOLASTICOS: Illi qui finem ultimum naturalem intrinsecum hominis reponunt: *In tendentia continua* seu in continuo proggressu versus bonum supremum. Ex egoismo hominis nihil reale sequitur. (Sic KANT).

*In completa evolutione* facultatum humanarum proggressu indefinito. (Sic KRAUSE, AHRENS...).

*In quadam proggressiva evolutione*, non individui in se, sed humanitatis. (Sic SCHLEIERMACHER, WUNDT, ZIEGLER...).

*In voluptate terrena uniuscuiusque.* (Sic omnes materialistae).

*Pantheistae* negant immortalitatem animae. Ergo etiam argumentum nostrum.

*In maxima quantitate possibili voluptatis*, ratione habita universi generis humani. (Sic omnes positivistae).

*In creatione aliquorum hominum superiorum* (superhominum) qui sint tamquam exemplaria ceterorum; haec tamen superioritas in excellentia physica, oeconomica, artistica est reponenda. (Sic NIETZSCHE).

*In liberatione quantum fieri potest a miseriis* et inde in annihilatione. (Sic SCHOPENHAHUER cum pessimistis).

*In cooperatione hominis ad triumphum classis*, ad splendorem nationis, ad puritatem stirpis... (Sic hodierni statolatrae: communistae, socialistae, fascistae, nacistae...).

*Tendentia in beatitudinem* est propter ipsum tendere. (Sic exsistentialistae gallici ut SARTRE). Cfr. G. Moral, Phil. Schol. Sum. 3, p. 347.

**319.** INTER SCHOLASTICOS: Illi auctores qui dicunt valorem principii finalitatis, praesertim sub hac forma: *omne desiderium etiam naturale non potest esse frustra*, non posse constare antequam Deus probetur vel negant posse probari hoc desiderium boni infiniti esse naturale. Sic BALTHAZAR (41); G. BROGLIE, S. J. (42); BILLOT, CUERVO, O. P. (43); ELTER, S. J. (44); MERCIER, G. MANSER, O. P. (45); PINARD DE LA BULLAYE, S. J.; DE VRIES, S. J.; HELLÍN...

**320.** *2.ª sententia* est P. DESCOQS, qui admittit ut certum argumentum eudaemonologicum si reducatur ad contingentiam hoc modo: inquietudo, desiderium boni deficientis, privatio perfectionis indefinite melioris... arguunt immediate insufficientiam in esse seu contingentiam. Si vero seorsim sumatur admittit ut probabile.

Nam verum est «*desiderium naturale non posse esse frustra*» ubi agitur de desiderio quod exsurgit ex tendentiis et exigentiis fundamentalibus naturae et quidem vi principii finalitatis. Sed ait: ante probatam exsistentiam Dei est probabile illum appetitum et esse naturalem et tendere in bonum infinitum. Sed est multo probabilior hoc:

Si probatur illum appetitum, illam tendentiam revera esse naturalem, tunc non potest probari tendere in bonum infinitum. Si vero probatur revera tendere in bonum infinitum tunc non potest probari esse naturalem.

Nam finitum ad infinitum non habet proportionem naturae, sed ad talem proportionem indiget elevatione supernaturali, quae in nostro casu supponi non potest.

Tandem repugnantia processus in infinitum in ordine causarum finalium non probatur certo antequam Deus probatus fuerit.

**321.** *3.ª sententia* est eorum qui admittunt vim probativam argumenti. Iuxta omnes ante probatam exsistentiam Dei potest nobis constare de validitate principii finalitatis: desiderium naturale non potest esse inane.

---

(41) RevNéoscolPh (1908), 95; RevThom (1925), 210.

(42) *Notion thomiste de la béatitude:* ArchPh, 3, cah. 2, p. 84 ss.; *De ultimo fine humanae vitae asserta quaedam:* Greg (1938), 633 ss.

(43) *El deseo natural de ver a Dios:* CT, 1 (1928), 301-304; t. 2, p. 332-349; (1929), p. 5-37; 1 (1932), 289-318.

(44) Greg (1928), 269-307.

(45) DivThom(Fr), 1924, p. 92-104; 331-339; (1927), p. 449-474.

His positis:

*alii* tenent appetitum in bonum infinitum esse tantum electivum, non vero innatum, sed tendentiam ad bonum indefinite superius non habere rationem sufficientem nisi in Ente infinite Bono. Ex qua tendentia et mediante illa, quatenus non potest esse frustra concluditur ad bonum infinitum.

alii tenent appetitum in bonum infinitum esse innatum. Ex qua tendentia quatenus non potest esse frustra concluditur directe ad bonum infinitum.

Unde illa tendentia hominis in bonum ut finem:

est tendentia naturalis in finem absolute ultimum (nam series sive finita sive infinita causarum finalium relativa sine causa ultima non-relativa repugnat).

Talis finis ultimus non potest esse nisi bonum infinitum saltem cogitatum;

immo ut illa tendentia non sit inanis, illud bonum infinitum debet esse saltem intrinsece possibile, immo actu exsistens. Unde hac via possumus devenire ad probandam exsistentiam Dei sub ratione boni infiniti.

Sic S. Augustinus, S. Bonaventura, Boedder, S. J.; Cathrein, S. J.; Hontheim, S. J.; Monaco, S. J.; Rast, S. J.; Schiffini, S. J.; Schaaf, S. J.; Urraburu, S. J.; Donat, S. J.; Lehman-Lennerz, S. J.; Maréchal, S. J.; Martínez del Campo, S. J.; A. Gardeil, O. P.; Garrigou-Lagrange, O. P.; Sertillanges, O. P.; Lacordaire, O. P.; Roland-Gosselin, O. P.; Gredt, O. S. B.; H. Monnier...

**CENSURA.** Longe communior et probabilior.

**322. PROBATUR.**

Voluntas humana habet appetitum innatum seu naturaliter tendit in beatitudinem perfectam ut in finem ultimo specificantem et possidendum ab ea. Atqui haec beatitudo perfecta, quam voluntas humana appetit ut finem ultimum specificantem, et possidendum ab ea non potest esse nisi bonun infinitum. Ergo voluntas humana appetit appetitu innato bonum infinitum.

Atqui hic appetitus nequit esse inanis; et esset inanis si illud bonum infinitum non exsisteret. Ergo bonum infinitum seu Deus exsistit.

*Maior:* Voluntas humana habet appetitum innatum seu naturaliter tendit in beatitudinem perfectam ut in finem ultimum specificantem et possidendum ab ea. Probatur initialitater ex appetitu elicito necessario dari in homine appetitum innatum:

1) *A POSTERIORI.* Intellectus proponit voluntati:

***Hoc vel illud bonum particulare;*** sed numquam tali bono homines contenti esse possunt;immo ideo desiderant bona particularia quia ad suam beatitudinem perfectam conferunt. Unde in desiderio elicito huius rei particularis, interpretative et implicite etiam desiderium elicitum beatitudinis perfectae saltem in communi, a qua bona particularia participant, elicimus.

Item intellectus etiam apprehendit et voluntati proponit ***bonum in comumni seu bonum qua tale***, ideoque etiam bonum sine limite, quod aequivalenter et eminenter continet omnia bona particularia i. e. beatitudinem perfectam saltem in communi, seu statum boni perfecti immunem ab omni malo.

Iam vero cum apprehendimus hoc bonum sine admixtione mali, omnes teste experientia desideramus seu tendimus in illud bonum:

*Constanter... universaliter:* nemo unquam suam infelicitatem quaerit;

*absolute* ita ut naturaliter quiescere non possimus neque contenti esse quamdiu hoc desiderium non impletur; *invencibiliter* ita ut necessario appetant homines suam beatitudinem eamque odio habere non possint; ipsi enim qui se necant suam felicitatem quaerunt. Atqui hoc desiderium elicitum sive implicite et interpretative sive explicite circa beatitudinem perfectam saltem in communi illis characteribus ornatum, non potest oriri ex mera libertate aut ex educatione aut ex alia causa variabili. Ergo talis appetitus elicitus provenit a sola natura i. e. homo habet appetitum innatum in beatitudinem perfectam saltem in communi.

2) *A PRIORI* (46). Voluntas humana naturaliter tendit:

a) *in aliquod obiectum seu bonum ut in finem.* Nam voluntas humana, sicut quaelibet alia facultas, naturaliter ordinatur ad operationem suam, ad velle, quae est operatio intentionalis; operatio intentionalis naturaliter ordinata est ad aliquod obiectum. Ergo ipsa facultas, ipsa voluntas mediante operatione etiam naturaliter ordinatur ad aliquod obiectum seu bonum ut in finem

*b)* in aliquod obiectum seu bonum ut *in finem ultimo specificantem.* Nam obiecta particularia seu fines particulares in diversis operationibus voluntatis:

—*aut sunt mere coordinati* ad invicem et tum utpote independentes inter se, essent simpliciter plures fines in voluntate specifice una, quod repugnat;

—*aut sunt subordinati* et relativi et tum non possunt exsistere sine ordinatione aliqua ad aliquem finem ultimum omnium operationum. Quia secus omnes illi fines essent intermedii et relativi (ens relativum est illud quod talis essentiae est ut non possit actu exsistere quin in exsistentia sua actu ab alio ente dependeat). Atqui sicut series sive finita, sive infinita, sive indefinita a parte ante entium relativorum postulabat causam efficientem primam et absolutam, sic series sive finita, sive infinita, sive indefinita a parte post finium relativorum postulat finem non-relativum, absolutum (quia tota series simul sumpta relativa manet i. e. ab alio in sua exsistentia dependens). Ergo voluntas humana sive implicite sive explicite tendit naturaliter in omnibus suis actionibus in bonum absolutum, in beatitudinem perfectam ut in finem ultimo specificantem.

*Minor.* Atqui beatitudo perfecta, quam voluntas humana appetit ut finem ultimo specificantem non potest esse nisi bonum infinitum.

*a)* Teste experientia dato et possesso quolibet bono finito sentimus vacuitatem et capacitatem maioris boni; nec illa vacuitas eo magis impletur quo maiora bona finita possidemus, immo quo maiora habemus eo maiora quaerimus. Ergo signum est illam vacuitatem numquam posse impleri bonis finitis. Ergo solummodo bono infinito.

*b)* Finis ultimus specificans voluntatem humanam (non qua humanam sed qua voluntatem in genere) talis esse debet ut simpliciter terminet appetitum eius naturalem, sibi omnes alios fines subordinet et ipse altiori fini subordinari non possit. Atqui hoc solummodo de obiecto quod omnem rationem obiecti formalis exhauriat dici potest (i.e. de solo obiecto adaequato). Ergo finis ultimo specificans voluntatem humanam talis esse debet ut exhauriat omnem rationem obiecti formalis. Atqui solum bonum infinitum exhaurit omnem rationem obiecti formalis (generici) cuiusvis voluntatis (quod est bonum qua tale sine limite). Ergo finis ultimo specificans voluntatem humanam non potest esse nisi bonum infinitum.

*Primum consequens.* Hoc recte fluit i. e. habemus appetitum innatum boni infiniti.

*Minor subsumpta.* Atqui hic appetitus innatus in bonum infinitum non potest esse inanis; esset autem inanis si illud bonum infinitum non exsisteret aut regulariter illo privaretur. Probatur ex principio finalitatis: Impossibile est desiderium naturale esse inane:

(46) BRUGGER, *Theol. Nat.* (annot. priv.), p. 82/20.

*Si inane significat* terminum talis tendentiae positivae naturalis non posse realizari quia terminus est impossibilis tunc dico:

Illam tendentiam naturalem in bonum infinitum iam probatam, esse aliquam tendentiam in rem impossibilem, in nihilum absolutum; tendentiam in nihilum absolutum esse nihilum tendentiae, esse non-tendentiam, non esse possibilem illam tendentiam naturalem contra id quod probatum est.

*Item si inane significat* terminum tendentiae naturalis non realizari de facto seu regulariter privari illo. Tunc dico argumento congruentiae a posteriori: *Cetera entia* infra hominem, quin praesupponamus esse creata a Deo potentissimo et sapientissimo, constanter omnia ad suos fines tendunt; et quidem non habent tendentias ad res impossibiles et attingunt regulariter suum finem: Sic appetitus respirandi habet aerem; appetitus reparandi vires habet cibos convenientes; oculus tendit ad colores et dantur colores; auditus tendit ad sonos et dantur sonitus; olfatus tendit ad odores et dantur odores; intellectus habet tendentias ad affirmandas res reales et possibiles et dantur et sic de ceteris...

Atqui mirum esset si homo (in quo ordo mirus splendet), attenta eius voluntate tenderet natura sua irresistibiliter in aliquid quo de facto regulariter privetur.

Ergo ille appetitus nequit esse inanis. Iam vero si non exsisteret terminus suus, quia impossibilis; vel regulariter privaretur illo, ut patet, esset appetitus inanis.

*Ultimum consequens.* **Ergo bonum infinitum in quod voluntas humana naturaliter tendit realiter exsistit.**

*Saltem debet esse intrinsece possibile.* Si enim esset impossibile seu chimaera aliqua, daretur tendentia naturalis positiva in nihilum absolutum i. e. non daretur tendentia ut iam probatum est.

*Immo absoluta necessitate debet exsistere;* nam voluntas tendit ad res exsistentes et solum in earum possessione satiatur.

*Iuxta nos:* bonum infinitum seu Deus posibilis—Deus exsistens, secus esset impossibile ex intrinseca repugnantia notarum.

Si esset intrinsece possibile et non exsisteret absoluta necessitate, tunc esset contingens; iam vero est impossibile ut ens infinitum sit contingens, quia omne contingens essentialiter finitum est. Ergo illud bonum infinitum absoluta necessitate exsistit. Et quidem utpote infinitum debet esse independens ab omni alio, quod infert esse Unicum et Auctorem omnium.

**323. SCHOLIUM.** Haec prae oculis habenda circa finem hominis ante et post probatam exsistentiam Dei.

1. *Ante probatam exsistentiam Dei:* Finis qui, operantis (inde extrinsecus) destinantis hominem et illam tendentiam ad aliquid, nescimus quisnam sit: pendet enim ex cognita nobis actione vel intentione instituentis naturam.

*Post probatam exsistentiam Dei:* Finis qui, operantis (Dei) cxtrinsecus: *ultimus secundum quid* est perfecta beatitudo naturalis hominis, ad quam Deus hominem destinavit (tendentia impressa est a Deo in ipsa natura), cuius obiectum est ipse Deus cognitus ct amatus, operationibus tamen animae in alia vita exsistentis, quae non sunt visio et amor beatificans, sed intra ambitum naturalem, modo tamen intermedio intcr visionem et abstractionem quam habemus in statu unionis et corporis. *Ultimus absolute* est gloria Dci extrinseca; realitcr coincidunt, sed ratione beatitudo subordinatur gloriae.

2. *Ante probatam exsistentiam Dei:* Finis *qui*, *operis* (hominis = intellectus et voluntatis): *extrinsecus et ultimus* est ens et bonum infinitum, quod vocatur Deus. *Intrinsecus et ultimus* est idem ens et bonum infinitum cognitum et amatum.

*Post probatam exsistentiam Dei:* Finis *qui*, *operis* (hominis = intellectus et voluntatis) *intrinsecus et ultimus* est ipsa beatitudo pcrfecta naturalis hominis, cuius obiectum est bonum infinitum seu Deus qua cognitus et amatus.

3. *Ante probatam exsistentiam Dei:* Finis *quo*, *operis* (hominis = intellectus et voluntatis) *intrinsecus et ultimus* est possessio illius boni infiuitı cogniti et amati per iutellectum et voluntatem.

*Post probatam exsistentiam Dei:* Finis *quo, operis* (hominis = intellectus et voluntatis) *intrinsecus et ultimus* est possessio illius beatitudinis perfectae naturalis et in concreto possessio boni infiniti seu Dei.

4. *Ante probatam exsistentiam Dei:* Finis *cui, operis* (hominis = intellectus et voluntatis) *intrinsecus et extrinsecus: ultimus secundum quid* est ipse homo cui procuratur illud bonum; *ultimus absolute* omnium rerum est Deus seu bonitas Dei infinita: Deus omnia libere creavit propter amorem suae bonitatis tamquam ex ratione obiectiva ultima.

## 324. OBIECTIONES.

1. Multi homines desiderium illud in bonum qua tale et in bonum positive infinitum non habent, sed contenti essent, si divites, honorati, amati inter cives suos... semper vivere possint. Ergo illud desiderium non est universale et inde nec innatum.

Dist. antec. non habent saltem desiderium implicitum et interpraetativum N.; non habent desiderium explicitum Subd. carent omnino N.; rarius haec desideria exercent ob suam culpam tr.

Explicatio: Si quis putaret se fore semper contentum illa materiali beatitudine ab eo excogitata, insigniter falleretur. Omnibus illis bonis obtentis, tunc intelligeret quam longe distaret a plena quiete et perfecta beatitudine.

2. Appetitus, desiderium, aspiratio, inquietudo... per se nihil aliud demonstrant nisi indigentiam, indigentia nihil aliud quam vacuitatem, et vacuitas, quod sciam, numquam ostendet realiter exsistere id per quod impleatur. Ergo ex appetitu innato non possumus concludere ad exsistentiam Dei: talis enim appetitus potest esse inanis.

Nego antec.

Explicatio: In casu nostro, ut apparet in argumento, agimus de illis desideriis, quae si non impleri possint vel regulariter de facto non impleantur, vel non darentur talia desideria vel natura esset male constituta.

3. Beatitudo consistit in indivisibili, unde homo vel satiatur vel non satiatur, Atqui visio beatifica est possibilis et unica. Ergo beatitudo naturalis non datur.

Dist. mai. Inter satiari et non satiari non datur medium C.; datur unicus modus possibilis satiandi hominem Subd., positum in diversis adiunctis N.; in iisdem Subd. essentialiter unicus C.; etiam accidentaliter N.

Conc. 1 p. minor. et nego secundam. Disting. pariter consequens.

4. Inter abstractionem et intuitionem non datur medium. Atqui intuitio naturalis non datur, abstractio non sufficit ad beandum et ideo in hac vita non sumus beati. Ergo solum visio sufficit ad beandum, quam tamen solum appetimus appetitu naturali innato non exigitivo seu aptitudinis vel capacitatis.

Dist. mai. Inter intuitionem et non intuitionem non datur medium C. Inter intuitionem et abstractionem a rebus materialibus qualis habetur in hac vita non datur medium N.

Explicatio: Datur: abstractio a rebus spiritualibus; cognitio per species infusas; forte alii modi satiandi hominem mihi ignoti. Unde in altera vita daretur abstractio, quae non est visio et amor beatificus, nec abstractio terrena, sed aliquid intermedium i. e. abstractio superans illam abstractionem terrenam.

Aliqui distinguunt inter appetitum exigitivum et appetitum innatum non exigitivum, aptitudinis, capacitatis, sed male. Uno verbo: appetitus naturalis innatus non exigitivus repugnat ex parte ipsius appetitus, quia esset simul naturalis innatus et frustrabilis per se. Itemque ex parte Dei, qui homini talem naturalem innatam inclinationem indiderit et tamen eam non satiaret, vel posset non satiare.

5. Cognitio abstractiva et amor inde consequens non sufficit ut habeatur beatitudo. Atqui illa cognitio abstractiva est quam tu haberes. Ergo argumentum ex desiderio beatitudinis est ineptum.

Dist. mai. Cognitio abstractiva terrena C., cognitio abstractiva supraterrena (possidenda praesertim per intellectum et voluntatem, siquidem istae potentiae, superio-

res sunt et specificae hominis, unde praesertim satiandae. Ipsi qui immoderate delectationem sensuum anhelant, in ipsa petunt satietatem etiam intellectus et voluntatis) N.

Contr. min.

6. Repugnantia processus in infinitum in causis finalibus praesupponitur ut certa de facto in ordine ontologico aliunde noto, non vero in ordine logico nisi post probatam exsistentiam Dei, causae primae efficientis. Ergo haec ratio, quae affertur in argumento non valet.

Nego antec. etiam in ordine logico valet, non solum probabiliter, sed etiam certo ut in argumento ostendimus.

7. Intellectus non videt certo limitem in collectione omnium bonorum finitorum, nisi aliunde cognoscat existentiam boni infiniti; quia si hanc non cognoscit, scire nequit an praeter illam collectionem sit aliquid possibile et consequenter utrum in ea sit aliqua carentia seu limes. Ergo argumentum tuum supponit iam cognitionem Dei.

Neg. ant.

Explicatio: Collectio sive finita sive infinita bonorum et finium intermediorum sine bono et fine ultimo repugnat. Si illa collectio est limitata iam patet numquam satiari posse appetitum boni perfecti. Si vero esset infinita, quolibet bono possesso in illa collectione, adhuc alia et alia remanerent possidenda, cum infinitum pertransiri nequit. Ergo ille appetitus innatus numquam satiari possit. Itaque possessio indefinita bonorum finitorum non potest esse finis naturalis hominis nisi forte intelligatur ut scala ad Deum (in quo est quaestio de voce) vel ut complementum accidentale.

8. Nemo potest agere contra tendentiam suam innatam. Atqui homo potest quaerere beatitudinem in alio quam in Deo. Ergo non tendit naturaliter in Deum.

Dist. mai. Si exercitium tendentiae sola forma naturali dirigitur C.; si exercitium tendentiae naturalis includit etiam appetitum elicitum intellectualem N.

Contr. min.

9. Tendentia hominis innata est in bonum in communi, in bonum qua tale. Atqui hoc non determinate dicit bonum infinitum (nam multi felicitatem suam ponunt in aliis bonis). Ergo non tendit naturaliter in bonum infinitum, sed in bonum abstracte sumptum.

Dist. mai. tendentia elicita C.; tendentia naturae subd. formaliter C.; materialiter N

Trans. min. Dist. pariter consequens.

10. Deus ipse in se non est obiectum appetitus naturalis innati nisi sub quadam confusione, unde hoc modo etiam cognoscitur Deus. Atqui cognoscere hoc modo Deum non est cognoscere ipsum in se ut est aliquid ab aliis rebus distinctum, ut bonum infinitum, sicut cognoscere venientem non est cognoscere Petrum, quamvis Petrus sit veniens. Ergo ex appetitu innato non deducitur exsistentia Dei.

Dist. mai. Nec ut bonum qua tale, quod arguendo ostendimus esse infinitum et debere exsistere N. Explicite et formaliter ut bonum positive infinitum C.

Contr. min.

11. In argumentatione tu procedis ex appetitu elicito necessario circa bonum qua tale. Atqui—nihil volitum quin praecognitum—nullus potest dari in voluntate appetitus elicitus nisi praesupposito quod intellectus apprehenderit bonum quod est obiectum appetitus ut aliquid quod obtineri possit. Ergo appetitus boni perfecti seu Dei supponit iam cognitionem ipsius Dei.

Dist. mai. Ex appetitu elicito in bonum qua tale, in quod erumpimus ipsius naturae instinctu et pondere; quod bonum qua tale arguendo probatur in casu nostro debere esse infinitum C.; ex appetitu elicito qui oritur ex cognitione boni infiniti qua talis N.

Contr. min.

Explicatio: Arguimus ex appetitu elicito, quia appetitus innatus in se cognoscibilis non est nobis sicut nec ipsa natura. Possumus tamen cognoscere aliquam naturam, aliquem appetitum innatum:

*extrinsece*, ex cognita nobis actione vel intentione instituendis naturam, *intrinsece* quoque ex modo necessario operandi talis naturae. In casu hominis, quem consideramus, ex actibus appetitus eliciti, qui necessario fluere detegantur ex appetitu innato tamquam a radice. Unde ante probatam exsistentiam Dei appetitus naturalis hominis unice nobis cognoscibilis manet

ex actibus elicitis sensitivis et praesertim ex actibus elicitis rationalibus necessariis voluntatis. Tandem ex perspecto appetitu innato hominis in aliquid ut bonum et finem via est ad naturam cognoscendam talis finis et boni.

12. Iuxta te tendimus appetitu innato ad bonum infinitum in se ipso possidendum. Atqui hoc est falsum philosophice et valde reprehensibile in fide. Ergo appetitu innato non tendimus ad bonum infinitum in se ipso possidendum.

Dist. mai. Tendimus explicite et formaliter in bonum infinitum ut tale N.; implicite et materialiter C.

Contr. min.

13. Ille appetitus innatus:

*vel affirmatur* tendere in bonum positive infinitum concretum et exsistens et tunc non videtur esse naturalis innatus, sed naturalis elicitus consequens ad conceptum boni infiniti ab intellectu praesentati (ex se adhuc inefficax pro intento nostro, siquidem est obiecti cuius exsistentia in rerum natura aliunde innotescere debet);

*vel affirmatur* stricte naturalis innatus et tunc non potest dici certo ad bonum positive infinitum et exsistens, cum non sit a priori evidens ante probatam exsistentiam Dei posse bonum qua tale abstracte conceptum verificari absque ullo limite in ente concreto positive infinito.

Ergo argumentum ex appetitu innato non probat.

Nego utrumque.

Explicatio: Ille appetitus est naturalis innatus et tendit, ut diximus, explicite et formaliter in bonum qua tale, et saltem implicite et materialiter in bonum positive infinitum exsistens cuius exsistentia exigitur ut illa tendentia naturalis innata in bonum qua tale non sit vana; et esset vana si non exsisteret illud bonum positive infinitum (unicum capax perfecte quietandi illam) cuius possibilitatem immo et exsistentiam iam probavimus in argumento.

14. Ut ille appetitus sit naturalis innatus et feratur in bonum positive infinitum, requiritur ut bonum positive infinitum sit obiectum proprium et proportionatum omnis actus voluntatis. Atqui bonum positive infinitum est obiectum proprium et proportionatum solius voluntatis divinae, non vero ullius appetitus creati. (Siquidem obiectum voluntatis est bonum qua tale et fit obiectum proprium talis voluntatis prout proportionetur et adaptetur eius conditioni et capacitati; unde satis est dicere naturaliter ferri voluntatem in bonum possidendum modo apto ad suam capacitatem, profecto finitam satiandam). Ergo ille appetitus si tendit in bonum infinitum non est naturalis innatus; si vero est naturalis innatus non tendit in bonum positive infinitum.

Nego maiorem.

Explicatio: Verum est quod bonum positive infinitum est obiectum proprium et proportionatum solius voluntatis divinae. Obiectum proprium et proportionatum voluntatis humanae est ratio finis in bonis creatis; obiectum vero adaequatum est bonum qua tale. Sufficit ergo ut bonum positive infinitum seu Dei sit intra obiectum adaequatum omnis voluntatis et abstractive possideri possit modo intermedio inter visionem et abstractionem terrenam, ut ille appetitus sit naturalis innatus, etsi tendat in bonum positive infinitum.

15. Sed quod bonum positive infinitum seu Deus sit intra obiectum adaequatum omnis voluntatis, hoc aliunde debet probari; non vero hic praesupponi, cum hoc praecise sit in quaestione. Ergo argumentum ex appetitu nihil probat, quia supponitur quod probandum est.

Conc. ant. et nego conseq.

Explicatio: Aliunde probatur obiectum voluntatis esse bonum; unde nihil quod sit bonum excluditur ab eius obiecto adaequato sive sit finitum sive sit infinitum.

16. Si Bonum infinitum seu Deus est bonum specificans voluntatem, perit differentia inter ordinem naturalem et supernaturalem. Atqui hoc est contra fidem. Ergo nequit bonum infinitum seu Deus esse bonum specificans voluntatem.

Dist. mai. Si Deus est bonum specificans voluntatem in communi (non qua humanam) quin eo postuletur modus possidendi illud bonum unione immediata, perit differentia inter ordinem naturalem et supernaturalem N.

Si Deus ut bonum aut directe specificaret voluntatem humanam; aut si specifi-

catio voluntatis in communi postularet modum possidendi illud unione immediata; perit differentia inter ordinem naturalem et supernaturalem C.,

Contr. min.

17. Possessio boni infiniti non est quid connaturale sed tantum supernaturale. Atqui ubi terminus tendentiae tantum supernaturaliter attingi potest, iam naturaliter exigi dicere non licebit. Ergo argumentum non probat.

Disting. mai. Intuitive Tr.; abstractive modo intermedio inter visionem et abstractionem terrenam N.

Conc. min. et disting. conseq.

18. Quamvis non exsisteret bonum positive infinitum, non potest dici appetitus in bonum universale esse inanem. Talis enim appetitus erit utilis ad excitandam activitatem in homine ut tendat ad ulteriora obiecta. Ita hodie plurimi philosophi athei hanc unicam felicitatem homini concipiunt: vitam, activitatem proggredientem et semper variatam. Quomodo eos valide refutabis ante demonstratam exsistentiam Dei? Ergo argumentum ex desiderio beatitudinis nihil probat.

Nego antecedens.

Explicatio: Appetitus seu tendentia positiva naturalis innata in illa hypothesi esset in rem impossibilem i. e. non daretur talis tendentia contra id quod probatum est. Ergo bonum positive infinitum debet exsistere.

19. Ante demonstratam exsistentiam Dei non constat omnia bona esse omnino ordinata perfecte in mundo. Unde poterat aliquis cogitare hominem esse unum ex casibus inordinatis in mundo, nec poterit facile redargui. Ergo iterum argumentum nostrum non probat.

Trans. 1. p. antecedentis; et nego secundam partem.

Explicatio: Ante demonstratam exsistentiam Dei ordo mirus praecise apparet in viventibus: plantis, animalibus maxime in hominibus. Ergo mirum esset naturam humanam esse praecise naturam inordinatam.

20. Homo naturaliter Deum videri seu intueri vult. Atqui intuitio seu visio beatifica de facto a sola gratia praeparatur ita ut Deus eam generi humano denegare potuerit. Ergo desiderium naturale innatum potest esse inane.

Nego maiorem.

Explicatio: Visio seu intuitio Dei est supra conditiones et exigentias naturae nostrae. Cum vero nulla natura ultra suam capacitatem pondere innato feratur, in visionem Dei appetitu innato non ferimur. Sed possumus absolute loquendo solis viribus nostris naturalibus habere desiderium elicitum Deum videndi, saltem postquam per revelationem certo cognovimus hanc visionem nobis esse divinitus possibilem; habet enim rationem boni, proinde ab homine appeti possit. Eiusmodi desideria mere elicita (et non naturalia vel innata sensu explicato) saepe non implentur, ut quotidiana experientia uniuscuiusque docet.

21. Homo appetitu innato vitam praesentem in aeternum conservare et mortem vitare quaerit. Atqui mortem non declinavit. Ergo desiderium innatum potest esse inane.

Nego antec.

Explicatio: Homo naturali pondere solum quaerit bonum qua tale; quidquid vero in particulari desiderat hoc non appetitu innato, sed elicito quaerit. Unde homo non habet desiderium absolutum non moriendi; mortem enim tamquam bonum libera electione appeti saepe videmus.

22. Etiam bruta plenam quietem appetitus sui quaerunt neque ad eam perveniunt. Ergo a pari etiam in hominibus desiderium beatitudinis non satiatum manere potest.

Nego antec. et paritatem.

Explico: Loquimur de iis solis desideriis quibus non impletis natura esset male constituta et tendentia revera non daretur. Brutum autem non fertur nisi in praesentia et particularia, non ad aeternam et stabilem beatitudinem, quae cognosci ab illo non possunt. Haec autem brutorum tendentia expletur temporali et particulari satietate, quae saepissime eis contingit.

23. Argumentum supponit tendentiam naturalem determinari a termino reali vel saltem possibili. Atqui tendentia naturalis non a termino reali vel possibili determinatur, sed unice per finem intentionaliter conceptum ab eo, qui tendentiam in finem dirigit. Ergo argumentum non valet.

Resp. Disting. mai. argumentum supponit tendentiam naturalem determinari a termino possibili determinatione formali C.; ab aliqua causa efficiente determinationem

subd. hoc ontologice supponitur in quantum agitur de tendentia exsistente C.; hoc in argumento logice est supponendum N.

Explico: Determinatio formalis est in ordine essentiae. Haec determinatio (ordo tendentiae in finem) simul cum essentia in realitate ponitur a causa efficiente intelligente. Sed realitas haec—tendentia—etiam cognosci potest non cognita causa.

24. Etiam natura errare potest. Ergo non universaliter valet desiderium naturale non posse esse inane.

Dist antec. Natura errare potest, quatenus se vertit in obiectum omnino nullum (imposibile) N.

Natura errare potest, quatenus se vertit aliquando in obiectum non debitum subd. natura physice considerata C.; natura metaphysice considerata N.

25. Error tendentiae in finem impossibilem est possibilis, quandiu finis non cognoscitur absolute impossibilis, sed erronee pro possibili habetur. Atqui hoc accidere potest in nostro casu. Ergo tendentia illa naturalis potest esse inanis.

Resp. Disting. mai. in tendentia elicita C.; in tendentia naturali subd. in ipsa tendentia absolute spectata sc. si comparatur cum se ipsa N. (tendit in id in quod tendit; si vero illud esset de facto impossibile, tunc non daretur tendentia naturalis).

In tendentia si comparatur cum termino aliquo attingendo subd. potest regulariter privari termino suo N. in singulis casibus vel in quibusdam C.

26. Illa tendentia in finem dirigitur ab aliquo ente intelligente, cognito fine. Atqui non potest constare, nisi iam probata summa sapientia et bonitate conditoris hanc intelligentiam non posse errare circa possibilitatem finis neque mala voluntate illam tendentiam in finem impossibilem dirigere posse. Ergo argumentum non valet.

Resp. disting. mai. Ita est in ordine ontologico C.; hoc supponi debet logice in argumento N.

Contr. min.

Explicatio: In quaestione nostra non agitur de exsistentia tendentiae ut effecta ab aliqua causa efficiente; sed de essentia tendentiae; exsistentia vero talis tendentiae cognosci potest quin praecognoscatur ut effecta a causa efficiente.

27. Tendentia elicita et inde etiam tendentia naturalis ferri potest in nihilum absolutum, in impossibile (ut solutio problematis insolubilis) et tamen datur vera tendentia. Ergo tendentia in nihilum absolutum non semper est nihilum tendentiae.

Resp. Disting. antec. In tendentia naturali N.; in tendentia elicita subd. in impossibile qua impossibile N.; in illud quod est impossibile de facto, sed ut possibile apprehenditur C. In casu tendentiae naturalis, si finis est de facto impossibilis, quoniam adhuc neque apprehenditur ut possibilis, tendentia esset in impossibile qua impossibile, quod repugnat omni tendentiae.

28. Nos supponimus beatitudinem homini naturalem debere nos firmare in statu immobilitatis in quo ita quiescamus ut nihil amplius desiderandum restet. Atqui philosophice loquendo et ante suppositionem exsistentiae Dei non videtur suppositum illud efficaciter probari posse. Ergo argumentum ex desiderio beatitudinis non valet ad probandam exsistentiam Dei.

Conc. maiorem et nego minorem.

29. Homo habet appetitum innatum ad perfectam beatitudinem eo modo quo ille conspicit beatitudinem et non aliter. Atqui homo concipit beatitudinem ut varietatem aliquam valde delectabilem. Ergo ex appetitu innato non deducitur exsistentia Dei.

Conc. maiorem.

Disting. min... quae consistat in possessione boni perfecti ab omni malo immunis C.; secus N.

30. Cum hominibus dicimus beatitudinem consistere in sola contemplatione alicuius obiecti, quae invariata permanet quoad subiectum et quoad exercitium. per totam aeternitatem amittit totum desiderium talis beatitudinis. Si vero ei adhuc adhaeret, tunc oboedit fidei, non vero desiderio naturali.

Ergo ex desiderio naturali boni perfecte possidendi non probatur exsistentia Dei.

Trns. totum. vel etiam Nego.

Explicatio: Hoc ignorantes et imprudentes nimis praecipitanter dicunt. Potius argumen-

tum nostrum confirmat. Nam homines assueti sunt considerare bona particularia et finita quibus satiari numquam possunt; ideo inquieti ab uno ad aliud transeunt ita ut varietate aliquantulum quiescant; nullatenus autem contenti esse possunt et quaerunt statum boni perfecti ab omni malo immunem. Unde cum volunt corrigere illud desiderium innatum falluntur.

Ut diximus in argumento obiectum possitive infinitum debet esse unicum:

Si obiectum beans sufficiens est unicum, idem est necessarium simul et sufficiens; si vero obiectum beans ex pluribus coalesceret eiusdem bonitatis omnia erunt aeque necessaria et uno dempto tollitur beatitudo perfecta; si ex uno primario et per se sufficienti ad beatitudinem essentialem et ex aliis secundariis praebentibus accidentalem beatitudinem, tunc ne appetitus sit inanis saltem hoc obiectum necessarium et primarium debet exsistere et posse obtineri, quod est Deus cognitus et amatus.

31. Appetitus naturalis innatus hominis est ad bonum perfectum hominis, ad hoc ut simus completi in bonitate. Atqui non amplius exigit quam esse cum proprietatibus, operationibus et fine naturae debito, qui finis alius forte non sit quam pacifica societas animarum in altera vita, coniuncta cum mutuo amore, scientia ceterisque bonis, quae in tali societate esse possunt; vel perfecta tranquillitas in operatione perfectissima intelligendi et volendi circa obiecta sua nobilissima, cum non impedita varietate.

Ergo ante suppositionem exsistentiae Dei non videtur efficaciter probari posse beatitudinem homini naturalem debere nos firmare in statu immobili in quo ita quiescamus ut nihil amplius desideremus.

Conc. mai. et nego minorem.

Explicatio: Plena possessio veritatis et bonitatis haberi nequit sine bono perfecto ab omni malo immune et actualiter exsistente, quod non potest esse nisi bonum infinitum. Unde non daretur illa perfecta tranquillitas nec in intellectu nec in voluntate donec remaneret aliquid verum et bonum cognoscendum et possidendum.

32. Natura per desiderium consequendi veritatem et bonitatem vult tantum ut veritatem pro viribus singuli inquirant et gradatim genus humanum ad pleniorem culturam et scientiam evolvatur.

Ergo natura nequaquam nobis promittit plenam veritatis et bonitatis possessionem.

Nego antec.

Explicatio: Si natura veritatem nos pro viribus quaerere neque tamen, saltem plene nos eam invenire voluisset, nobis indidisset amorem studii, non vero ipsius veritatis.

Aliunde si natura bonum solius generis humani, non vero singulorum hominum bonum intenderet, solum affectum erga bonum publicum, non vero individualis beatitudinis concupiscentiam cordibus inseruisset. Nunc autem, ut individualem nostram immortalitatem, beatitudinem, scientiae plenitudinem absolute desideremus vehementissime urgemur. Quod desiderium, si natura satiare non vellet, vere crudelis et mendax esset.

33. Etiam si exsistat bonum positive infinitum, capacitas intellectus humani et voluntatis, numquam explebitur eo quod Deum modo prefectissimo numquam cognoscemus. Ergo in hoc casu appetitus maneret insatiatus et falsum est argumentum, quod nititur in beatitudine per plenam cognitionem et amorem consequenda.

Nego antecedens.

Explicatio: Verum est nos Deum non tam perfecte cogniturος esse ita ut perfectius cognosci non possit. Sed hoc plenae beatitudini et quieti non obstat: possidebimus Deum infinitum modo finito nobis proportionato; nam possessio finita boni infiniti non excedit capacitatem finitam.

34. Tu probas thesim supponendo iam possibilitatem entis infiniti. Atqui hoc gratis supponitur. Ergo argumentum non probat.

Nego maiorem.

Explicatio: Probo obiectum talis appetitus non posse esse aliquam chimaeram; debet esse aliquid possibile et exsistens; tunc quia «Deus possibilis = Deus exsistens»; tunc quia, si non exsisteret, voluntas non satiaretur ut diximus in argumento. Immo probatur tale obiectum exsistere et esse infinitum; et iam de facto ad posse valet illatio.

## ARTICULUS II

### ARGUMENTUM DEONTOLOGICUM

**THESIS 11. Deum exsistere tamquam legislatorem supremum probatur ex obligatione, quae conscientia morali innotescit.**

325. **Bibliographia.**—S. TH., 2 Dist. 39, q. 3, a. 3, ad 3: *De Verit.*, q. 17, a. 4 ad 2; q. 16, a. 1, ad 9.—SUÁREZ, *De leg.*, 1. 2, c. 6, n. 7.—BILLUART, *De Deo, diss. 1*, a. 4.—CHOSSAT, *Dieu:* DTC, col. 915.—DE BROGLIE, P. (abbé), *Morale sans Dieu*, p. 307.—BOUYSSONIE, *Solution spiritualiste du probleme moral:* ArchPh, 2, c. 1, p. 56-61.—CLAEYS-BOUÜAERT, *Tous les athées sont-ils coupables?* NouvRevTh (1931), 169-185.—COATHALEM, *Du Devoir a Dieu* ArchPh, 11, p. 159-189.—DE BAOKER, *Theod.*, p. 88.—DEHOVE, *Le fait moral:* RevPh (1927), p. 573 ss.—EYMIEU, *Théorie du bien et du mal moral:* Et, 1, (1904), p. 45 ss.—FERRETI, *Inst. Phil. Moralis*, 1, p. 214.—HONTHEIM, *Inst. Theod.*, n. 387.—KLEUTGEN, *De ipso Deo*, n. 183.—LAHR-PIOARD, *Cours*, 2, p. 46-48; 503.—DE MARGERIE, *Théodicée*, 1, p. 225-250.—MONNIER, *L'existence de Dieu et l'obligation morale:* RevPh, 25 (1914), p. 354-372.—ROMEYER, *Dieu:* DPCR, col. 843.—SCHIFFINI, *Theol. Nat.*, n. 403; idem, *Ethica Gen.*, n. 141.—SERTILLANGES, *Las Fuentes...*, p. 187 ss.—VALENSIN AUG., *Criticisme Kantien:* DAFC, col. 757.—VALENSIN ALB., *Traité du droit naturel*, 1, p. 112 ss.—DESOOQS, *Prael. Theol. Nat.*, 1, p. 445 ss.—ARNOU, *Theol. Nat.* (1947), p. 104.—Mz. DEL CAMPO, *Theol. Nat.* (1926), p. 101 ss.—GONZÁLEZ ÁLVAREZ, *Teol. Nat.*, p. 330-338. — RAST, *Theol. Nat.*, p. 49 ss.—BILLOT, *De Deo uno*, 7 p. 49; idem, *La Providence de Dieu...:* divers. art. Et (1920-1924).—FRANZELIN, *De Deo*, p. 53 ss.—GREDT, *Elem. Phil.* °, 2, p. 197.—NIVARD, *Ethica*, p. 113 ss; *Responsabilité:* DAFC.—HELLÍN, *Theol. Natur.*, p. 248.—HARENT, *Infidèles:* DTC, col. 1.756-1.872.—RIOHARD, *Fin dernière:* DTC, col. 2.489. — SCHAAF, *Theol. Nat.*, n. 132.—VAN DER MEERSCH, *Tract. de Deo Uno* 2, p. 69-74.—MERCIER, *Traité Elém. de Phil.* 3, t. 2, p. 55.—MERKELBAOH, 1911, RevEcclLiège, p. 419.—Gz. MORAL, *Phil. Schol. Summa*, 3, p. 469.

326. **NEXUS.** In thesi praecedenti consideravimus entia mundana libera tendentia appetitu innato voluntatis in beatitudinem perfectam ut ultimum finem. Et per reflexionem supra illud factum pervenimus ad terminum viae seu ad Deum sub conceptu summi boni, causae finalis ultimae et ultimi finis hominis.

In hac thesi (47) considerantur entia mundana libera seu voluntas ut tendentia elicita moraliter ligata seu absolute obligata ad ordinem moralem servandum ut suam beatitudinem perfectam et finem ultimum attingat. Et sic per reflexionem supra illud factum pervenimus ad initium viae seu ad Deum sub conceptu causae efficientis moralis, legislatoris supremi et ordinis moralis auctoris praefigentis homini viam ad beatitudinem seu ultimum finem.

### 327. NOTIONES.

MORALITAS in genere est illa qualitas propter quam actus humani digni laude vel vituperio dicuntur.

*Actus moralis:* —*vulgariter* est actus praeditus illa qualitate propter quam dignus laude vel vituperio dicitur;

—*stricte* est ille actus, qui libere ponitur cum advertentia rationis (cognitio intellectualis dirigens voluntatem in sua operatione) ad honestatem vel turpitudinem obiecti.

---

(47) Vocatur argumentum *deontologicum* a voce graeca δέον el deber, obligatio.

*Actus moralis bonus* seu honestus est ille, qui facit bonum hominem, honorabilem, laude dignum. *Est necessario seu intrinsece bonus* si talis est ex natura sua et semper; inde eius omissio est intrinsece mala. *Est non necessario bonus seu extrinsece bonus* si talis dicitur ex adiunctis, quae non semper dantur; eius omissio non est intrinsece mala v. c. non manducare carnes die abstinentiae.

*Actus moralis malus* seu inhonestus est ille qui facit malum hominem, inhonorabilem, vituperio dignum. Est necessario seu *intrinsece malus* si talis est ex natura et proinde semper v. c. contemnere parentes, contemnere pauperem, amicum... Est non necessario malus seu *extrinsece malus* si talis dicitur ex adiunctis, quae non semper dantur v. c. manducare carnes die abstinentiae.

Nimirum sunt multae actiones honestae vel inhonestae non ex natura sua, sed solum extrinsece i. e. quia praeceptae vel prohibitae sunt. Sunt aliae actiones (aliquae) intrinsece et ex natura sua ideoque independenter a quocumque praecepto extrinseco honestae vel inhonestae (seu bonae aut malae bonitate vel malitia incompleta, quae solet vocari proprie honestas vel inhonestas, quae venit in actum ex obiecto solum). Unde in hoc casu ut videamus utrum aliquis actus sit moraliter bonus vel malus illa bonitate vel malitia incompleta debemus respicere obiectum circa quod versatur. Ut vero cognoscamus utrum obiectum actus sit bonum vel malum aut indifferens debemus illud comparare cum norma moralitatis: moralitas enim est habitudo convenientiae vel disconvenientiae cum norma moralitatis.

Moralitas potest esse completa vel incompleta.

*Completa* adest cum datur conformitas vel difformitas cum omnibus normis moralitatis ita ut actus habeat omnes bonitates vel malitias, quas potest habere.

*Incompleta* est illa bonitas vel malitia resultans ex conformitate vel difformitate actus unice cum norma constitutiva moralitatis; quae norma (proxima) in nostra sententia est natura rationalis qua talis complete spectata i. e. essentia hominis tota quanta (corpus et anima) rationabiliter operans et secundum omnes suas partes (rationalem, sensitivam, vegetativam) et secundum omnes suas relationes ad alia entia et ad suum finem ultimum, quicumque tandem ille sit. Quamvis enim requiratur relatio explicita ad finem ultimum et ideo detur etiam relatio implicita ad Deum, iuxta fere omnes non requiritur relatio explicita ad Deum ut finem ultimum et sic non praeiudicatur quaestio nostra in Theodicea agitanda.

**328.** NORMA MORALITATIS in genere est regula directiva actuum humanorum ut talium in ordine morali ita ut illi sint boni vel mali prout accommodentur vel non accomodentur normae.

Iuxta nos: *conscientia* est norma subiectiva praeceptiva stricte immediata, quae imponit nobis veram et strictam obligationem ponendi aliquos actus alios vero vitandi. *Recta ratio* est norma subiectiva manifestativa proxima, quae detegit nobis bonitatem vel malitiam moralem. *Natura rationalis qua talis* est norma obiectiva, constitutiva proxima. *Lex aeterna* seu ratio et voluntas divina ordinem naturalem conservari iubeus perturbari vetans (supposita iam exsistentia Dei) est norma obiectiva manifestativa, praeceptiva, remota. *Essentia divina* (supposita iam exsistentia Dei) est norma obiectiva, constitutiva, remota.

**329.** ORDO MORALIS sensu latiori est ordinatio seu apta dispositio actionum humanarum quatenus activitate libera procedunt cum advertentia ad normam moralitatis.

**330.** LEX *in genere* est norma vi cuius inducitur quis ad agendum vel ab agendo retrahitur. Hoc sensu comprehendit omnes leges tum physicas tum morales.

*Lex physica* est modus constans quo corpora determinismo subiecta se gerunt in rerum natura.

*Lex moralis* intelligitur hic norma obligatoria actuum humanorum.

*Lex moralis positiva* est ordinatio rationis ad bonum commune et ab eo qui curam communitatis habet promulgata et quidem per actum positivum.

*Lex moralis naturalis* est regula imposita libertati, quae per solam rationem promulgatur. In actu primo seu effective est ipse intellectus quatenus natura sua inclinatur ad iudicia practica de bono agendo et de malo evitando sibi efformantia. In actu secundo est series principiorum universalium a ratione naturali detectorum de bono agendo et de malo vitando v. c. parentes sunt honorandi, Deus est colendus, furtum est evitandum.

**331.** *Synderesis* est habitus naturaliter inditus quo cum magna facilitate manifestantur nobis prima principia legis naturalis in ordine operationum moralium.

**Conscientia:** *psychologica* est cognitio quam anima habet de se ipsa et de actibus humanis; *moralis* est iudicium practicum (remote vel proxime) quo intimatur subiecto per suam rationem aliquam actionem esse faciendam vel omittendam, licitam aut illicitam v. c. furtum est vitandum; haec res non est auferenda, quia est furtum, etc...

**332.** **Obligatio:** *etymologice* significat ob-ligare, ligamen aliquod.

Obligatio potest considerari psychologice et ontologice.

*O. psychologice* considerata est perceptio subiectiva necessitatis.

*O. ontologice* considerata: *in genere* est necessitas moralis, intentionalis aliquid faciendi vel omittendi voluntati liberae imposita.

Explicatur: *Necessitas*, impositio, coactio, ligamen aliquod voluntati impositum.

*Moralis:* non physica, non enim fit per determinationem aut per vim physicam extrinsecus illatam voluntati, nec per determinationem intrinsecam ipsius voluntatis, quia voluntas est physice libera quoad exercitium. Nec provenit talis necessitas a causa exemplari, quia voluntas etiam est libera quoad specificationem.

*Intentionalis*, determinata a causa finali, seu a bono cognito per rationem; et voluntati a conscientia imposita propter perspectam connexionem necessariam inter actionem et finem obtinendum.

*Aliquid faciendi...* in ordine morali.

*Voluntate libera imposita*, quia sola voluntas libera est capax obligationis moralis.

**333.** Divisiones obligationis. Potest esse secundum quid et absoluta.

O. secundum quid, obligatio *minus proprie dicta*, est necessitas moralis aliquid faciendi vel omittendi orta: vel ex eo solo quod sit conforme vel difforme naturae rationali qua tali v. c. honorare parentes, non occidere, non furari; vel ex perspecta connexione necessaria nostrae actionis liberae cum fine dependente a nostra electione: quo in casu si volumus finem, media ad finem sunt necessario volenda moraliter, non obstante libertate physica volitionis v. c. si vis perfectus esse, vade...; si vis philosophus evadere, debes discere philosophiam. Medium igitur imponitur, non absolute, sed solum hypothetice et rationabiliter omitti non potest in ordine ad hunc finem determinatum consequendum.

O. ABSOLUTA seu STRICTE DICTA est necessitas moralis, intentionalis, absoluta servandi ordinem moralem voluntati liberae imposita a supremo legislatore.

Dicitur *absoluta* i. e. imposita voluntati categorice, inconditionate propter connexionem nostrae actionis cum fine, qui est nobis impositus independenter a nostra voluntate. Unde in casu medium absolute imponitur, in nullo ordine nec relate ad ullum finem rationabiliter omitti potest. Finis autem ultimatim non potest esse alius nisi finis qui vel explicite vel implicite ut absolute ultimus cognoscitur in quolibet bono et fine particulari explicite cognito ab intellectu ut ponendo vel omittendo prout sit conformis vel difformis bono qua tali seu ultimo fini voluntati.

—Haec necessitas moralis—*in actu primo* data est cum natura voluntatis qua talis et cum eius ordinatione naturali in finem ultimo specificantem. —*in actu secundo* talis necessitas cognita est a ratione tamquam regula a conscientia morali voluntati imposita.

*Servandi ordinem moralem* seu ponendi omnes actiones necessario bonas et omittendi omnes intrinsece malas.

*Imposita voluntati a supremo legislatore:* nam voluntas non potest ligari nisi a superiore et nequit absolute ligari nisi a superiore absoluto.

Obligatio absoluta potest esse perfecta et imperfecta.

PERFECTA est illa necessitas moralis intentionalis absoluta, quae provenit a voluntate supremi legislatoris explicite cognita.

Ligat simul subiective seu psychologice et obiective seu ontologice i. e. homo aprehendit libertatem suam subiective moraliter esse ligatam ad faciendum vel vitandum aliquid; et insuper apprehendit esse ligatam per obiectum distinctum ab ea, per regulam obiectivam, quae sese imponit categorice illi velit nolit, tamquam eius superior et domina. Nec ullum dubium relinquere potest de natura sua necessitante.

IMPERFECTA est illa necessitas moralis, intentionalis, absoluta, quae provenit a voluntate supremi legislatoris saltem implicite et confuso modo cognita.

Unde cognitio obligationis absolutae in hoc casu est imperfecta, quia nondum cognoscitur formaliter explicite supremus legislator. Ligat simul subiective et obiective et in ordine reflexionis (non in ordine apprehensionis directae) locum relinquere potest dubio saltem imprudenti de natura sua necessitante.

Iam vero violatio utriusque obligationis absolutae est offensa illius personae cui subicimur absolute et reos nos facit indignationis et punitionis eius et magnam vim habet ad movendos animos ad obedientiam.

N. B. Obligatio perfecta et imperfecta etiam alio modo intelliguntur ab auctoribus. Obligatio imperfecta est:—vel obligatio absoluta solum subiectiva (ex falso iudicio); vel non absoluta: sive sit hypothetica, sive illa, quae a sola natura rationali qua tali provenit, in qua cognitio Dei ut legislatoris ne implicite et confuse includitur. Obligatio perfecta est solum illa obligatio absoluta quae ligat subiective et obiective et fert secum cognitionem explicitam illius personae cui subicior absolute.

**334. STATUS QUAESTIONIS.**

QUAERITUR utrum ex obligatione, quae conscientia morali innotescit possimus probare Deum exsistere tamquam legislatorem supremum necne.

1) IN ETHICA exsistentia Dei iam probata ostenditur obligationem, saltem in ordine ontologico non habere rationem sufficientem, si Deus non est.

**335.** IN THEODICEA quaerimus hoc: utrum exsistentia Dei nondum probata, obligatio quae per conscientiam moralem manifestatur, talis sit ut non habeat rationem sufficientem sui, si Deus non est, et consequenter praebeat in ordine logico rationis discursivae argumentum efficax ad probandam Dei exsistentiam.

**336.** 2) QUO NITITUR THESIS?

a) *Factum experimentale* est factum obligationis. Evidens enim est hominem (sive cognoscat Deum sive non) experiri se vere ligari obligatione, qua vi legis categoricae manifestae per conscientiam moralem, apprehendit in variis adiunctis se debere hoc facere vel vitare, ergo necessitate premi, quae tamen libertatem suam integram relinquat.

b) *Principium metaphysicum* est principium speculativum rationis sufficientis et principium practicum «bonum est faciendum malumque vitandum», quod exprimit legem fundamentalem entis moralis qua talis, quod sese apprehendit ut per naturam necessario ligatum erga finem suum intrinsecum ad quem toto pondere tendit.

**337.** 3) DIFFICULTAS thesis tota est in ostendendo illud factum obligationis esse legem intrinsecam ipsius naturae rationalis, quae secundum se totam ordinatur ad aliquem terminum sibi transcendentem, ad quem dicat relationem transcendentalem dependentiae in regione moralitatis.

Unde factum obligationis non ita intelligendum est: imperium voluntatis legislatoris impositum voluntati humanae iam constitutae; tunc enim non posset ligare voluntatem nisi cognita prius voluntate superioris legislatoris et argumentum esset nullum.

**338.** 4) Thesis habet duas partes:

a) *In prima parte* ostendimus dari legislatorem supremum (causam efficientem moralem) qui transcendat naturam moralem.

ET PROCESSUS HIC EST: Ex cognitione imperfecta obligationis absolutae et imperfectae, quae includit formaliter implicite et confuse cognitionem sui fundamenti ontologici seu Dei, assurgimus (quia obligatio quamvis cognosci non tamen potest perfecte explicari sine Deo) ad cognoscendum reflexe et explicite exsistentiam legislatoris supremi et obligationem absolutam perfectam supponentem iam cognitionem legislatoris supremi.

b) *In secunda parte* probamus hunc legislatorem necessario esse a se et auctorem simul ipsius naturae moralis et physicae. Hic accurrimus ad argumentum ex contingentibus.

## 339. SENTENTIAE.

I. Kant *cum suis asseclis* concedit quidem obligationem, sed eam fundat exclusive obiective in imperativo categorico rationis autonomae practicae hominis praeter Deum; subiective autem in perceptione huiusmodi impositionis.

II. Feuerbach, Spencer, Paulsen... iuxta quos obligatio continet solummodo nexum necessarium ad voluntatem auctoritatis superioris humanae sc. societatis.

## 340. III. Inter auctores catholicos:

A) *Alii* dicunt ex solo facto obligationis nullo modo concludi posse ad Deum. Sed diversimode haec negatio explicatur.

1. Billot asserit obligationem logice et ontologice pendere a Deo. Non exsistente Deo nulla datur obligatio. Non cognito Deo clare et explicite logice nulla cognoscitur obligatio, nullam experimur obligationem. «Antecedenter enim ad cognitionem exsistentiae Dei ut finis ultimi (explicita pro Billot, implicita pro maxima parte thomistarum) impossibilem esse distinctionem inter bonum et malum morale, impossibile esse notionem legis (moralis naturalis) et obligationis in conscientia». Unde argumentum ex obligatione petit principium.

2. P. Vázquez et Mercier affirmant obligationem (bonum est faciendum...) nec logice nec ontologice pendere a voluntate Dei (utique ab essentia). Pro Vázquez obligatio legis naturalis formaliter et immediate consistit obiective in nexu necessario convenientiae vel disconvenientiae inter actus morales et naturam rationalem qua talem; et subiective in perspicientia huius nexus ab intellectu. Tales actus possunt esse conformes vel difformes naturae rationali et cum iam exsistunt voluntas divina necessario approbat vel reprobat. Pro Mercier obligatio est lex nostrae naturae tendentis ad suum finem eodem titulo ac lex physicae vel chemiae.

Unde argumentum ex obligatione nullum est, non conducit ad Deum.

3. PP. Elter, Nivard, Lercher, Lahousse... negant etiam vim argumenti ex obligatione, quia ante cognitionem Dei ut legislatoris extrinseci et supremi experimur obligationem honestatis ortam ex naturae nostrae indole, sed nullo modo obligationem responsabilitatis absolutae coram legislatore supremo.

Franzelin tribuit argumento ex obligatione vim confirmativam postquam Deus aliunde probatus fuerit.

**341.** B) *Alii* dicunt ex facto obligationis posse concludi Ad Deum, sed solum indirecte:

—*aut vi consensus generis humani* de existentia legis cum obligatione absoluta, qui de hoc puncto est universalis (sic BOEDDER, DE SAN, DONAT, PICCIRELLI...);

—*aut ex exigentia obligationis:* natura enim humana sine obligatione esset essentialiter manca; requiritur restrictio libertatis, non vero physica sed moralis, ad quod non sufficit illa obligatio secundum quid seu improprie dicta. (Sic RAST, SCHUSTER, ZIMMERMANN...).

**342.** b) *Alii* tenent ex facto obligationis et quidem directe exsistentiam Dei posse valide concludi. Hoc autem duplici modo proponitur.

1. *Dictamen conscientiae* quoad obligationem *est medium in quo* perspicitur dependentia a Deo. Unde in conscientia obligationis immediate sine propria dicta illatione apprehenditur ipsa vox legislatoris supremi, quamvis adhuc modo confuso. Sed per analysim potius quam per ratiocinium detegitur clare Deus. Sic C. NEWMAN, SCHIFFINI... Haec sententia generatim reicitur.

2. *Dictamen conscientiae* quoad obligationem *est medium ex quo* cognoscitur proprie dicta illatione Deus ut supremus legislator. Natura enim rationalis ut manifestat dictamen conscientiae sese apprehendit in suis actionibus liberis subiective et obiective ligatam ab aliquo superiore extra se. Ratio sufficiens illius facti non potest esse alia nisi voluntas alicuius superioris, ultimatim voluntas superioris absoluti, qui sibi subiciat moraliter voluntatem humanam, immo et eam physice condiderit. Sic DESCOQS, MZ. DEL CAMPO, ARNOU, BRUGGER (48), et multi alii.

**343.** UNDE: —*contra argumentum* sunt BALTHAZAR, BILLOT, FRANZELIN, GREDT, HARENT, LERCHER, LAHOUSSE, NIVARD, RICHARD, SCHAAF, VAN DE WOESTYNE, VAN DER MEERSCH, HELLÍN, GISQUIÈRE, MERCIER, VÁZQUEZ, MERKELBACH...

—*pro argumento sub una vel alia forma* sunt plurimi auctores:

S. THOMAS (dubitatur), BÁÑEZ, CAIETANUS, BILLUART, GONET, J. a S. THOMA, VIVA, WIRCEBURGENSES, BROGLIE P., BOUYSSONIE, CHOSSAT, CLAEYS-BOUÜAERT, DE BACKER, DEHOVE, EYMIEU, FERRETI, HONTHEIM, KLEUTGEN, LAHRD-PICARD, NEWMANN, ROMEYER, BOEDDER, SCHIFFINI, SERTILLANGES, VALENSIN AUG., VALENSIN ALB., DESCOQS, ARNOU, MZ. DEL CAMPO, MAQUART, GONZÁLEZ ÁLVAREZ, RAST, BRUGGER...

## CENSURA.

Longe communior et probabilior tum intrinsece tum extrinsece.

## 344. PROBATUR.

**1.ª Pars.** Ante probatam exsistentiam Dei datur et cognoscitur imperfecte obligatio absoluta tamquam lex naturae. Atqui obligatio absoluta tamquam

(48) BRUGGER, *Theol. Nat.* (annot. priv. 1952), p. 82/29.

lex naturae requirit ut rationem sufficientem exsistentiam legislatoris supremi. Ergo exsistit legislator supremus, Deus.

*Maior.*—FACTUM OBLIGATIONIS ABSOLUTAE: *Testimonio conscientiae* certo constat homines iudicare categorice in certis adiunctis maioris momenti quasdam rationes agendi esse honestas et ponendas, oppositas vero esse moraliter malas. nec posse eligi sine deformitate voluntatis et esse vitandas.

In tali voce conscientiae homines percipiunt eos simul esse actionis dominos, utpote physice liberos; et legi subiectos, utpote moraliter absolute obligatos quatenus violatio huius imperii eis apparet ut quid essentialiter repugnans naturae eorum morali, quae invincibiliter de se ordinatur ad bonum honestum tamquam ad finem immediatum essentialiter connexum cum fine ultimo proprio. Inde necessitas reddendi rationem nostrae actionis alicui superiori.

*Homines magnae notae* affirmabant suam persuasionem de existentia Dei fundari in conscientia obligationis moralis. Exemplum Ernisti Psichari optime ilustrat factum obligationis.

EST LEX NATURAE secundum quam activitas nostra libera ad solum bonum ex obligatione tendit.

*Omnis activitas* cuiuscumque naturae necessario alicui fini ordinatur tamquam ad suum obiectum formale et specificans, secus esset inintelligibilis et impossibilis. Sic *intellectus* necessario subicitur legi obiectivae veritatis tamquam propriae regulae ita ut praeter hanc legem inintelligibilis sit natura intellectus. *Voluntas nostra* prout est natura seu *qua voluntas* subicitur legi obiectivae bonitatis, ordinatur ad bonum, ad bonum ut sic seu qua tale, quod est eius finis seu obiectum formale et specificans eius activitatem et intelligibilitatem. *Voluntas nostra prout est facultas libera* consequens intellectum, necessario etiam subici debet legi obiectivae bonitatis i. e. ad solum bonum ex obligatione tendere debet, (secus ageret contra suam naturam), quod bonum debet esse finis necessarius et ad quod dicat ordinationem necessariam et relationem necessariam dependentiae in ordine morali, nempe obiectum quod sit norma necessaria regulans eius activitatem ut est libera. Secus remaneret indifferens quoad omnia omnino bona, quoad finem obtinendum, quoad media eligenda, et inde vi principii finalitatis ibi nulla ratio sufficiens, nulla ratio intelligibilitatis electionis liberae, ibi non-ens quod est impossibile. (Voluntas ut est libera non potest esse ipsa sola norma adaequata et sufficiens suae activitatis liberae, quia pendet a multis conditionibus).

Ergo datur necessitas inveniendi aliquam normam, cui activitas libera voluntatis subici debet.

Et quodnam est in concreto illud bonum necessarium quod respicere debet voluntas ut libera quique est eius finis specificans sicut et finis simpliciter ipsius entis liberi? Probandum est in MINORI non posse esse nisi summum bonum eius, quod est praecise principium ontologicum obligationis et responsabilitatis, a quo ligatur voluntas et a quo accipit suam intelligibilitatem.

*Minor* argumenti principalis. RATIO SUFFICIENS ILLIUS OBLIGATIONIS EST LEGISLATOR SUPREMUS.

1) *Non est ipsa natura:* haec enim in individuo non potest esse sibi inferior (quatenus ligaretur) et superior (quatenus sese ligaret) relate ad idem, cum nullus sese ipsum absolute ligare valeat.

*Nec societas* individuorum explicare potest naturam absolutam obligationis; eius enim auctoritas saltem interne reici potest.

2) *Non est aliquid mundanum:* quia iudicamus illam vocem sequendam esse prae omni humano imperio; saepe etiam crimen est omnino occultum.

3) *Non est aliquid extramundanum non supremum*, secus non sentiremus nos absolute necessitatos illa obligatione, siquidem ab illa posset nos absolvere ens supremum extramundanum.

4) *Non est ipsa lex*, nec ulla norma mere idealis, seu imperium in se spectatum: abstractio non est terminus appetitus concreti, qui est voluntas, et quaelibet imperativa categorica seu axiomata aeterna rationalistarum nihil sunt pro ea nisi flatus vocis, nec potest voluntas sive quoad libertatem sive quoad iura restringi nisi per voluntatem personalem.

5) *Ergo est legislator supremus extramundanus* i. e. voluntas alicuius personae superioris, intellectu et voluntate praeditae, cuius lex naturalis, manifestata per conscientiam, sit vox et preco. Sola illa voluntas intelligitur ligare posse et sibi vincire voluntatem nostram personalem et esse terminus cui ab intrinseco haec nostra voluntas relationem essentialem dicat et subiectionem.

### 345. 2.ª Pars. Ille superior, legislator supremus debet esse a se.

Ille supremus legislator, qui est causa naturae moralis, ipse est auctor etiam naturae physicae, siquidem natura physica est praesuppositum necessarium in quo radicatur et ex quo efflorescit natura moralis, nec potest habere ius et dominium in naturam moralem, nisi ille qui condiderit naturam physicam.

De illo auctore simul naturae physicae et moralis, quaeram vel est a se vel ab alio: si est a se habeo intentum; si ab alio de illo quaeram nec quiescam donec inveniam ens primum a se quod vocamus Deum.

N. B. «Si vero ex his concluditur nostrum argumentum nihil novi afferre praeter contingentiam et non esse nisi applicationem «facto morali» eorum quae antea dicta sunt de contigentia libenter concedemus». (Descoqs, Schema p. 77).

### 346. SCHOLIUM I.—ARGUMENTUM INDIRECTUM ex consensu hominum seu ex persuasione universali circa factum obligationis.

Datur persuasio universalis obligationis absolutae, saepe tamen imperfecte cognitae. Atqui ex hoc actu possum inferre exsistentiam supremi legislatoris, auctoris ordinis moralis, qui est Deus. Ergo exsistit Deus sub conceptu supremi legislatoris.

*MAIOR.* Videmus omnes homines in momento directo distinguentes inter bonum et malum et tenentes bonum esse faciendum et malum vitandum. Id accidit etiam quoad actus internos: si enim aliquis illud imperium violaverit, quamvis secreto, stimulis conscientiae agitatur, si vero illud revereatur magna animi pace ac voluptate perfunditur.

Id accidit etiam in pueris, qui vivide percipiunt iustum et iniustum, honestum et turpe.

Item homines nullo excepto percipiunt ius ut nemo ad placitum suum privet illos vita, divitiis, fructu laboris, fama et quidem ut aliquid absolutum.

*Haec cognitio* obligationis saepe est imperfecta, sed sufficienter valida.

*MINOR.* Illa persuasio constans et universalis, non pendet ab aliquo subiectivo; consequitur enim naturam ipsam ac proinde est obiective vera habensque rationem sufficientem.

Haec ratio non potest esse: nec ipsa natura, nec societas, nec aliquid mundanum, nec aliquid extramundanum non supremum, nec ipsa lex; sed SUPERIOR ABSOLUTUS EXTRAMUNDANUS, qui est Deus. (49).

---

(49) Mz. del Campo, *Theol. Nat.*, p. 106.

**347. SCHOLIUM II.—Argumentum indirectum ex necessitate legis, obligationis et sanctionis.**

Adest positiva et absoluta exigentia legis moralis, obligationis et sanctionis ad hoc ut singuli homines et tota societas humana ad debitam perfectionem pertingat (quia solummodo lex moralis cum debita sanctione est medium per se efficax ad illum finem obtinendum). Atqui id quod est necessarium ad bonum individuorum et societatis etiam adesse debet (quia aliae classes entium non carent mediis necessariis ad suum finem obtinendum). Ergo exsistit lex moralis absolute obligans cum debita sanctione et proinde etiam legislator, ultimatim legislator supremus, Deus. (50).

**348. SCHOLIUM III.—Argumentum Kantii ex obligatione. (51).**

*Ratio practica* significat vel intellectum iudicantem quid sit agendum vel etiam ipsam voluntatem.

*Regulae agendi* pro voluntate possunt esse: *individuales* v. c. ego propono studere...; *generales*, seu illae quae valent pro omnibus: sive hypothetice et libere, v. c. si vis scire debes studere; sive absolute et necessario.

Haec regula apodictica vocatur.

IMPERATIVUM CATEGORICUM, seu lex moralis: est regula agendi pro voluntate, necessaria, absoluta, categorica, universaliter obligans. Dicit enim: «implere debes officium tuum non obstantibus quibuscumque difficultatibus et inclinationibus». Huic legi renuntiare nequeo ne fiam meis propriis oculis homo aspernabilis et est digna veneratione absoluta ita ut eius voce audita etiam «audacissimus malefactor contremiscere et ab ea quasi se abscondere cogatur».

Illud quod lex absolute imperat v. c. ne mentiaris, potest fieri aut propter aliud motivum quam venerationem legis et tunc *actio* illa est *legalis* solum materialiter conformata cum lege; aut unice propter venerationem legis et tum *actio* est *moralis*.

Ratio practica autonoma iuxta Kantium est: sibi legifera, nullum praeceptum accipere potest quod a propria ratione non dimanet secus periret libertas, quae unice integra manet cum voluntas ipsa aliquid sibi imperat et sibi obedit; insuper est principium omnium legum moralium. Inde fundamentum unicum et adaequatum obligationis in ordine ontologico est imperativum categoricum rationis autonomae secluso quolibet externo legislatore; in ordine vero logico seu cognitionis est perceptio huius impositionis.

POSTULATUM RATIONIS PRACTICAE, est propositio theoretica, quae ut theoretica non potest probari, est tamen legi a priori absolute valenti inseparabiliter coniuncta. Non est aliquod dogma theoreticum, sed suppositio propter necessarium respectum practicum, ut explicetur possibilitas legis moralis seu imperativi categorici.

Positis his notionibus et explicationibus veniamus ad argumentum:

349. ARGUMENTUM: Exsistit imperativum categoricum seu lex moralis cum obligatione absoluta (constat ex testimonio universali conscientiae); proveniens ab ipsa voluntate (quae est autonoma, sibi legifera et principium omnium legum moralium); postulans observationem ordinis moralis unice propter venerationem legis (quia aliud motivum esset indignum hominis et egoisticum);

Atqui hoc imperativum requirit haec postulata:

*libertatem*, quia obligatio moralis voluntatis sine libertate impossibilis est; *immortalitatem:* obligatio est ad sanctitatem, quae in hac vita gradatim adquiritur et in altera sine fine perficiemus; *exsistentiam Dei*, quia sanctitas postulat praemium, summum bonum seu Deum. Ergo exsistit Deus et quidem obtentus non via speculativa, sed fiduciali per quam certi sumus subiective de exsistentia Dei, sed nescimus an res sit obiective vera.

---

(50) SCHAAF, *Theol. Nat.*, p. 159.

(51) DESCOQS, *Theol. Nat.*, 1, p. 639; SCHAAF, *Theol. Nat.*, p. 190; Mz. DEL CAMPO, *Theol. Nat.*, p. 150.

REICITUR: *Voluntas*, ut liquet, nequit se absolute obligare. Insuper clare cognoscimus nos ab altero ligari et illi rationem reddere debere. *Praeter venerationem legis* dantur alia motiva hominis digna;

—*imperativum categoricum* seu illa venerabilis vox, quamtumvis communis, qua se unusquisque obligat est pure subiectivum non vero aliquid obiectivum. Praeterea multi parvi pendunt esse suis propriis oculis aspernabiles.

*Verum est* repugnare ens non liberum posse moraliter ligari; sed nonne aeque repugnat ens liberum se moraliter absolute ligare?

*Obligatio* in casu est ad sanctitatem, sed non apparet ratio cur aliquando sanctitas obtinenda sit; hoc posito ad quid immortalitas?

Tandem qua de causa actio posita unice propter venerationem legis provenientis a sola voluntate autonoma postulat praemium? Et si gratis concedatur postulare praemium, cur praecise summum bonum?

Unde argumentum Kantii ex obligatione nullum est.

## 350. OBIECTIONES:

1. In tua sententia notio boni et mali moralis haberi potest antecedenter ad cognitionem Dei ut summi boni et ultimi finis. Atqui hoc admitti non potest. Ergo etiam argumentum ex obligatione est falsum.

Resp. Conc. mai. et nego minorem; vel

Disting. mai. si agitur de bonitate aut malitia completa et reduplicative spectata ut tendentia vel aversio relate ad finem praestitutum homini a Deo N.; si agitur de bonitate aut malitia incompleta (de honestate aut inhonestate) specificative sumpta i. e. quando actus cognoscuntur solum conformes vel difformes cum natura rationali qua tali adaequate spectata C.

Contrd. min. et nego consequens.

EXPLICATIO: In casu nostro consideratur natura rationalis qua talis cum relatione explicita ad suum finem ultimum, qui est summum bonum, quicumque tandem in concreto illud sit. Quamvis enim requiratur ad notionem boni et mali moralis relatio explicita ad finem ultimum, ad summum bonum; et ideo detur relatio implicita ad Deum, iuxta fere omnes non requiritur relatio explicita ad Deum ut summum bonum et ultimum finem et sic non praeiudicatur quaestio nostra in Theodicea agitanda.

2. Ut distinctio inter actionem bonam et malam moraliter habeatur necesse est antecedenter cognoscere aliquem finem voluntati praestitutum respectu cuius actio moralis sit ordinata vel deordinata, honesta vel inhonesta. Si actio recte dirigitur ut finis exigit est recta et bona; sin autem, defectuosa et mala. Atqui talis finis voluntati meae praestitutus non est in aliis creaturis nec in me, sed in solo Deo summo bono et ultimo fine. Ergo ut distinguamus inter bonum et malum morale per prius debemus cognoscere Deum.

Resp. Conc. mai.

Disting. min. Est revera Deus in ordine ontologico C.; debet prius cognosci Deus ut summum bonum et ultimus finis Subd. implicite cognitus in summo bono C.; etiam explicite N.

Disting. pariter consequens.

EXPLICATIO: Bonitas voluntatis pendet ex intentione finis. Finis ultimus voluntatis humanae est summum bonum. Requiritur ergo ad bonitatem humanae voluntatis quod ordinetur ad summum bonum. Hoc non praeiudicat naturam istius finis ultimi et summi boni; sed ex sola consideratione naturae nostrae et activitatis eius possunt enuntiari.

3. Ut distinguamus utrum actio sit bona vel mala moraliter oportet illam comparare explicite cum regula moralitatis. Atqui talis regula est Deus seu voluntas divina praecipiens. Ergo ante cognitionem voluntatis divinae praecipientis non possumus distinguere inter bonum et malum morale.

Resp. Disting. mai. cum n. proxima, C.; etiam cum remota, Subd. cum summo bono

C.; cum Deo ut summo bono et ultimo fine iter. Subd. saltem implicite cognito C.; etiam explicite N.

Contrd. min.

4. Dantur actiones bonae seu honestae et malae seu inhonestae independenter a mandato Dei et ab eius cognitione, sed sola bonitate et malitia illa incompleta ac proinde datur aliqua necessitas illas faciendi has omittendi, sed orta ex sola natura rationali. Atqui talis necessitas non est vera obligatio in ordine morali. Ergo non datur vera obligatio ante cognitionem Dei.

Resp. Conc. mai.

Disting. min. Si natura rationalis qua talis spectetur nude et inadaequate C.; secus N.

Explicatio: Possumus in momento directo et certitudine naturali ante cognitam exsistentiam Dei distinguere inter bonum et malum morale et experiri obligationem servandi ordinem moralem; haec obligatio procedit a natura mea, quae est imprimis hypothetica, si volo agere secundum naturam meam et deinde quid ordinis aesthetici, non moralis. Ultra hoc datur quid absolutum et ordinis moralis, quod nequit esse nisi obligatio absoluta adhuc imperfecte cognita servandi ordinem moralem, imposita a superiore absoluto implicite cognito.

5. Recta ratio ante Deum cognitum plura dictamina pronuntiat v. c. bonum faciendum, malum vitandum, parentes honorandi... Atqui quando adhuc ignoratur Deus totum illud est aliquid ordinis aesthetici, non vere moralis. Ergo ex illis dictaminibus non potest fieri ascensio ad Deum.

Resp. Conc. mai.

Disting. min. Si in illa exigentia naturali servandi ordinem moralem ne implicite quidem et confuse apprehenderetur legislator et inde non datur obligatio moralis absoluta imperfecta C.; secus N.

Explicatio: Necessitas obiectiva moralis absoluta ex sola natura nude sumpta non oritur. Natura enim humana non est digna absoluta reverentia et bene possumus spernere conformitatem cum ea. Debet igitur accedere nexus cum fine ultimo explicite; et cum Deo ut legislatore supremo saltem implicite et confuse cognito in illa necessitate obiectiva morali absoluta. Quo posito qui agit contra illa principia vere Deum offendit et peccatum theologicum committit.

6. Dictamina rationis se produnt necessaria ita ut absolute eis obediendum sit quando ratio est nuntius Dei. Atqui ignoto Deo ratio non potest esse nuntius Dei. Ergo ex illis dictaminibus non possumus ascendere ad Deum.

Resp. Disting. mai... solum explicite cogniti N.; sufficit ut cognoscatur implicite C.

Contrd. min.

7. Experientia quae adducitur in maiori argumenti nostri tenens homines se sentire obligatos absolute ante cognitum Deum, est unice in eis qui iam cognoscunt Deum. Ergo argumentum ex obligatione non valet ad exsistentiam Dei cognoscendam.

Resp. Nego antec.

Explicatio. Quilibet homo sive theoretica cognitione naturali et confusa, sive saltem practice in suo modo agendi novit aliquem ordinem ultimum rerum et necessitatem pro omni ente naturali agendi convenienter ad illum ita ut eos qui non sese accommodant vituperet.

—Multi, qui non admittunt Deum, expresse affirmant se sentire absolute obligatos et gratis asseritur hoc non esse verum.

—Illa obligatio absoluta datur in atheis negativis et etiam in illis qui serio dubitant de exsistentia Dei; proinde iam non requiritur cognitio Dei certa ad obligationem absolutam; Etiam

—in paganis, qui se sentiunt obligatos et saepissime non cogitant quidquam explicite de voluntate divina praecipiente; unde aut numquam peccant; aut si peccant non est necesse ut cognoscant explicite ante obligationem voluntatem Dei.

Atheismus ergo per se est composibilis cum responsabilitate morali.

8. Obligatio legis naturalis concipi non potest praescindendo a cognitione voluntatis Dei. Atqui cognitio voluntatis Dei supponit iam cognitionem exsistentiae Dei. Ergo ex facto obligationis non potest demonstrare exsistentiam Dei.

Resp. Disting. mai. praescindendo absolute i. e. sine ulla cognitione neque implicita et confusa Dei legislatoris C.; si datur talis cognitio N.

Contrd. min.

9. Voluntate Dei cognita plene intelligitur obligatio absoluta legis naturalis. Ergo cognitio obligationis absolutae praesupponit cognitionem voluntatis Dei.

Resp. Conc. antec.

Disting. cons. perfecta cognitio obligationis absolutae C.; imperfecta cognitio obligationis absolutae supponit... N.

10. Obligatio importat dependentiam moralem absolutam. Atqui sola voluntas Dei est ratio sufficiens huius absolutae et supremae dependentiae. Ergo cognitio voluntatis Dei est necessaria ad cognitionem obligationis absolutae.

Resp. Conc. mai.

Disting. min. in ordine ontologico C.; in ordine logico Subd. saltem implicite et confuse cognita C.; etiam explicite iter. Subd. ad cognitionem perfectam absolutae obligationis C.; ad imperfectam N.

11. Obligatio independens a Deo ducit ad moralem autonomam irreligiosam. Atqui obligatio in tua sententia est independens a Deo. Ergo est irreligiosa.

Resp. Disting. mai. absolute independens C.; si solum in ordine explicito cognitionis N.

12. Obligatio ontologice et realiter est vinculum legis naturae moralis. Atqui vinculum physicum et lex physica potest cognosci incognito ligante, non vero vinculum legis naturae moralis. Ergo cognitio obligationis supponit cognitionem legislatoris.

Resp. Conc. mai.

Disting. min. Si obligatio est lex intrinseca naturae rationalis non potest cognosci imperfecte vinculum morale ignoto ligante N.; non potest cognosci perfecte... C.

13. Obligatio absoluta est aliqua relatio inter obligantem et obligatum. Atqui cognitio relationis non habetur nisi prius cognoscantur termini. Ergo obligatio non cognoscitur nisi cognoscatur Deus.

Disting. mai. est relatio in ordine ontologico C.; debet cognosci ut relatio subd. in actu signato C.; in actu exercito N. Etiam contingens et necessarium sunt formaliter relativa et ab uno transeo ad aliud et non est necesse ut cognoscam ens necessarium ante cognitionem contingentis.

14. Inter causam et effectum debet dari proportio. Atqui inter imperium conscientiae, ignoto adhuc Deo praecipiente, et obligationem absolutam assertam in thesi non adest proportio. Ergo praeter dictamen conscientiae requiritur aliud, i. e. cognitio Dei praecipientis.

Resp. Conc. mai.

Disting. min. Si vox conscientiae nullo modo est vox Dei, quia non includit neque implicite Deum praecipientem C.; si includit illum saltem implicite N.

15. Ex dictis illa obligatio absoluta non potest adesse ante cognitionem ligantis saltem implicitam et confusam. Atqui de facto in tua sententia adest ante Deum ita cognitum. Ergo falsa est tua sententia.

Resp. Conc. et nego minorem.

Explicatio. In mea sententia in momento directo cognosco explicite imperfecte obligationem absolutam et simul implicite obligantem, qui saltem confuse attingitur ut supremus. Et postea ex cognitione illa imperfecta obligationis absolutae, quae continet implicite et confuse cognitionem legislatoris, arguendo et proinde mediate concludo explicite exsistentiam Dei legislatoris supremi et obligationis absolutae iam perfecte cognitae.

16. Nemo potest rationabiliter iudicare se esse moraliter obligatum si ignoret an sit aliquis sibi superior, qui obligationem imponat. Atqui in casu nostro unicus superior est Deus, cuius exsistentia adhuc ignoratur. Ergo ante obligationem debeo cognoscere exsistentiam Dei.

Respond. Disting. mai. si plane ignorat C.; secus N.

Contrd. min.

17. Irrationabiliter et stulte quis ageret si statim se crederet vere obligatum ignoto cuidam sibi obviam facto et aliquam obligationem intimanti nomine cuiusdam superioris, cuius ne quidem exsistentia cognoscitur. Ergo a pari irrationabile et stultum prorsus esset, si daretur in nobis tale dictamen rationis obligationem moralem imponens..., caece probare ac recipere et in virtute eius nos exsistimare obligatos.

Resp. Conc. antec. et nego consequens et paritatem.

Explicatio. In nostro casu necessitas seu obligatio est factum seu lex naturae moralis, quae necessitatem ab intrinseco manifestat impositam ab aliquo superiore extrinseco. Illa cog-

nitio obligationis absolutae adhuc imperfecta includit implicite et confuse cognitionem legislatoris et arguendo, non caece, pervenio ad cognitionem explicitam et perfectam legislatoris supremi et obligationis absolutae. Unde in casu nostro obligatio non intelligitur ut imperium voluntatis legislatoris voluntati humanae iam constitutae impositum. Sic ruit difficultas P. Billot.

18. Iuxta te illud factum obligationis, est lex naturae secus libertas maneret indeterminata quoad finem et media et esset inintelligibilis. Atqui sine obligatione seu sine subiectione libertatis legi obiectivae et necessariae, libertas non esset indeterminata et inintelligibilis. Ergo argumentum non probat.

Resp. Conc. maiorem et nego minorem.

19. Libertas sine obligatione morali absoluta, non haberet finem ultimum a quo dependeret essentialiter, sed haberet alios fines v. c. ut homo sit dominus sui et operum suorum, etc... Ergo non maneret indeterminata.

Resp. Conc. antecedens et nego consequens. Maneret indeterminata quia in illis casibus non daretur norma necessaria ad eligendum hoc vel illud in ordine morali.

20. Libertas sine obligatione morali esset indeterminata (indifferens active) subiective quia est libera, non vero esset indeterminata ideoque imperfecta obiective quia sufficienter allicitur a quovis bono et determinata erit quoad bonum qua tali seu a beatitudine in genere. Ergo non esset indeterminata sine obligatione morali.

Resp. Concedo primum membrum maioris et nego secundum.

Explicatio. Quoad bonum in genere seu quoad felicitatem in genere non datur libertas physica sed necessitas physica quoad exercitium et specificationem. Quoad bona particularia, ut via ad felicitatem, datur libertas physica: si non datur ulla norma necessitans moraliter, libertas maneret indeterminata vel tenderet indifferenter ad quodlibet obiectum, quod est contra principium finalitatis.

21. Sed si obligatio esset lex intrinseca naturae rationalis omnes homines et semper sentirent illam obligationem absolutam. Atqui hoc non accidit. Ergo non est lex intrinseca naturae rationalis.

Resp. Nego mai., multis enim de causis forsam non exerceatur.

«Si vero sensus illius regulae, ait Descoqs, pervertitur et voluntas assuevit negationi huius dictaminis, parvi refert, cum tum remaneat integrum ius ipsius naturae ad hanc regulam cognoscendam et obligatio eam amplectendi; sicut remanet ius rationis ad veritatem amplectendam etsi pessimis erroribus et praeiudiciis per hereditatem vel per educationem ipsa ratio offuscata fuerit» (52).

22. Argumentum nititur principio moralitatis «bonum faciendum malumque vitandum». Atqui ante probatam exsistentiam Dei illud principium non asserit obligationem moralem; sed dicit tantum bonum esse naturae conforme, appetibile, dignum quod appetatur, quod multum distat ab obligatione morali, quae est fundamentum argumenti deontologici. Ergo argumentum ex obligatione est nullum.

Resp. Conc. mai. et nego minor.

Explicatio. Ut diximus in argumento obligatio ad bonum est lex naturae «Ideo, ait Arnou, principium moralitatis, quo iubetur nihil esse faciendum nisi bonum, ad rationem practicam se habet, sicut principia prima demonstrationum ad rationem speculativam: est per se notum immediate evidens, primum in suo ordine. (Cfr. I-II, q. 94, a. 2 c.) Hoc principium exprimit non tantum aliquam convenientiam sed necessitatem. Etenim non dicit: «Est rationabile, vel decet, illud facere quod est naturae consentaneum», sed imperat modo categorico. Non tamen imperat quidquid est bonum esse necessario faciendum, sed quaedam esse necessario vel facienda vel omittenda, vi naturae suae et naturae nostrae» (53).

23. Cum homo adultus dubitat de exsistentia Dei habet iuxta omnes obligationem inquirendi. Atqui hoc accidit solummodo quia iam explicite cognoscit Deum. Ergo obligatio absoluta semper supponit cognitionem explicitam Dei.

Resp. Conc. maiorem et nego minorem.

(52) Descoqs, *Prael. Theol. Nat.*, 1, p. 474.
(53) Arnou, *Theol. Nat.* (1947), p. 115.

Explicatio 1.ª (54). Qui dubitat serio de exsistentia Dei et de legibus ab eo latls habet notionem saltem imperfectam de illis veritatibus. Post aliquod tempus, si non investigat illas veritates peccaret contra rationem et dum peccat contra rationem simul experiretur imperfecte adhuc ex voce conscientiae aliquam obligationem absolutam omittendi illam actionem et investigandi num sit Deus, num illa vox conscientiae sit vox Dei exsistentis. Si hoc renuat (cum statim videat, si Deus exsistit, colendum esse, praecipere observationem ordinis moralis, exigere obedientiam absolutam, vocem conscientiae forsam esse vocem Dei) sese exponit scienter et volenter periculo offendendi Deum, et sic acceptat offensam illius, si exsistit. Atqui exsistit re vera. Ergo peccat contra eum, illum offendit.

2.ª (55). Qui dubitat serio de exsistentia Dei habet iam notionem, saltem incompletam de Deo. Ontologice quidem obligatur secundum quid ex honestate; et absolute ex responsabilitate et obedientia ad investigandum: lex enim Dei est ut qui dubitat, investiget. Unde si non investigat ontologice certo peccat moraliter. Logice vero et psychologice adimpletio aut violatio obligationis servat proportionem cum cognitione exsistentiae Dei: si haec est certa et illa erit certa; si vero haec est dubia etiam illa dubia erit. Iam vero qui dubitat de exsistentia Dei non cognoscit certo hanc obligationem absolutam investigandi; ergo adhuc non obligatur certo, sed dubie tantum. Unde etiam post peccatum ontologice commissum nescit certo se peccavisse, sed solum dubitative. Manente vero dubio manet et cognoscitur possibilitas exsistentiae Dei et necessitas hypothetica illum venerandi ut summum bonum, si exsistit; ergo etiam periculum illum offendendi, si exsistit. Adhuc non est ulla obligatio certa actualis investigandi; tamen non potest omittere investigationem, nam necessitas illa hypothetica et periculum hypotheticum in ordine abstracto, necessitatem absolutam et categoricam in ordine concreto gignunt et voluntas conditionata acceptandi offensionem Dei, si exsistat, transit in absolutam; et quia revera exsistit, ideo Deus revera offenditur et recte poena iusta puniet.

Neque principium probabilismi in casu applicari potest «lex dubia non obligat» nam non agitur de licito vel illicito, sed de fine necessario obtinendo.

Unde exsistentia Dei probabilis, eius voluntas praecipiens probabilis se imponit voluntati meae ut necessario sequenda et periculum solum probabile mei ultimi finis nullatenus contemnendum.

Sed in hac explicatione, ut manifestum est, cognitio exsistentiae Dei est probabilis; inde fundamentum obligationis probabile tantum, ergo etiam ipsa obligatio investigandi probabilis etiam est. Iam vero transitus ab obligatione hypothetica ad categoricam in casu admitti non potest, nam ad cognitionem obligationis categoricae in hac sententia requiritur cognitio explicita et certa fundamenti eius seu Dei. Ubi non cognoscitur obligatio categorica investigandi neque periculum offendendi Deum cognoscitur.

---

(54) Descoqs, *Prael. Theol. Nat.*, 1, p. 496; Mz. del Campo, *Theol. Nat.*, p. 222.
(55) Nivard, *Ethica*, p. 127; Hellín, *Theol. Nat.*, p. 253.

## ARTICULUS III

### Argumentum ethnologicum

**THESIS 12. Deum exsistere tamquam numem supremum, hominum consensu moraliter universali probatur.**

351. **Bibliographia.**—Descoqs, *Prael. Theol. Nat.*, 1, p. 158-216.—Urraburu, *Theod.*, 1, p. 143.—Donat, *Theod.*, n. 103.—Hontheim, *Institul. Theod.*, p. 227.—Schaaf, *Theol. Nat.*, p. 174.—Loinaz, *Prael. e Theol. Nat.*, p. 77.—Brosnan, *Theol. Nal.*, p. 70.—Sertillanges, *Las fuentes...*, p. 15-27.—Garrigou-Lagrange, DAFC, col. 1.075.—Tacchi Venturi, *Historia de las religiones*, trad. esp. (Barcelona, 1947).—W. Schmidt, *Manual de Historia comparada de las religiones*, trad. esp. (Madrid, 1941).—Pinard de la Billaye, *L'élude comparée des religions* (1922).—Mz. del Campo, *Theol. Nat.*, p. 116 ss.; 227-244.—Hellín, *Theol. Nat.*, p. 214.—Gisquière, *Prael. Theod.*, 1, p. 281.—Chossat, *Dieu:* DTC, col. 937.

352. **NEXUS.** In praecedentibus egimus de viis, quibus homines per propriam activitatem ad Deum pervenire possint; nunc venit consideranda via testimonii dogmatici aliorum.

### 353. NOTIONES.

Deus intelligitur hic: «Numen supremum, a quo mundus pendet, mente et voluntate praeditum, cultu et veneratione dignum.»

354. Testis: *In genere* est ille, qui alteri suam cognitionem ut veram manifestat. *Immediatus* est ille, qui, quod testatur, propria cognitione percepit. *Mediatus* est ille, qui, quod testatur, ab alio accepit.

*Auctoritas* testis est qualitas testis nobis de testimonio persuadens; seu idoneitas testis ad fidem faciendam.

Auctoritas testis exsurgit ex scientia seu veritate logica et veracitate seu veritate morali.

355. *Fides* est assensus mentis praestitus propter auctoritatem testantis.

*Obiectum materiale* fidei est illud, quod creditur.

*Obiectum formale* fidei seu motivum fidei est auctoritas propter quam creditur.

Itaque fides a scientia differt: in scientia enim (quatenus fidei opponitur) veritas propria cognitione absque testimonio aliorum cognoscitur.

**356.** TESTIMONIUM: *subiective* est actus quo testis rem alteri refert.
*Obiective* est res relata.

DIVISIONES: a) *Ratione testantis:* divinum et humanum; b) *ratione medii:* orale, si ore fit; scriptum vero si scriptis fiat; c) *ratione obiecti:* historicum est illud, cuius obiectum est factum aliquod singulare. Dogmaticum seu doctrinale est illud cuius obiectum est doctrina aliqua.

*Testimonium dogmaticum peritorum* seu consensus illorum in asserenda aliqua doctrina, praesertim si omnes vel plurimi consentiunt, plerumque probabilitatem, aliquando vero certitudinem gignere potest, cum nullum dubium remanet.

*Testimonium dogmaticum generis humani* seu consensus communis est persuasio vel concordia vel iudicium firmum generis humani in asserenda aliqua doctrina.

**357.** CONSENSUS COMMUNIS: *a)* Physice: si omnes gentes habent illud iudicium firmum. *b)* Moraliter: si maxima pars hominum.

*Sensus communis* intelligitur ipsa ratio vel intellectus in quantum enuntiat iudicia necessaria et universalia propter eorumdem evidentiam sive mediatam sive immediatam. Seu est ipse intellectus quatenus in cunctis hominibus ad illa iudicia cum certitudine naturali tenenda natura sua inclinatur.

*Iudicia sensus communis* naturae dicuntur illa, quae sunt universalia, constantia et fundamentalia vitae physicae et praecipue intellectualis, moralis et socialis, quaeque progressu scientiarum non solum non obscurantur, sed clarescunt et magis confirmantur. Sic bonum faciendum, malum vitandum, parentes honorandi sunt et alia...

Haec autem iudicia sunt infallibilia quia secus natura rationalis esset male constituta, si posset errare in his quae sunt ipsi necessaria .Iam si aliae res in proprium bonum et finem naturaliter feruntur, homo ceteris superior, in suum praecise malum (error malus est) natura non vehitur.

N. B. Non dicitur quod error refunderetur in Deum, quia esset petitio principii, nescimus enim adhuc utrum exsistat Deus necne.

## 358. STATUS QUAESTIONIS.

1) QUAERIMUS num exsistentiam Dei possint homines ut certam admittere a nudo testimonio propter auctoritatem testis.

2) SUPPONIMUS testimonium dogmaticum saltem in aliquibus casibus posse praestare certitudinem, cum nempe testes sint multi, testimonium non versetur circa notiones per se obscuras, sed circa communes ubi per se non adest ratio diffidentiae.

3) EST ARGUMENTUM NOVUM, distinctum a praecedentibus. Non enim nititur rationibus, quas testis doctrinalis affert, sed ipsa eius testificatione, quod nempe testis rem veram habeat veramque esse testetur.

4) Tamen quamvis sit argumentum novum distinctum a praecedentibus, *non* potest esse *absolute primum.*

Nam homines assentiuntur huic veritati vi rationum, proinde supponit sagatiores homines vi argumentorum sibi persuasisse de exsistentia Dei et ab his hanc cognitionem alios accepisse auctoritate eorum inductos. Sic efformatur consensus communis iam habens propriam vim ex novo motivo auctoritatis testimonii generalis vi cuius exigit ut qui talem auctoritatem noverit propter ipsam ut primum motivum rei relatae assentiatur.

5) Est etiam egregie CONFIRMATIVUM argumentorum praecedentium si attenditur ad rationes propter quas homines communiter Deum admittunt.

Nam ubique uno vel alio modo maiori minorive claritate exhibetur Deus sub conceptibus entis supremi, auctoris mundi, supremi ordinatoris. Hoc autem signum est omnes homines admittere (sive ut per se ipsos acquisita sive accepta ab aliis vi rationum, quas afferunt) argumenta causalitatis, contingentiae, ordinis, etc...

6) Supponimus notionem Dei vulgarem inveniri apud omnes et probabimus ex consensu moraliter universali talem conceptum vulgarem esse realem seu exsistere Deum a parte rei.

7) Vis argumenti stat in hoc quod declaretur hanc persuasionem seu iudicium firmum de exsistentia Dei non posse provenire ex aliquo diversorum fontium erroris, sed ab intellectu solo ad verum ordinato.

Iam intellectus sibi relictus et non ab extrinseco in errorem inductus nequit errorem amplecti ut verum. Ergo illud iudicium firmum omnium hominum de exsistentia Dei est verum; fundatur enim in evidentia (mediata) obiectiva rei et pertinet ad iudicia sensus communis, quae nempe intellectus quasi spontanee et natura duce profert.

## 359. SENTENTIAE.

*1.ª sententia* approbat argumentum ethnologicum (a verbo ἔθνος, gens) quia datur consensus moraliter universalis circa exsistentiam Dei; et tale factum unice explicari potest ex obiectivitate Dei, nempe quia Deus exsistit. Sic inter alios Boedder, Brosnan, Boyer, Hontheim, Chossat, Kleutgen, Schiffini, Monaco, Pesch, Schaaf, Urraburu, Loinaz, Mz. del Campo...

*2.ª sententia* negat argumentum: explicat enim factum consensus per evolutionem sive ex subiectiva tendentia anthropomorphica (psychologismus) sive ex subiectivo influxu exercito a societate in individua (sociologismus). Unde debetur factum consensus somniis, superstitionibus, sacerdotum fraudi, metui, ignorantiae causarum naturalium, magiae... Sic Fontanelle, Vacherot, Spencer, Lang; Comte, Durkeheim, Levy-Bruhl...

*3.ª sententia* admittit hoc argumentum ut minus validum, probabile, utile ut animus excitetur ad alia argumenta examinanda; ut confirmativum argumentorum praecedentium. Movent enim difficultates contra ipsum factum consensus et contra eius explicationem. Nam quamvis exsistentia Dei possit esse optima explicatio, sed non est unica; posset enim procedere a diversis causis

subiectivis ita ut omnes simul explicent consensum. Sic DESCOQS, BILLOT, BUONPENSIÈRE, GARRIGOU-LAGRANGE, MERCIER, SERTILLANGES, VAN DER MEERSCH, HELLÍN...

**CENSURA.** Communior et probabilior.

### 360. PROBATUR.

Exsistit consensus moraliter universalis de exsistentia Dei, seu genus humanum constanti iudicio iudicavit exsistere Deum. Atqui talis consensus seu iudicium est effectus, cuius causa nequit esse unus ex fontibus ex quibus errores oriri solent, sed unice procedere potest ab intellectu ad verum ordinato ac proinde verum esse debet. Ergo ex consensu moraliter universali demonstratur Deum exsistere.

*Maior.* Ex recentioribus inquisitionibus, praesertim ex studio sive historiae comparatae religionum, sive ethnologiae religiosae, ita confirmata est haec universalitas moraliter spectata ut iam in dubium revocari non possit.

Statistica religionum facta a P. KROSE, S. I. (1938): Incolae terrae: 2.108.110.000; ex quibus sunt certo theistae 1.106.510.000; dubie theistae 946.600.000; athei sine religione sunt 55.000.000 (56).

*Minor.* Causa talis consensus est intellectus ad verum ordinatus.

a) *Non est influxus voluntatis:* Nam voluntas ad malum inclinata potius deberet intellectum movere ad negandam legem moralem utpote molestam et ad negandum cum lege morali etiam ipsum Deum. Deinde non est eadem dispositio voluntatis apud omnes homines.

b) *Non sensus externi,* nam Deus non pertinet ad obiecta sensuum externorum.

c) *Non phantasia* sibi fingens Deos in somno et excitatione et terrore; lusus phantasiae inconstans est et modo ad hoc modo ad illud, modo ad contraria impellit; iudicium vero de exsistentia Dei est constans et firmum et apud doctos et sobrios homines per lusum phantasiae non explicatur.

d) *Non ex metu malorum* physicorum (tonitrua, fulmina, morbi...) quibus perterriti homines sibi finxissent hostem superiorem. Nam etiam boni et impavidi hanc persuasionem habent et insuper Deus etiam colitur ut bonus provisor et benignus pater. Praeterea Ens illud supremum, quod ab hominibus timetur velut causa malorum eventuum, vel est vera realisque causa eorumdem vel non. Si est nec vanus nec falsus est ille timor. Si non est, cur cognitis per scientiam causis proximis et immediatis illorum eventuum, adhuc perduravit persuasio exsistentiae divinae?

e) *Non ex ignorantia* causarum naturalium unde profluant effectus, quos in mundo videmus; nam error potest forte esse in eo quod plures effectus immediate soli Deo attribuuntur (tonitrua, terremotus...); sed supponi nequit esse errorem, ordinem mundi et productionem ipsius materiae enti intelligenti attribuere, quippe cum haec explicatio mundi ut unice sufficiens probetur. Praeterea persuasio exsistentiae divinae magis firmata est cum penitiori notitia causarum naturalium et viget in sapientibus non minus quam in rudibus.

f) *Non ex deceptione hominum* praesertim legislatorum et sacerdotum: nam ante ordinatas legislationes et institutionem diversorum cultuum iam adest haec persuasio; item eidem fraudi non succumbunt omnes homines, maxime si agitur de aliqua re cupiditatibus et commoditati vitae adversa.

---

(56) MZ. DEL CAMPO, *Theol. Nat.* (1946), p. 238.

g) *Non ex educatione.* Talis educatio supponeret in educatore iam ideam Dei. Undenam enim primi parentes illam sententiam tum habebant? Insuper non eadem est ubique educatio, consensus vero est constans et universalis et praeiudicia educatione communicata postea facile deponuntur. Ergo iudicium seu consensus circa exsistentiam Dei procedere debet ab intellectu solo ad verum ordinato et proinde verum est; ratio enim talis persuasionis universalis tantum potest esse veritas certo cognita.

## 361. OBIECTIONES.

1. Conclusiones scientiae ethnologicae ubi de primitivis gentibus agitur non semper sunt firmae, fundatae in inquisitionibus sat amplis. Ergo non facile certo constat hunc consensum universalem semper exstitisse.

Resp. Nego antec. Hodie iam non dubitatur de hac re ita ut affirmari possit consensus moraliter universalis.

2. Caremus testimoniis circa universalitatem in mundo non cognito pro temporibus antiquis v. c. in America, Iaponiis, Sinensibus, Polynesia, Australia, etc... Ergo non constat consensum in omni tempore fuisse universalem.

Resp. Circa consensum moralem non est cur dubitemus.

3. Datur absentia probabilis cuiuslibet religionis verae v. c. in aliquibus tribubus, quae totemismum observabant. Ergo apud eas fides in verum Deum iam difficilius admitti potest.

Resp. Illa probabilitas non infirmat consensum moraliter universalem.

4. Dantur multi athei v. c. pantheistae, materialistae, etc... Ergo consensus circa exsistentiam Dei non est universalis.

Resp. dist. ant. dantur multi athei practici, qui vel ore tantum negant Deum vel vivunt quasi Deus non esset C.; speculativi ac veri athei Subd.; qui errant vel male sentiunt de natura Dei C.; qui nullum prorsus admittunt Deum, seu ens supremum, mundi auctorem et gubernatorem Subd. et hi sunt absolute multi Tr. relative seu relate ad consensum moraliter universalem N.

5. Budhistae sunt athei. Atqui budhistarum maximus est numerus. Ergo athei sunt etiam relative multi (300 vel 400 milliones).

Resp. Budhistae philosophi sunt athei Tr. vulgus budhistarum N.; nam colit multos deos inter quos Budham. Idem dic de brahmanistis.

6. Votum unius sapientis valet plus quam vota omnium rudium. Atqui plures obstant sapientes. Ergo consensus non est universalis.

Resp. dist. mai. Si est vere sapiens et sincerus Tr. si regitur in aliqua re praeiudiciis sub invocato titulo scientiae N.; hoc accidit saepe quoad exsistentiam Dei.

7. Inter fetichistas, animistas, shintoistas, polytheistas praesertim graecos et romanos, plures dii admittebantur; dii autem eorum nec erant sancti, nec potentes sine restrictione, nec summi supra omne aliud ens, sed cum magnis dependentiis ab aliis diis vel a fato. Atqui illos deos agnoscere perinde est ac nullum agnoscere. Ergo consensus circa Dei exsistentiam non est unus.

Resp. dist. maiorem. Polyteistae admittunt multos deos, sed unum regem et parentem omnium inter ceteros minores iudicabant, unde error erat circa quaestionem quid sit Deus C.; aliter ita ut error sit circa quaestionem an sit Deus N.

Cont. minorem: a parte rei ac logice procedendo C.; in opinione hominum N.

8. Consensus ille est factum liberum, unde potuit deberi multis et variatis causis ita ut in hoc loco debeatur alii causae, in alio alii. Ergo ex consensu illo non deducitur Deus.

Resp. Nego antec.; reiectae enim sunt in probatione omnes causae erroris. Unde non solum effectus constans et universalis ordinis physici requirit ut rationem sufficientem ipsam naturam rei, sed aliquando etiam effectus ordinis intentionalis ut accidit in nostro casu, qui non potest procedere a diversis causis subiectivis, ita ut collective sumptae explicent universalitatem consensus.

9. Factum religiosum non inepte explicari posse videtur ex educatione. De facto ita est quod omnes eam religionem tenent quae ipsis traditur. Respectu vero illorum, qui primo hanc

persuasionem induxerunt, qui proinde eam per doctrinam accipere non potucrunt, asscrentis est probare eos mala fide intuitu alicuius commodi non egisse aut saltem non erravisse; quod si fecerit illa probatio erit argumentum pro exsistentia Dei et non consensus generis humani.

*Resp.* 1) Praeiudicia hereditaria corrigi possunt; nonnulla de facto aut disparuere, aut reformationem passa sunt.

2) Error facile deprehensus esset tempore labente.

3) Unde consensus generis humani erit argumentum pro exsistentia Dei.

10. Consensus ille explicari poterit ex lege humana atheos dure puniente. Ergo illud iudicium non procedit ab intellectu solo.

Resp. Nego suppositum historicum; tales enim leges raro extiterunt.

11. Consensus fuit etiam de motu solis, terra quiescente; de sinistro eclipsium praesagio aut cometarum, de concavitate caelorum; de pugnantia antipodarum. Atqui singula falsa sunt deprehensa.

Ergo idem de consensu in Deum suspicari licebit.

Resp. Dist. maiorem. Et ille consensus debitis ornabatur conditionibus. N. aliter C.

Explicatio. Memorata iudicia nitebantur in nescientia physicae, cum indubiis principiis collidebant, nec dictabant dictamina vitalia in moribus, quae ab ipsis iudiciis penderent, nec oriebantur e fundo naturae rationalis, hinc scientia veniente evanuerunt.

12. Parvo tempore, reliquerunt fidem in Rusia multi milliones.

Ergo non satis constat num vigebit apud omnes agnitio Dei.

Resp. Nego antecedens; iuxta peritos in hac re numerus illorum qui fidem reliquerunt non attingit quattuor milliones; populus rusus est maxime religiosus. Unde exiguus numerus relate ad integrum populum (175 milliones) non obstante terrore incusso a Gubernio.

Quid porro in posterum futurum sit, ex praeteritis temporibus iudicari potest cum tam facile sit homini ex naturae contemplatione ad mundi auctorem assurgere.

13. Mens quatenus agit secundum naturam, i. e. quando iudicat propter evidentiam obiectivam est infallibilis. Atqui ubi habetur consensus universalis non potest dici mentem iudicare sub lumine evidentiae obiectivae. Ergo consensus ille non est infallibilis.

Resp. Conc. maiorem.

Dist. minorem. Ubi habetur consensus... non potest dici... semper et a priori C.; non potest dici hoc a posteriori Subd. semper C.; nec aliquando N.

14. In casu nostro non probatur directe motiva obiective evidentia data esse. Ergo tantum contendere potest haec motiva evidentia universalia debuisse dari eo quod sola ratio sufficiens persuasionis universalis possit esse evidentia universalis obiectiva.

Resp. Concedo antec. Evidentia in casu non est immediata, sed mediata; unde mediate probatur data esse motiva evidentia universalia, secus intellectus non assentiretur.

Nego consequens.

# CAPUT VII

## De Atheismo

**THESIS 13. Atheismus speculativus per se et diu est impossibilis, per accidens autem etiam diu est possibilis.**

362. **Bibliographia.**-Descoqs, *Prael. Theol. Nal.*, 2, p. 442-525.-Piccirelli, *De Deo*, p. 101-112.-Baunard, *Le doute el ses viclimes dans le siècle présenl* (Paris, 1909).—Capéran, *Le probléme du salul des infidéles* (Paris, 1912).—Hontheim, *Inst. Theod.*, n. 610.—Urraburu, *Theod.*, 1, p. 181-190.—D'Ales, *Salul des infidéles:* DAFC, col. 1.156-1.182.—Harent, *Infidèles* (salut des): DTC, col. 1.726-1.930.—Chossat, *Dieu:* DTC, col. 874-923; idem, *Agnosticisme:* DAFC, col. 11 ss.—Moisant, *Alhéisme:* DAFC.—Billot, *La providence de Dieu...:* div. art. Et (1920-1924).—Hugon, O. P., *La providence de Dieu et la salul des infidéles:* RevThom. (1923), 43-73.—A. Brémond, *La querelle del'athéisme:* ArchPh, 8 (1930), cah. 3, p. 412-454.—Claeys-Bouüaert, *Tous les alhées sont-ils coupables?* NeuvRevTh (1931), p. 169-185.—Garrigou-Lagrange, *Dieu*, p. 31-33.—Romeyer, *Theod.*, p. 247-251; art. *Athéisme:* DPCR.—Rast, *Theol. Nat.*, p. 93.—Kleutgen, *De ipso Deo*, n. 180-186.—Lennerz, *De Deo uno* (1948), p. 150-169.—Mz. del Campo, *Theol. Nal.* (1946), p. 209-226.—Donat, *Theod.*, n. 122.—Hellín, *Theol. Nat.*, p. 268.—Gisquière, *Prael. Theod.*, 1, p. 19 ss.

363. **NEXUS.** Egimus in praecedentibus de exsistentia Dei et iam vidimus facilitatem qua homo potest pervenire ad notionem et certitudinem de Deo. Hinc oritur problema: estne possibilis atheismus? Et si possibilis inveniatur, estne semper culpabilis?

### 364. NOTIONES.

ATHEUS a) *Vi nominis* significat sine Deo.

b) *Realiter* est ille qui Deum non agnoscit, sive quia eum plane ignorat; sive quia eum negat, sive quia dubitat, sive quia non curat.

Potest esse speculativus et practicus.

*Practicus* est ille qui admittens exsistentiam Dei theoretice seu in mente et iudicio, non agnoscit Deum in modo agendi. Ita vivit ac si Deus non esset.

*Speculativus* seu theoreticus est ille qui mente et iudicio Deum seu ipsam exsistentiam Dei non agnoscit.

Atheismus speculativus potest esse systematicus et psychologicus.

*Ath. systematicus* est aliquod systema scientificum negans aliquo modo Deum.

*Ath. psychologicus* est status illorum qui Deum non agnoscunt; athei huius generis negativi et positivi possunt esse.

*Atheus negativus* est vel ille qui Deum penitus ignorat; inde nec ullam ideam

de Deo habet nec ullum iudicium emissit de eius exsistentia. Vel ille, qui etsi audierit nomen Dei eiusque ideam acceperit, nondum potuit ferre iudicium deliberatum et conscium de Deo.

*A. s. positivus* est ille qui Deum non ignorat, sed habet ideam et iudicium de exsistentia Dei. Sed habita notione seu idea:

*Scepticus* de eius exsistentia dubitat, quia nondum satis probata est.

*Agnosticus* asserit exsistentiam Dei non posse probari; unde quaestio est insolubilis. *Criticus* reicit argumenta in usu pro exsistentia Dei, quin tamen positive neget exsistentiam Dei. *Dogmaticus* positive et reflexe negat Deum exsistere. Hi sunt certi de non exsistentia Dei et sunt athei stricto sensu.

**365.** IGNORANTIA est carentia scientiae.

*I. negativa* est carentia scientiae in subiecto non apto v. c. in infimo ignorantia philosophiae. *I. privativa* est carentia scientiae in subiecto apto v. c. in philosopho ignorantia philosophiae.

*I. positiva* est carentia scientiae cum errore aut dubio positivo coniuncta Error est iudicium positivum contrarium veritati.

*I. vincibilis* est illa quae deponi potest adhibita diligentia quae par est. *I. invincibilis* est illa quae deponi non potest.

*I. v. culpabilis* est illa quae versatur circa rem quae debet sciri et sciendi advertitur obligatio. *I. v. inculpabilis:* si versatur circa rem quae debet sciri, sed non advertitur obligatio sciendi.

*I. completa*, si nulla, neque confusa idea illius veritatis habetur.

*I. incompleta* si habetur aliqua idea confusa.

**366.** PER SE i. e. in conditionibus naturae humanae communiter contingentibus quando suo modo normali agendi utitur: iuxta circumstantias normales in quibus iam ab infantia homines a parentibus, magistris et ab aliis de exsistentia Dei et de eius natura audiunt; iuxta indolem curiosam hominis quaerendi causas rerum et praesertim ultimam; et iuxta indolem viarum perveniendi ad Deum, quae sunt faciles; et iuxta ordinem dispositum a providentia divina, quae vult omnes statim tendere ad Deum, suum finem iuxta norman generalem ita ut hic finis facile obtineri posset ab hominibus, si vellent.

PER ACCIDENS i. e. non secundum communiter contingentia et naturam normalem, sed: titulo exceptionis, in adiunctis anormalibus impedientibus naturalem evolutionem mentis humanae et ordinem dispositum a providentia divina ut esset nimia miseria, depravata educatio ab infantia, medium sociale et oeconomicum in quo homo non posset adquirere maiorem culturam quam acceptam ab aliis.

**367.** DIU: per plures annos aut per totam vitam.

BREVITER: per aliquod tempus in quo non occurrat occassio gravis tentationis aut gravis conflictus moralis.

RARO: titulo exceptionis, in paucis hominibus ita ut numquam sit insignis pars humanitatis.

FREQUENTER: in pluribus hominibus, ita ut sit pars insignis humanitatis.

N. B. Ut athei habentur: Materialistae, panentheistae stricte tales, pantheistae, positivistae radicales, agnostici puri, omnes respuentes mataphysicam negant explicite Deum vel ens absolutum a mundo distinctum. Etiam sunt athei qui admittunt plures deos aequales identificatos cum herois, brutis, plantis, lapidibus. Etiam illi qui admittunt vagum sensum religiositatis.

Ut theistae habentur: omnes illi qui agnoscant ens distinctum a mundo, quod sit vel causa efficiens eius, vel auctor ordinis moralis, vel finis ultimus hominis. Proinde etiam polytheistae qui numen supremum agnoscant; pantheistae qui indicant ens supremum, a quo mundus emanet, ab eo distinctus et dependens; illi qui carent certitudine reflexa circa exsistentiam Dei; qui non habent ideam distinctam Dei qualem habent boni christiani, dummodo claram habeant.

**368. Assertum primum: Atheismus theoreticus negativus per se et diu non est possibilis; per accidens autem est possibilis etiam diu, sed raro et semper est inculpabilis.**

Tres partes distingui possunt:

*Prima pars* asserit atheum theoreticum negativum per se et diu esse impossibilem.

*Secunda pars* affirmat atheismum theoricum negativum per accidens dari posse etiam diu, sed raro.

*In tertia parte* dicitur semper esse inculpabilem.

1. *Quaestio* est de atheismo psychologico.

2. *Agitur de homine adulto*, qui iam usu rationis fruitur et vitam rationalem gerere potest. Excluduntur igitur amentes et semifatui.

3. Agimus de cognitione spontanea, clara et saltem confusa Dei etiam si sit immixta multis erroribus.

4. Quia vero quaestio ponitur unice inter theistas, licet in inquisitione supponere exsistentiam Dei et eius attributa ut est providentia.

**369. SENTENTIAE.**

Sublata possibilitate peccati philosophici, omnes scholastici tenent neminem posse graviter offendere maiestatem divinam si Dei exsistentiam vel explicite vel saltem implicite non cognoscat.

Item omnes scholastici et catholici tenent atheismum omnem esse impossibilem ad longum tempus *per se*, i. e. secundum communiter contingentia et naturam normalem. Unde omnes tenent adultum, qui ad usum rationis intellectualem et physicum normalem pervenerit, non posse perdurare per se per longum tempus in ignorantia totali et invincibili exsistentiae Dei sive propter facilia argumenta, quae ei praesto erunt sive propter intentionem providentiae, quae vult omnes statim tendere ad Deum suum finem iuxta normam generalem.

**370.** Age vero circa atheismum negativum per accidens:

*Prima sententia* rigidior et communior tenet atheismum negativum per se et diu dari non posse; sed solummodo esse possibilem per accidens brevi tempore (numquam usque ad mortem) et raro.

Unde non possunt dari homines qui Deum et vitam moralem totaliter et invincibiliter ignorent nisi brevi tempore et raro. Sic Gonet, Tongiorgi, Urraburu, Romeyer, Garrigou-Lagrange, Lennerz, Lercher, Chossat...

Rationes: Ex eo quod peccatum philosophicum sit impossibile.

Ex cognitione implicita Dei sub ratione finis ultimi honesti, quam quisque etiam rudes et

barbarus, ad opus morale patrandum necessario habere debet. Unde in facto obligationis absolutae v. c. illius operis moralis, quae conscientia morali innotescit, Deum implicite cognoscit sub ratione supremi legislatoris.

Ex bonitate et sapientia divina, qua Deus ipsi debet ut reddat facilem suis creaturis cognitionem causae primae et finis ultimi.

**371.** *Secunda sententia* benignior tenet atheismum negativum per se diu dari non posse, sed esse possibilem per accidens (titulo exceptionis) etiam diu i. e. per tempus plus minusve longum, sed raro.

Unde possunt inveniri homines adulti aetatis, attamen simpliciter irresponsabiles, qui vel per longam vitam vel etiam per totam vitam usum rationis numquam adipiscantur ut actum moralem ponant et Deum agnoscant. Qui ideo ad modum infantium ratione privatorum moraliter se habeant. Haec exceptio in rebus moralibus semper locum habere potest quin lex generalis tollatur. Deus autem providebit in fine illius temporis vel vitae eorum per sua auxilia, per miraculum aut per illuminationem internam ut possint habere fidem et salvari. Sic CAIETANUS, MOLINA, ARRIAGA, VITORIA, LANGE, DESCOQS, HELLÍN, RAST... et alii et nos cum illis.

**372.** *Tertia sententia*, benigna recens tenet atheismum negativum per se et diu dari non posse, sed esse possibilem per accidens diu et frequenter.

Unde possunt inveniri multi homines adulti aetatis, qui usum rationis in vita intellectuali et practicam habent, et tamen non sint adulti rationis in re morali, qui nempe usum rationis sufficienter evolutum in re morali habeant et inde per totam vitam Deum invencibiliter ignorent et aequiparandi sint quoad aetatem moralem infantulis, qui de facto moralitatem ignorant, licet forsam sint maxime exculti quoad civilizationem. Inde in fine vitae Deus non illuminabit illos ut possint habere fidem et salvari, sed omnes in limbum pergent. Sic Billot (qui extendit pestem atheismi non sine magna exaggeratione ad massam generis humani in antiquitate pagana propter praeiudicium vi cuius ex obligatione ad Deum ascendere non possumus) et alii auctores ut CLAUDIUS SEYSELL, FELIX LENOIR, ALBERTUS A BULSANO...

**373.** *Quarta sententia* est P. CLAEYS-BOUÜAERT, S. J., in *Nouvelle Revue Theologie*, 1921. Hic auctor distinguit duas classes atheorum negativorum et existimat dari posse, immo de facto dari, atheos utriusque speciei, qui Deum invincibiliter ignorent.

1. *Primum genus* datur atheorum irresponsabilium, qui nati et educati in medio sociali adverso, sint adulti aetatis non vero adulti moraliter, quippe qui non percipiunt notionem obligationis moralis. Possunt dari in magnis turmis, sed numero soli Deo cognito. Ante mortem Deus se illis ostendet.

2. *Secundum genus* datur atheorum apparentium, qui in confuso percipiunt Deum et obligationem; sed illud, quod ipsi apprehendunt et ab aliis praesentatur tamquam idea Dei, est pro ipsis aliquid inintelligibile; inde credunt in Deum (quasi inconscienter) sed iudicant se esse atheos. Est casus rarus, sed non videtur impossibilis. Quoad numerum et durationem uti praecedentes.

**374. 1.ª pars.** ATHEISMUS THEORETICUS NEGATIVUS PER SE ET DIU EST IMPOSSIBILIS.

**CENSURA.** Certa.

**PROBATUR.** Atheismus theoreticus negativus per se et diu est status illius, qui Deum penitus ignorat, seu qui habet ignorantiam completam exsis-

tentiae Dei in conditionibus naturae humanae communiter contingentibus ad longum tempus. Atqui hic status per se ad longum tempus, est impossibilis. Ergo atheismus theoreticus negativus per se et diu est impossibilis.

*Maior.* Est definitio atheismi theoretici negativi per se et diu.

*Minor.* In adiunctis normalibus, cum homo in societate vivat, facile potest adquirere ideam Dei ab aliis; et haec est via ordinaria pro cognitione vulgari Dei;

—facile etiam ex se ipso potest adquirere ideam boni et mali, causae et effectus; et facile ratiocinio ex contingentibus, ex finalitate, ex desiderio beatitudinis, ex obligatione... devenire in cognitionem Dei;

—repugnat providentiae divinae, supposita exsistentia Dei, ut homo in adiunctis normalibus careat cognitione rei necessariae ad suum finem obtinendum. Iam vero homo sine notitia Dei et vita morali non potest consequi meritis propriis suum finem.

375. **2.ª pars.** ATHEISMUS THEORETICUS NEGATIVUS EST POSSIBILIS PER ACCIDENS ETIAM DIU, SED RARO.

**CENSURA.** Probabilior.

**PROBATUR.** Possunt dari causae inductae ab hominibus contra inclinationem naturae et contra providentiam divinam, quae impediant naturalem et plenam evolutionem facultatum intellectus et voluntatis in ordine intellectuali morali. Atqui hoc factum facit possibilem atheismum theoreticum negativum. Ergo atheismus theoreticus negativus possibilis est.

*Maior. A priori:* Non est impossibilis quoad homines educatio plane atheistica, implicatio completa et continua negotiis, vita plena miseriis et indigentiis... quae omnia possunt impedire naturalem illam evolutionem intellectus et voluntatis in ordine intellectuali morali. Et gratis asseritur hoc repugnare providentiae divinae si solum est per modum exceptionis.

*A posteriori:* Non desunt malae educationis exempla, quae afferuntur sive a viatoribus, qui iter faciunt apud gentes barbaras in infimo statu evolutionis mentalis; sive a missionariis apud infideles, sed fortasse magis apud gentes civilizatas, quae nunc peste laicitatis vel potius atheismi laborant et pereunt ut sunt Gallia et Rusia. Atqui his exemplis apparet dari homines adultos qui numquam de Deo audierint et per longum tempus quaestionem de actore mundi vel de supremo legislatore morali sibi non posuerunt. Ergo atheismus negativus potest dari per accidens et diu.

«De cetero, ait Descoqs, non nimis urgenda est universalitas illius atheismi etiam apud nostras gentes, cum primo secreta cordium non plerumque lateant, cum praeterea apud gentes idolatricas non constet ignorantia totalis Dei et eorum quae ad vitam moralem sunt necessaria, cum praesertim casus amoralitatis absolutae in quibus nulla appareat conscientia obligationis videantur esse rari et exceptiones omnino abnormales.»

«Porro, ut diximus (2, p. 468), in hac conscientia obligationis habetur cognitio Dei implicita, quae sit vera... et ad responsabilitatem fundandam satis est. Unde fit ut numerus atheorum

negativorum proprie dictorum, qui nullam habeant notionem vitae propriae moralis ideoque exsistentiae Dei saltem confuse perceptae valde minuatur.» (2, p. 474.)

*Diu:* illae circumstantiae possunt dari diu i. e. per longum tempus aut per totam vitam ut accidere videtur apud Tupinambos in Brasilia et Mondiembos in Africa Centrali.

*Raro accidet:* Nam est contra Providentiam divinam ut multi vel plerique homines careant mediis necessariis ad suum finem ultimum obtinendum propriis meritis. Atqui medium necessarium in casu nostro est cognitio Dei. Ergo homines frequenter non possunt carere cognitione Dei.

**376. 3.ª pars.** Atheismus negativus semper est inculpabilis.

Atheismus mere negativus est status illius, qui Deum et legem eius penitus ignorat, quia eius cogitatio vel suspicio aestimanda non occurrit. Atqui qui Deum et legem eius penitus ignorat eo quod cogitatio vel suspicio eius exsistentiae non occurrit, non est capax culpae. Ergo atheismus mere negativus est inculpabilis semper.

N. B. Si vero inciperet esse culpabilis iam disineret esse atheismus mere negativus et transiret in dubitativum, etc...

**377. Assertum secundum. Atheismus positivus dogmaticus possibilis est non per se, sed per accidens et diu. Per se autem semper est culpabilis initio et in perseverantia. Potest tamen accidere ut culpabilis per se in initio, in perseverantia usque ad mortem sit sincerus et inculpabilis actualiter, licet sit semper per se culpabilis in causa.**

**Nexus.** Egimus in praecedentibus de atheismo negativo; nunc de positivo agendum est.

## SENTENTIAE.

**378.** *1.ª sententia* rigidior tenet atheismum positivum dogmaticum esse psychologice impossibilem et eos, qui dicunt se certos esse de non exsistentia Dei accusat de mala fide ac si in suis confessionibus mentirentur. Sic Tongiorgi et alii; insuper Leibnitz, La Bruyère...

**379.** *2.ª sententia* benignior tenet hoc quoad atheismum positivum dogmaticum: Si forte initio aliqui habuerunt certitudinem subiectivam de non exsistentia Dei, hanc tamen certitudinem cessare et fore atheos dubitativos vel opinativos magis quam certo affirmativos, quia voluntas impedire nequit quominus post breve tempus dubium oriatur maxime ex voce conscientiae. Unde non possunt dari athei dogmatici diu. Hi omnes per se initio semper sunt culpabiles. In perseverantia cf. dubitativos. Sic Urraburu, Hontheim, Mz. del Campo, etc...

**380.** *3.ª sententia* docet dari posse per accidens diu usque ad mortem atheos positivos dogmaticos cum iudicio firmo de non exsistentia Dei subiective certo. Quoad culpabilitatem si res per se spectetur atheismus positivus dogmaticus non potest incipere apud aliquem sine formidine errandi et sine culpa gravi.

Per accidens autem possunt accidere hi casus:

a) *Ut primo*, initio cum formidine errandi ideoque culpabiliter per se acceptetur atheismus positivus dogmaticus, et postea per accidens sincere et quiete perseverent in negatione, culpabiliter tamen per se in causa. Sic DESCOQS, RAST et alii et nos cum illis.

b) *Ut secundo*, aliquando etiam sint inculpabiles initio et in perseverantia in suo atheismo, sed per accidens et raro et quia ad evolutionem mentalem religiosam non plene pervenerunt. Sic VAN DE WOESTYNE, DONAT, CLAEYS-BOUÜAERT. Etiam HELLÍN, qui defendit eam solum ut probabiliorem et quidem propter experientiam atheismi Russi.

**381. Prima p.** ATHEISMUS POSITIVUS POSSIBILIS EST PER ACCIDENS ET DIU.

**CENSURA.** Saltem probabilior.

**PROBATUR.** Dubium vel etiam negatio diu haberi potest de illa re:

*a) Quae* non est immediate evidens; *b)* quae habet contra se rationes contrarias apparentes; *c)* etiam influxus voluntatis et passionum contrarios illi. Atqui talis est veritas exsistentiae Dei. Ergo homines possunt certo negare exsistentiam Dei ac proinde dari possunt athei positivi.

*Maior:* Patet: in hoc enim casu manet possibile saltem dubium imprudens quod motivis irrationalibus usque ad negationem illius rei augeri potest.

*Minor: a)* Deum exsistere non est immediate evidens, sed tantum mediate; argumenta pro eius exsistentia sunt longiora et partim etiam non facilia; *b)* opponuntur multae difficultates et quamvis omnes sufficientissime solvi possint, potest tamen mens attendere solum ad illas contemnendo argumenta vera; adest auctoritas et dignitas illorum qui proponunt tales difficultates; quae saepe sunt sophismata multiplicis generis, sed imperitis speciosa; *c)* influxus voluntatis et passionum possunt movere efficaciter intellectum ad iudicandum Deum non exsistere. Nam in iudicio de non exsistentia Dei apprehenditur ratio aut species veri et boni et voluntas attrahitur commodis persuasionis de non exsistentia Dei, siquidem est valde consona cum pravis inclinationibus naturae.

*Confirmatur:* ex factis experientiae, nam certo dantur homines tum scientifici, tum malefactores et morte condemnati et alii, qui durante vita sua usque ad mortem exsistentiam Dei negarunt. Hoc revera per accidens et raro accidit, nec statim illis credendum est, quia saepe dicunt quod interne non sentiunt, tamen gratis asseritur omnes semper in suis confessionibus mentiri.

**382. Secunda p.** ATHEISMUS POSITIVUS, PER SE SEMPER EST CULPABILIS.

**CENSURA.** Communis et certa.

**PROBATUR.** Nam ut aliquis sine culpa certus sit de non exsistentia Dei necesse est ut habeat in promptu argumenta ad negandum Deum, quin ulla occurrat ratio aut etiam suspicio pro illius exsistentia. Atqui hoc fieri moraliter impossibili est. Ergo Athei positivi dogmatici non erant sine formidine errandi saltem in initio ideoque culpabiliter per se.

*Maior.* Quia si occurrat ratio aut suspicio pro exsistentia Dei, officium est rem amplius inquirendi, quod si quis facere renuat eius ignorantia non est invincibilis.

*Minor. a)* Nam inclinatio ad Deum est maxime naturalis homini: omnes creaturae reclamant Deum ut diximus in expositione argumentorum pro exsistentia Dei. Ergo dummodo reflexio in haec facta dirigatur, homo non potest se bona fide convincere aut diu dubitare de exsistentia Dei ac proinde eius ignorantia positiva non est invincibilis, sed vincibilis et culpabilis.

*b)* Illa argumenta ad negandum Deum:

*aut habet ex propria industria* et hoc est impossibile, quia si pollet tanto ingenio ut inveniat argumenta contra Dei exsistentiam, multo facilius posset invenire pro eius exsistentia;

*aut habet ex doctrina alius*, et hoc admitti non potest, quia argumenta contra exsistentiam Dei de se sunt valde infirma et consequenter per se facile solventur (57).

**383. Tertia p.** ATHEISMUS POSITIVUS DOGMATICUS, PER SE CULPABILIS IN INITIO PER ACCIDENS POTEST PERSEVERARE USQUE AD MORTEM SINCERUS ET INCULPABILIS ACTUALITER, QUAMVIS SEMPER PER SE CULPABILIS IN CAUSA.

**CENSURA.** Probabilis.

**PROBATUR.** Ut experientia docet, maxime in rebus religiosis et moralibus, difficultates non solutae, sophismata accepta, negatio continua rei et contemptus luminis... possunt cor indurare et obcaecare ita intellectum ut psychologice expellat diu omnem formidinem errandi et usque ad mortem homo ineptus maneat ad veritatem percipiendam. Atqui haec omnia possunt dari quoad exsistentiam Dei initio culpabiliter, in perseverantia vero sine culpa actuali. Ergo per accidens, negatio positiva Dei potest perseverare usque ad mortem sine culpa actuali, sed cum culpa in causa. Qui status, ait Descoqs, maxime horrendus et timescendus (58).

---

(57) URRABURU, *Theod.*, 1, p. 184.
(58) DESCOQS, *Prael. Theod. Nat.*, 2, p. 480.

**384.** N. B. Potestne accidere per accidens et raro ut atheismus positivus dogmaticus sit inculpabilis initio et in perseverantia usque ad mortem? Affirmative respondent Hellín cum Van de Woestyne, Claeys-Bouüaert, Donat et aliis habita prae oculis experientia atheismi russi.

Nam non est impossibilis ut puerorum educatio inde iam ab initio sit omnino atheistica, in persuasione de non exsistentia Dei, malis moribus nixa et exercita, orbata etiam tempore ad debitam culturam in quaestionibus religiosis et moralibus adquirendam. In his vero conditionibus illa persuasio est inculpabilis iam ab initio et in perseverantia usque ad mortem, per accidens tamen (quia natura humana suo modo agendi normali non utitur) et rarissime, secus esset magna deordinatio in Deum refundenda (59).

**385. Assertum tertium: Atheismus positivus dubitativus, si adhuc non habetur cognitio certa de exsistentia Dei, per se est possibilis sine ulla culpa per breve tempus; sed cito convertetur in culpabilem, si dubitans non investigat.**

**386. Prima pars:** ATHEISMUS...: PER BREVE TEMPUS.

**CENSURA.** Communis et certa.

**PROBATUR.** Nisi ab infantia habeatur idea et persuasio certa de exsistentia Dei per testimonium aliorum, potest dari aliqua dubitatio in eo qui nondum habet cognitionem certam de hac veritate. Nam

—non est immediate evidens Deum exsistere a parte rei;

—probationes pro exsistentia Dei sunt longiores et difficultates contra illam hinc inde exurgunt; insuper potest accidere ut

—interea non detur in illo homine gravis tentatio et efformatio conscientiae eius paulatim fiat;

—haec omnia requirunt sufficientem investigationem.

Ergo dum fit talis inquisitio atheismus dubitativus per se est possibilis sine ulla culpa per breve tempus.

**387. Secunda Pars.** SED CITO... SI NON INVESTIGET VERITATEM ET IN HOC STADIO USQUE AD MORTEM PERSEVERARE POTEST.

**CENSURA.** Communis et certa.

**PROBATUR.** Atheus dubitativus et inculpabilis per breve tempus, habet obligationen investigandi veritatem exsistentiae Dei. Ergo si hoc renuat peccat, Deum offendit et convertetur in atheum culpabilem.

*Antecedens.* Atheus dubitativus habet iam notionem, saltem incompletam, de Deo et de legibus ab eo latis praecipientibus oboedientiam, cultum, observationem ordinis moralis. Si vero non investigat has veritates, et interea neque Deum colit neque oboedit sese exponit suis actionibus scienter et volenter periculo offendendi Deum, nam utrumque acceptat: et offendere Deum si

(59) HELLÍN, *Theol. Nat.*, p. 276.

revera exsistit; et non offendere, si non exsistit. Atqui Deus de facto exsistit. Ergo de facto acceptat Deum offendere.

*Confirmatur.* Qui dubitat utrum explodat in patrem suum an in aliquam feram et tamen explodit, utrumque acceptat et occidere patrem et occidere feram, quod magna est offensa patris (60).

Immo, cum sincere investiganti facile sit invenire exsistentiam Dei, si atheus dubitativus investigat et non invenit, talis investigatio aut non est sincera aut orbata fuit mediis aptis, quae erant in manu dubitantis. Ergo culpabiliter non invenit veritatem.

**388.** N. B. Potestne aliquis, qui iam certo cognoscit exsistentiam Dei incidere in atheismum positivum dubitativum inculpabiliter? Hoc difficile problema ad theologos amandamus. «Respondemus, ait Hellín, per se semper esse culpabilem talem dubitationem; non enim accidet propter defectum mediorum retinendi certitudinem, quam iam acquisierat de exsistentia Dei. Per accidens tamen potest aliquando accidere ut quis sine peccato gravi incidat in illas dubitationes, propter socios aut magistros, quos non potuit vitare et propter lectiones, quas non advertendo periculum habuit; sed tamen posita hac dubitatione positiva, semper tenetur inquirere; quod si inquirat inveniet, et si non invenit, non sincere quaesivit, ideoque culpabiliter perseverabit in dubio positivo» (61).

**389. SCHOLIUM I. De peccato philosophico** (62).

*Peccatum theologicum* est transggressio libera legis divinae seu actus humanus ofensivus Dei. *Peccatum philosophicum* est actus humanus naturae rationali et rectae rationi disconveniens.

**390.** *Quaeritur* utrum sit possibile necne peccatum philosophicum.

—*In omni peccato* duplex repugnantia seu malitia considerari potest: altera contra rectam rationem, contra naturam rationalem qua talem (peccatum philosophicum); altera contra legem Dei (peccatum theologicum).

—*Diximus* in thesi posse dari atheum negativum aut ignorantiam invincibilem Dei per accidens etiam diu, sed raro. Iam vero si aliquis intra hoc tempus, in quo Deum invincibiliter ignorat, faceret aliquam actionem contra naturam rationalem qua talem peccaret solummodo peccato philosophico an etiam peccato theologico?

—*Procul dubio* utraque malitia de facto in ordine ontologico semper inseparabilis est (quidquid enim est contra naturam rationalem qua talem a lege naturali prohibetur). Exsistitne inseparabiliter semper etiam in ordine logico cognitionis ita ut semper ac apprenhendatur malitia contra naturam rationalem qua talem apprehendatur etiam malitia contra Deum?

An e contra possit dari aliquis casus, in quo aliquis apprehendat primam illam malitiam et violet honestatem naturalem quin apprehendat ullo modo secundam et inde non violet legem Dei?

**391. SENTENTIAE.** *Prima sententia* est eorum qui exsistimant peccatum philosophicum esse impossibile: repugnat enim hominem apprehendere aliquid ut naturae rationali disconveniens quin simul experiatur obligationem absolutam illud vitandi et inde saltem in confuso advertat illud esse contra voluntatem ordinatoris naturae rationalis seu prohibitum ab illo. Quo posito cessaret ignorantia invincibilis et illa actio contra naturam rationalem esset etiam contra Deum, offensa illius saltem implicita, et verum peccatum theologicum.

—Adest propositio aliqua damnata ab Alexandro VIII, 24 Aug. 1690 (DB. 1290) ut scandalosa, temeraria, piarum aurium offensiva, erronea: «Peccatum philosophicum seu morale est

---

(60) Mz. del Campo. *Theol. Nat.* (1946). p. 222 ss.

(61) Hellín. *Philos. Schol. Summa* [3]. p. 98.

(62) Rast. *Theol. Nat.*, p. 97 ss.—Mz. del Campo. *Theol. Nat.* (1946). p. 205.—Hellín. *Theol. Natur.*. p. 256.—G. Moral. *Philosophia Moralis*. 1. p. 204; et *Philos. Schol. Summa*. 3. p. 476.—Schuster. *Philosophia Moralis*. p. 32.

actus humanus disconveniens naturae rationali et rectae rationi; theologicum vero et mortale est transggressio libera legis divinae. Philosophicum vero quamtumvis grave, in illo, qui Deum ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque poena aeterna dignum.»

In hac propositione damnatur realizatio frequens inter paganos et christianos peccati mere philisophici; non constat damnari realizationem per accidens et raro. Sed, aiunt, videtur affirmari etiam peccatum philosophicum esse impossibile in concreto (quamvis eius notio metaphysica non implicet) tam in eo qui Deum invencibiliter ignorat quam in eo qui iam habitualiter illum cognoscit, sed actu de Deo non cogitat.

Uno verbo: In concreto omnis qui peccat contra naturam rationalem Deum quoque offendit, quia non laborat ignorantia aut inadvertentia invencibiliter, sed sufficienter (uno vel alio modo) saltem modo confuso aut, si vis, implicite Deum cognoscit et attingit.

Huic sententiae adnumerari possunt plures scholastici tam antiqui quam moderni ut Billuart, Mendive, Mayr, Mz. del campo, Schuster, Rast... et nobis praeferenda.

Iuxta P. Billot qui Deum invencibiliter ignorat, eo ipso ignorat invincibiliter legem naturalem, notionem boni et mali; ergo impossibile est in illis circumstantiis peccare contra legèm naturalem et est metaphysice impossibile etiam peccatum philosophicum.

**392.** *Secunda sententia* est eorum, qui dicunt peccatum philosophicum possibile esse: non enim apparet ulla repugnantia in eo quod quis apprehehendat aliquam actionem ut contrariam naturae rationali qua tali et ut talem ponat et simul non experiatur ullam obligationem absolutam illam vitandi, quia talis obligatio unice agnoscitur post cognitionem explicitam voluntatis legislatoris et ille homo laboraret ignorantia Dei invincibili.

Tamen cum sese offerat occassio agendi contra honestatem naturalem eo ipso adest motivum reflectendi supra rationes ad cognitionem Dei conducentes et, si investigat, veritatem inveniet et cessabit praedicta ignorantia.

—Doctrina Ecclesiae iuxta hanc sententiam haec esse videtur: In propositione damnata ab Alexandro VIII damnatur frequens realizatio peccati philosophici. Sed videtur affirmandum esse iuxta doctrinam Ecclesiae peccatum philosophicum esse possibile raro, non vero frequenter in eo qui Deum invencibiliter ignorat; impossibile autem omnino esse in eo qui iam habitualiter cognoscit Deum et de Deo actu non cogitat. Huic sententiae adnumerari possunt non pauci auctores tam antiqui quam moderni ut Arriaga, Hellín, G. Moral et alii.

### 393. SCHOLIUM II. De voluntate salvifica Dei.

Deum exsistere et esse remuneratorem credendum est fide actuali et supernaturali et quidem necessitate medii ad salutem.

—Si ergo requiritur fides actualis in Deum cognitum per revelationem et pro multis notitia revelationis videtur impossibilis, quomodo salvatur voluntas salvifica Dei?

Responsio: Procul dubio Deus providebit, habet enim infinita media: unde notitia illa necessaria ad illos perveniet mediis sive ordinariis sive miraculosis durante vita aut ante mortem seu in ipsa morte per illuminationem, etc...

## 394. OBIECTIONES.

Habenda sunt prae oculis, ut norma negativa, quaedam principia theologica ut nihil doceamus illis contrarium (63).

1) *Primum* est Deum velle salutem omnium hominum per propria merita acquirendam. Atqui ad hoc requiritur necessario cognitio Dei et eius glorificatio. Ergo Deus dat media omnibus ad cognitionem Dei habendam. Si igitur aliquis ignorat Deum, semper erit culpabilis, quia media data a Deo contempsit.

---

(63) Hellín, *Theol. Nat.*, p. 269.

Dist. mai. Voluntate efficaci et consequente N.
Voluntate antecedente et inefficaci licet seria C.
Conc. min. et dist. pariter consequens.

Deus dat omnibus media veniendi ad cognitionem suam. Atqui si omnes habent media et non perveniunt, culpabiliter non perveniunt. Ergo atheismus mere negativus et inculpabilis est impossibilis.

Dist. mai. Per se Conc.; per accidens non potuerunt impediri Subd. plerumque Conc. raro Neg.

Cont. min. Si habent media per se et non sunt impedita per accidens Conc. si impedita sunt per accidens N.

2) *Secundum* est adultos, qui usu rationis pollent, ad limbum non ire sed necessario vel ad caelum destinari vel ad infernum iuxta merita. Atqui illi adulti inculpabiliter ignorantes Deum non possent mitti in caelum aut in infernum, quia non habent merita aut demerita. Ergo non dantur adulti athei negativi inculpabiles usque ad finem vitae.

Conc. mai. et nego minorem.

Explicatio. In fine vitae illuminabuntur per Dei providentiam et tunc cognoscunt Deum; poterunt ergo tunc habere merita aut demerita propria atque ita mittentur in caelum aut in infernum.

3) *Tertium* est impossibilitas peccati philosophici iuxta thesim condemnatam ab Alexandro VIII. Atqui illi athei negativi ignorantes invincibiliter Deum durante vita sua possunt agnoscere honestatem naturalem et velle violare eam conscienter et inde committere aliquod peccatum. Atqui non peccatum theologicum, quia non cognoscunt Deum. Ergo peccatum philosophicum.

Conc. mai. et minorem et nego minorem subsump.

Explicatio. *a*) Vel committerent peccatum mere materiale vel defectum anthiaesteticum in materia morum, si non repugnat aliquem hominem nunquam moraliter sese evolvere et pueris aequiparandi essent.

*b*) Vel in illo casu concreto tentationis ad peccatum impellentis aut occassionis aliquid inhonestum agendi, illi athei experirentur suam deviationem a norma moralitatis simul ut laesionem alicuius obligationis seu ut transgressionem praecepti absoluti, in qua experientia iam includitur cognitio Dei ut legislatoris et iudicis, licet modo adhuc sat confuso, proinde committerent peccatum theologicum, non vero peccatum pure philosophicum.

4) *Quartum* est non requiriri absolute revelationem aut magisterium ad veritates religiosas cognoscendas sed sufficere vires naturales hominis ut probatum est contra traditionalistas. Atqui tu defendis posse dari atheos negativos et consequenter non posse per se ipsos pervenire ad cognitionem Dei. Ergo atheismus negativus ignorans per longum tempus invincibiliter et inculpabiliter Deum est impossibilis.

Conc. mai.

Dist. min. Per se non posse N.; per accidens, quia prae nimia indigentia et miseria prohibeantur ab attentione rerum sublimiorum C.

Dist. pariter consequens.

5) Si possent dari athei negativi illi possent facere omnia crimina sine reprehensione ex parte Dei, quia illum non offendunt; immo neque ex parte societatis, quia illi nullum peccatum morale commiserunt. Atqui hoc est absurdissimum et exitiosum societati. Ergo signum est eos cognoscere Deum aut culpabiliter eum semper ignorare.

Resp. Nego mai.

Explicatio. *a)* Si illi athei per accidens non haberent intellectum moraliter evolutum, non essent reprehensibiles coram Deo, quem nullo modo neque implicite cognoscunt.

*b)* Si peccarent contra rationem simul experirentur ex voce conscientiae illud esse laesionem alicuius obligationis absolutae et sic peccarent etiam contra Deum.

*c)* Essent reprehensibiles et digni punitione coram societate, quia ut supponitur cognoverunt id quod debetur societati ex exigentia naturae rationalis et tamen libere violaverunt illud debitum.

*d)* Si autem neque hoc debitum sociale cognoscunt velut amentes tractandi essent.

6) Deus dat gratias internas sufficientes omnibus etiam induratis et excaecatis ut possint redire ad Deum. Atqui hoc posito, si non veniunt iam sunt culpabiles. Ergo athei etiam negativi sunt culpabiles si Deum non cognoscunt.

Dist. mai. Saltem remote sufficientes et pro opportunitate C.
Proxime sufficientes et incesanter N.

Contr. min. et nego consequens.

Explicatio. Opportunitas solet esse praedicatio, instructio vel terminus vitae in quo illuminetur ille qui per totam vitam ignoravit Deum inculpabiliter.

7) Ut theologia docet et experientia confirmat, homo sibi relictus non potest moraliter (quamvis posset physice) diu servare totam legem naturalem, sed in gravem culpam contra rationem incidet. Atqui atheus negativus (idem dic de positivo) perseverabit diu sine peccato et sine gratia. Ergo atheismus negativus inculpabilis diu dari non potest.

Dist. mai. In hypothesi quod nullo modo neque implicite cognoscit Deum nec eius legem Neg. quia in illo casu committeret solum aliquid antiaestheticum.
In hypothesi quod Deum et eius legem cognoscat saltem implicite cum occurrit tentatio ad peccandum... C.

Contr. min.

8) Ut constat ex supra probatis in argumento deontologico obligatio, remorsus conscientiae, etc... est via sufficientissima ad Deum. Atqui obligatio et remorsus conscientiae dantur etiam in atheo negativo. Ergo atheus negativus est impossibilis diu.

Dist. mai. per se Conc. per accidens Subd. pro atheis adultis solum aetatis, qui non habeant intellectum moraliter evolutum N. pro aliis cum occurrit tentatio, etc. C.

Contr. min. Per se N., per accidens Subd. in atheis adultis solum aetatis N., in aliis C.

9) Tunc atheus negativus (idem dic de negatore) inculpabilis, esset in meliori conditione quam christianus. Atqui hoc est absurdum. Ergo non datur talis atheus negativus inculpabilis.

Dist. mai. quoad partem mere negativam non peccandi C.; quoad partem positivam fruendi beneficiis Dei et participandi eius naturam et habendi eius amicitiam N.

Contrd. min.

10) Non est contra providentiam divinam ut plurimi pueri vel in uteris matrum vel in aetate tenera moriantur sine cognitione Dei. Ergo a pari non est contra providentiam divinam ut plurimi adulti non cognoscant Deum et obtineant quamdam beatitudinem sine meritis propriis.

Resp. Conc. antec. et nego consequens et paritatem. Nam pueri in illis circumstantiis totaliter pendent a parentibus, unde horum saepissime est defectus. Non ita adulti et ideo ipsi debent habere media ut generatim omnes sua diligentia possint obtinere necessariam cognitionem Dei; si autem plurimi non obtinerent, esset magna deordinatio in Deum refundenda.

# PARS SECUNDA

## DE ESSENTIA DEI ET DE PRAEDICATIS ESSENTIALIBUS DIVINIS

Cognita in prima parte Dei exsistentia per veram demonstrationem, ad cognoscendam divinam essentiam, quantum licet nobis in hac vita, accedimus. Hoc autem obtinebimus considerando omnia eius praedicata, maxime praedicata essentialia, quae totam essentiam significant. Revera praecipua ex his praedicatis iam obtinuimus in praecedentibus, nempe ens a se, absolute necessarium, quae iuvat nunc magis reflexe et scientifice considerare.

# CAPUT I

## De praedicatis Dei essentialibus

## ARTICULUS I

### De identitate essentiae et exsistentiae in Deo

**THESIS 14. In Deo essentia et exsistentia re et ratione et quidem adaequate identificantur.**

395. **Bibliographia.**—S. Th., 1, q. 3, a. 4; 1 CG, c. 22, 25; 2 CG, c. 52.—Suárez, DM, *introd.; De Deo uno*, 1. 1, c. 2, n. 5-7; c. 3, n. 1-3.—Franzelin, *De Deo*, p. 287-294.—Urraburu, *Theod.*, 1, p. 207.—Loinaz, *Prael. e Theol. Nat.*, p. 93-98.—Bittremieux, *Deus est suum esse, creatura non est suum esse:* DivThom(Pi), 1929, p. 382-426 et (1930), p. 271-304.—Descoqs, *Prael. Theol. Nat.*, II, p. 569-577.—Kleutgen, *Philosophie Scholastique*, t. 4, p. 366.—Cuesta, *Ontología*, p. 264 ss.—Hellín, *Theol. Nat.*, p. 286 ss.

396. **Nexus.** Scimus per demonstrationem exsistentiae Dei Eum esse ens absolute necessarium, nempe aliquam essentiam necessario exsistentem. Et nunc inquirimus quomodo se habeant inter se talis essentia et talis exsistentia, utrum nempe essentia in Deo sit idem omnino ac exsistentia necne.

### 397. NOTIONES.

Deus est ens a se et absolute necessarium.

Ens a se: *negative* est quod a nullo alio esse accepit;
*positive* est quod exsistit formaliter vi essentiae suae.

Essentia: *vi nominis* significat abstractum entis, seu id quod ens est aptum ad exsistendum. Concretum autem eius est ens nominaliter sumptum, seu id quod est aptum ad exsistendum.

*Realiter* est id quod res est; vel id quo res est formaliter id quod est. Sic essentia hominis est animalitas et rationalitas, quia haec sunt illud quod est homo vel id quo homo est homo.

Explico. Dicitur *formaliter*, non consequenter aut efficienter; Essentia enim est forma rei: 1) *Intrinseca:* et sic essentia differt v. c. a causa efficiente et a causa finali.

2) *Necessaria:* et sic differt ab accidentibus, quae rei contingenter insunt et manente eadem re cessare possunt.

3) *Prima:* et sic differt a proprietatibus, quae rei necessario insunt, sed rationem sui in aliquo intrinseco praevio habent v. c. homini necessario inest ridendi facultas, quae cessare non potest quin destruatur homo. Neque tamen haec facultas constituit essentiam hominis, quia in aliqua re priori fundatur.

4) *Completa,* quia est id quo res est id quod est adaequate et sic differt a nota essentiali partiali v. c. essentia hominis non est solum animal neque rationale solum, sed est animal rationale.

**398.** N. B. Essentia diversis nominibus appellari solet:

*Essentia:* per ordinem ad esse, quia in tantum res quaevis est aut potest esse in quantum habet essentiam veram ac realem.

*Quidditas:* per ordinem ad nostram cognitionem, nempe cum quis quaerit quid res aliqua sit, responderi solet per declarationem essentiae.

*Natura:* per ordinem ad operationem, essentia enim est primum illud ac praecipuum, quo ens quodvis in suo esse constituitur unde est principium operandi.

*Substantia:* quatenus essentia (substantialis) est id quo quaevis res consistit et in se subsistit.

**399.** ESSENTIA item definiri potest: Id quo res formaliter et primo constituitur in suo gradu vel ordine generico, specifico, individuali, possibili, actuali, etc...

Hinc iam apparet diversas esse essentias aut diversos modos considerandi essentiam.

I. Essentia generica, specifica et individualis.

*Generica* est id quo res constituitur in aliquo genere determinato sive remoto sive proximo. Sic essentia generica Petri est animal (genus proximum) in qua nota convenit cum omnibus hominibus et brutis.

*Specifica* est id quo res in aliqua specie determinata est seu constituitur.

**400.** Essentia specifica potest esse metaphysica et physica.

a) *Essentia metaphysica et physica ratione distinctionis partium.*

*Metaphysica* est illa quae exprimitur per conceptus logicos (per partes metaphysicas) ratione adaequate distinctos inter se. Est quidditas rei prout est vel esse potest a parte rei dependenter a mentis consideratione.

Essentia metaphysica exprimitur per genus proximum et ultimam differentiam; essentia metaphysica Petri sive exsistentis sive possibilis est animalitas et rationalitas. Si vero est essentia simplex seu quasi metaphysica, tunc unica realitate metaphysica constituitur. Sic solus Deus.

*Physica* est illa quae exprimitur per elementa realia (per partes physicas) realiter distincta inter se, quae constituunt rem in ordine reali sive possibili sive actuali independenter a mentis consideratione. Seu est quidditas rei prout est vel esse potest in rerum natura independenter a mentis consideratione.

Essentia physica Petri sive exsistentis sive possibilis est anima et corpus. Si vero est essentia simplex unica realitate physica constituitur. Sic essentia physica Dei, essentia angelorum...

b) *Essentia metaphysica et physica ratione status.*

*Metaphysica* est quidditas rei prout est in statu pure possibilitatis (in ordine metaphysico). Sic essentia metaphysica Petri in hoc sensu est corpus et anima; animalitas et rationalitas Petri possibilis.

*Physica* est quidditas rei prout est actu a parte rei independenter a mentis consideratione. Sic essentia physica Petri est corpus et anima; animalitas et rationalitas identificatae a parte rei in Petro exsistente.

c) *Essentia metaphysica et physica ratione necessitatis constitutivorum in esse et concipi.*

*Metaphysica* est quidditas rei seu complexus omnium sine quibus res formaliter concipi non potest. Unde expresse et formaliter non includit nisi partes constitutivas sive physicas sive metaphysicas. Proprietates autem solum includit virtualiter. Sic essentia metaphysica Petri sive exsistentis sive possibilis est corpus et anima; animalitas et rationalitas.

*Physica* est quidditas rei seu complexus omnium sine quibus res formaliter esse seu exsistere non potest. Unde expresse et formaliter includit partes constitutivas sive physicas sive metaphysicas; et etiam proprietates (omne proprium, omnes necessarias facultates, potentias...). Sic essentia physica Petri sive exsistentis sive possibilis est anima et corpus; animalitas et rationalitas; etiam intellectus, voluntas...

**401.** *Essentia individualis stricto sensu* est complexus eorum sine quibus individuum nec esse nec concipi potest. Sic essentia Petri est natura Petri cum eius individuatione. Unde praeter animalitatem et rationalitatem, praeter corpus et animam includit illas notas sine quibus Petrus non esset Petrus; omissis illis perfectionibus quae salva hac re individua abesse possunt v. c. quod Petrus sit plus vel minus flacus vel crassus, quod habeat nunc colorem magis sanguineum quam olim: iis enim mutatis Petrus manet Petrus.

Essentia *individualis sensu latissimo* consistit in illis omnibus, quae ingrediuntur in definitione, quae fiat de aliquo ente quamquam in ea includantur illa, quae respectu naturae specificae sunt accidentalia. Ita de essentia hominis rubicundi ut talis est esse rubicundum.

**402.** II. Essentia ratione status (generica, specifica, physica, metaphysica, individualis) potest esse possibilis et actualis.

*Praecisive possibilis* seu intelligibilis est essentia apta ad exsistendum praescindendo ab eo quod actu exsistat vel non exsistat... Sic essentia Petri possibilis sive actu exsistat sive non exsistat...

*Pure possibilis* est essentia apta ad exsistendum, sed quae actu non exsistit. Sic essentia seu anima et corpus, animalitas et rationalitas Petri pure possibilis.

*Actualis* est essentia actu exsistens in rerum natura. Sic anima et corpus, animalitas et rationalitas Petri actu exsistentis.

N. B. Essentia metaphysica potest esse aliquo modo actualis, quia quamvis formaliter neque exsistit neque exsistere potest eo quod sit a realitate concreta, a notis individuantibus abstracta et exprimitur in definitione per conceptus abstractos generis et differentiae, tamen nititur fundamento rerum ipsarum: id enim quod concipitur est a parte rei, non vero modus concipiendi.

Essentia actualis sumi potest specificative et reduplicative.

*Actualis specificative* sumpta est essentia actualis, licet explicite non consideretur eius actualitas.

*Actualis reduplicative* sumpta est essentia quae est actualis et consideratur quatenus est actualis. Idem est ac essentia prout exsistens seu exsistentiam includens.

**403.** III. Essentia ratione communicabilitatis vel incommunicabilitatis potest esse universalis, singularis, absolute spectata.

*Universalis* est essentia communis pluribus distributive spectatis per sui multiplicationem. Sic animal est essentia generica universalis hominis et bruti; animal rationale est essentia specifica universalis hominis.

*Singularis* est essentia propria individui pluribus incommunicabilis. Sic essentia Socratis sive exsistentis sive possibilis.

*Absolute spectata* est complexus notarum seu partium constituentium praescindendo a communicabilitate vel incommunicabilitate vel utrum sit singularis an universalis v. c. complexus animalitatis et rationalitatis si est in universali est communicabilis; si vero est in singulari tum est incommunicabilis.

**404.** IV. Ratione modi concipendi, essentia potest esse abstracta et concreta.

*Abstracta* est illa essentia quae exprimit quidditatem rei per modum formae sine subiecto v. c. humanitas Petri vel humanitas in genere.

*Concreta* est illa quae exprimit formam rei cum subiecto v. c. homo in Petro vel in genere.

**405.** Exsistentia: a) *Vi nominis* est quasi sistentia rei extra.

b) *Realiter* est id quo res formaliter constituitur extra causas vel extra nihil vel extra statum purae possibilitatis. Etiam definiri potest sic: Actualis praesentia rei in ordine physico. Seu positio extra nihilum notarum qualitativarum in quibus consistit essentia.

Explicatio. *Formaliter* dicitur i. e. per modum formae, per modum causalitatis formalis. Non est propria forma, quia non dat rei esse specificum sicut dat forma, sed rei habenti esse specificum dat formaliter esse actuale. Non dicitur efficienter: efficienter enim res extra suas causas per causam efficientem constituitur.

Formaliter *primo*, iuxta nos et iuxta aliquos thomistas; nam exsistentia est prima actualitas essentiae ita ut essentia praecisive ab exsistentia non sit realitas ulla actualis, sed nihilum actuale. Iuxta plerosque thomistas—formaliter *ultimo*—nam exsistentia est actus ultimus essentiae, quia supponunt essentiam se ipsa habere actualitatem, quae non est ipsa exsistentia, et ultra hanc actualitatem et extra nihilitatem requirunt aliam actualitatem, quae compleat primam, et illam vocant exsistentiam.

*Notarum qualitativarum:* nam exsistentia de se non exprimit ullam notam qualitativam et multo minus de se est aliqua nota qualitativa addita ad notas essentiales quibus constat res.

**406.** Identificantur. *Identitas* est negatio distinctionis. Seu est unitas plurium in entitate.

*Realiter* seu prout res est in se independenter a mentis consideratione.

*Ratione* i. e. etiam dependenter a mentis consideratione seu secundum conceptum et definitionem aut descriptionem sunt unum idemque.

*Adaequate* et convertibiliter: tota enim essentia divina est re et ratione exsistentia divina; et tota exsistentia divina est re et ratione essentia divina.

Notiones distinctionis: realis et rationis; rationis ratiocinantis et rationis ratiocinatae: maior, minor, minima. Cfr. Thes. 22.

## 407. STATUS QUAESTIONIS.

1. HAEC THESIS est corollarium theseos entis absolute necessarii et a se et est maximi momenti pro tota Theodicea. Nam Deus est ens absolute necessarium, exsistens vi essentiae suae non efficienter sed formaliter et constitutive. Ergo essentia divina est constitutive exsistentia divina.

2. COMPARAMUS in thesi essentiam entis absolute necessarii ut talis absolute spectatam (i. e. prout dicit ordinem ad essentiam, sed praescindendo a distinctione vel non distinctione) cum exsistentia etiam absolute spectata entis absolute necessarii ut talis, et probamus eas identificari re et ratione adaequate. Unde, etsi detur aliqua distinctio in modo concipiendi, conceptus essentiae divinae includit formaliter et explicite conceptum exsistentiae divinae. Et conceptus obiectivus exsistentiae divinae includit formaliter et explicite conceptum essentiae divinae. Nulla distinctio admitti potest in conceptu obiectivo nisi distinctio rationis ratiocinantis.

## 408. SENTENTIAE.

*Prima sententia* tenet in Deo essentiam ab exsistentia distingui realiter ut modum eius. Sic MAYRONIS, TROMBETTA, BARGIUS et PICUS A MIRANDOLA...

*2.ª sententia.* Aliqui veteres scholastici tenebant in Deo distinctionem eamdem merae rationis ac inter essentiam et exsistentiam creaturarum: his enim auctoribus essentia qua talis non dicit exsistentiam. Sic ARRIAGA, IZQUIERDO, GODOY... Sed forsam lis sit de verbo.

*3.ª sententia* communis inter thomistas, scotistas et suarezianos est ea quae enuntiata est in thesi.

**CENSURA.** Certa.

## 409. PROBATUR.

**1.ª pars.** IDENTIFICANTUR RE.

Inter essentiam et exsistentiam in Deo non datur distinctio realis. Ergo re identificantur.

*Antecedens.* Si enim in Deo essentia et exsistentia realiter distinguerentur, tum exsistentia divinae adveniret essentiae:

1) Aut causata ab alio quod sit distinctum a Deo, et tunc Deus quod est ens incausatum, absolute necessarium et a se penderet ab alio in exsistendo, quod repugnat; 2) aut causata efficienter ab essentia divina realiter distincta et hoc admitti non potest, quia talis essentia ex hypothesi non est exsistens se ipsa, est prior exsistentia, quae est prima actualitas rei et ante primam actualitatem rei res erat nihilum actu. Quod autem est nihil actu nequit exsistentiam causare. Si vero illa essentia iam exsisteret, tunc non causaret illum quod iam

est; 3) aut per dimanationem physicam ab essentia et hoc est impossibile quia nihil potest physice dimanare ab essentia non exsistente actu, seu ab essentia, quae nihil est actu. 4) Nec denique exsistentia a se (realiter distincta) potest actuare essentiam necessario eo quod talis exsistentia a se sit et necessario actuet. Nam illa exsistentia est prima actualitas rei ideoque essentia de se nullam actualitatem habet, de se esset nihil; unde sequeretur illam essentiam esse contingentem, non vero essentiam entis absolute necessarii et independentis ab ullo in exsistendo.

Ergo essentia et exsistentia in Deo non distinguuntur realiter: reiectae enim sunt omnes hypotheses possibiles.

**410. 2.ª pars.** Identificantur etiam ratione.

Inter essentiam et exsistentiam in Deo non datur ulla distinctio rationis ratiocinatae. Ergo identificantur ratione.

*Antecedens.* Si enim essentia in Deo distingueretur ab exsistentia ratione cum fundamento in re tum exsistentia conciperetur advenire essentiae divinae: 1) aut causata ab aliqua causa distincta a Deo et hoc repugnat quia Deus est ens a se; 2) aut causata ab essentia divina, et hoc etiam repugnat, quia talis essentia ante primam actualitatem quae est exsistentia debet concipi ut nihil actuale et a nihilo actuali non potest concipi causari aliquid; 3) aut dimanans physice ab essentia, quod etiam repugnat, nam priusquam exsistentia concipiatur emanare ab essentia, essentia debet concipi ut nihil actuale et a nihilo actuali non potest concipi emanare exsistentiam; 4) aut ut exsistentia a se ipsa exsistens et necessario actuans essentiam ratione distinctam; et hoc admitti non potest quia exsistentia est prima actualitas rei ideoque essentia prout contradistincta ratione ab illa exsistentia seu prima actualitate debet concipi ut nihil actuale, ut mere possibile, unde sequeretur illam essentiam debere concipi ut essentiam entis contingentis, non vero ut essentiam entis necessarii et independentis ab omni alio in exsistendo.

**411. 3.ª pars.** Adaequate identificantur.

Si aliquid essentiae divinae non identificaretur re et ratione cum exsistentia, illud deberet aut recipere aut cogitari recipere exsistentiam: *a)* vel ab alio ente distincto; *b)* vel efficienter aut per emanationem ab illa particula distincta ab exsistentia; *c)* vel exsistentia a se et necessario actuaret illam partem essentiae re aut ratione distinctam. Atqui hae hypotheses repugnant ut patet ex nuper probatis. Ergo essentia et exsistentia in Deo adaequate identificantur.

*Maior.* Patet.

*Minor.* Quoad *a)* Repugnat, quia Deus est ens a se et illa particula non esset aut saltem non cogitaretur ut ens a se et absolute necessarium, proinde non pertineret ad eius essentiam.

Quoad *b)* Exsistentia procederet aut emanaret aut cogitaretur emanare a nihilo, a pure possibili, quod repugnat.

Quoad *c)* Illa particula essentiae vel esset vel deberet concipi ut nihil actuale, ut pure possibile, inde aliquid contingens.

Unde tota essentia divina identificatur cum exsistentia divina re et ratione et quidem adaequate ut probatum est; et tota exsistentia divina identificatur re et ratione et quidem adaequate cum essentia divina: quia secus illa exsistentia esset divina ex hypothesi et non esset divina, saltem quoad partem, quod repugnat.

412. *Item essentia divina est actualitas pura* i. e. exsistentia et solum exsistentia, actualitas et solum actualitas. Nam ut diximus loquendo de ente absolute necessario, essentia entis absolute necessarii in tantum est essentia entis absolute necessarii in quantum formaliter est, aut dicit esse seu actualitatem et nihil amplius; actualitatem sine restrictione aut differentia individuali ad talem gradum actualitatis cum exclusione aliorum graduum actualitatis possibilis, quia secus essentia divina diceret simul: esse seu actualitatem et non-esse, non-actualitatem (quia talis restrictio proveniret ab ipsa essentia divina), quod repugnat.

## 413. OBIECTIONES (64).

1. Ea quae habent diversas definitiones distinguuntur inter se. Atqui essentia et exsistentia in Deo habent diversas definitiones. Ergo essentia et exsistentia in Deo distinguuntur inter se.

Disting. mai. Si revera ipsae definitiones sunt diversae C; si tantum sunt diversa verba N.
Contrd. min. ipsae definitiones N.; verba C.

Atqui essentia et exsistentia in Deo habent diversas definitiones. Ergo stat...

2. Res quae potest concipi sine alia habet diversam definitionem. Atqui possumus essentiam Dei concipere non concepta exsistentia. Ergo essentia et exsistentia in Deo habent diversas definitiones.

Conc. Mai.
Disting. min. possumus distinctis verbis idem exprimere C; distinctis conceptibus Subd. cum fundamento in re N; sine fundamento C.
Disting. pariter cons.

Atqui essentia et exsistentia in Deo habent diversos conceptus. Ergo...

3. Tam in Deo quam in creaturis possumus essentiam cogitare praescindendo utrum sit mere possibilis, productibilis, etc... Atqui in rebus creatis essentia saltem ratione differt ab exsistentia. Ergo etiam in Deo datur illa distinctio conceptuum.

Dist. mai. et tunc concipimus essentiam divinam N; essentiam communem Deo et creaturis C.
Conc. min. et distinguo pariter cons.

Atqui ipsa essentia et exsistentia Dei habent diversos conceptus. Ergo...

4. Iuxta te essentia actualis creata est sua exsistentia. Atqui possumus concipere essentiam creatam quin concipiamus exsistentiam. Ergo pariter possumus concipere ipsam essentiam divinam quin concipiamus exsistentiam.

Dist. mai. re et ratione N; re solum, non vero ratione C.
Conc. min.
Disting. cons. si identificatur re et ratione N; si solum identificaretur C.

Atqui in Deo non identificantur re et ratione essentia et exsistentia. Ergo.

5. Illud quod nihil dicit de alio non identificatur cum illo. Atqui essentia nihil dicit de exsistentia actuali. Ergo quaelibet essentia potest cogitari sine exsistentia.

Conc. mai.

---

(64) Hellín, *Theol. Nat.*, p. 295 ss.

Disting. min. Essentia nihil dicit de exsistentia per exclusionem N.; per meram praecisionem Subd. si agatur de essentiis contingentibus C.; si de essentia entis necessarii N.

Distinguo pariter cons. quaelibet essentia creata C.; essentia entis absolute necessarii N.

Atqui essentia entis absolute necessarii distinguitur ab eius exsistentia. Ergo.

6. Attributa divina etiam sunt de essentia entis absolute necessarii. Atqui inter attributa et essentiam divinam datur aliqua distinctio .Ergo pariter datur distinctio inter essentiam et exsistentiam entis absolute necessarii.

Dis. mai. sunt de conceptu quidditativo essentiae C.; sunt ipsa essentia divina vel constitutivum essentiae Subd. secundum implicitum C.; etiam secundum explicitum N.

Conc. min.

Disting. pariter cons. si exsistentia esset solum de conceptu quidditativo essentiae et secundum implicitum C. si est ipsa essentia etiam secundum explicitum N.

Atqui exsistentia divina non est explicite ipsa essentia divina. Ergo...

7. Exsistentia semper est actus alius. Atqui actus alius semper distinguitur ab illo cuius est actus. Ergo exsistentia semper distinguitur ab essentia.

Disting. mai. respective considerata C.; absolute considerata subd. semper est actus alius in creatis C.; in Deo N.

Conc. min.

Disting. pariter cons. si exsistentia respective consideratur C.; si absolute subd. in creatis C.; in Deo N.

Atqui exsistentia in Deo absolute considerata est actus distinctus ab exsistentia.

8. Si non esset actus distinctus tum essentia Dei esset actualitas pura. Atqui essentia Dei non potest esse actualitas pura. Ergo exsistentia in Deo absolute considerata est actus distinctus ab essentia.

Nego minorem.

Probo minorem.

9. Si Deus est exsistentia pura non habet essentiam. Atqui absurdum est aliquod ens carere essentia. Ergo essentia Dei non est actualitas pura.

Dist. mai. non habet essentiam re aut ratione distinctam ab exsistentia C.; non habet essentiam re et ratione identificatam cum exsistentia N.

Contr. min. si careat penitus essentia C.; si careat solum essentia re et ratione distincta ab exsist. N.

Atqui essentia Dei non est penitus identificata cum exsistentia. Ergo...

10. Essentia Dei nequit consistere in re minima. Atqui actualitas est res minima. Ergo essentia Dei non est identificata cum actualitate.

Conc. mai. et nego minorem.

Probo minorem.

11. Actualitas non dicit nisi extranihilitatem. Atqui hoc etiam convenit rebus minimis. Ergo actualitas est aliquid minimum.

Disting. mai. actualitas abstracta vel actualitas concreta participata C.; actualitas pura, concreta, quae nihil aliud est quam actualitas N.

Contrd. min. actualitas abstracta vel actualitas concreta participata C.; actualitas pura N.

Atqui actualitas Dei in tua sententia esset aliquid abstractum. Ergo.

12. Illud cui nulla fit additio determinationum est abstractum. Atqui actualitas pura est talis ut ei nulla fiat additio differentiarum. Ergo actualitas Dei in tua sententia esset aliquid abstractum.

Disting. mai. si non fiat additio per meram abstractionem ut accidit in ente ut sic C.; si non fiat additio per exclusionem omnis determinationis restrictivae alicuius actualitatis N.

Contrd. min. ut non fiat additio quia obtenta est per restrictionem determinationis N.; ut non fiat additio quia excludit omnem additionem restrictivam actualitatis Conc.

Atqui exsistentia Dei habet determinationem restrictivam et exclusivam alicuius actualitatis. Ergo...

13. Exsistens est praedicatum commune Deo et creaturis et ut sit proprium Dei debet determinari per aliquam determinationem exsistentis. Atqui si Deus est exsistens per aliquam determinationem exsistentis iam eius essentia non est actualitas pura. Ergo essentia Dei habet determinationem restrictivam alicuius actualitatis.

Disting. mai. Per determinationem restrictivam seu distinctivam Dei a creaturis C.; restrictivam seu exclusivam alicuius actualitis N.

Contrad. min.

Atqui exsistentia Dei habet determinationem vere restrictivam. Ergo...

14. Essentia divina est actualitas divina. Atqui divina est determinatio vere restrictiva illius actualitatis. Ergo essentia divina habet determinationem vere restrictivam.

Conc. mai.

Disting. min. est determinatio restrictiva, i. e. exclusiva Dei et distinctiva Dei ab omni alio C. est determinatio restrictiva actualitatis divinae cum exclusione alicuius actualitatis N.

Disting. pariter cons.

Atqui essentia divina non continet omnem actualitatem. Ergo...

15. Si essentia divina contineret omnem actualitatem, nullae actualitates essent extra Deum. Atqui dantur multae actualitates extra Deum. Ergo essentia divina non continet omnem actualitatem.

Disting. mai. Si contineret omnem actualitatem etiam numerice eamdem C.; si eminenter et virtualiter N.

Contrd. min. quae non continentur numerice eaedem C.; quae nullo modo continentur in Deo N.

Atqui dantur actualitates, quae nullo modo continentur in Deo. Ergo...

16. Si dantur plura entia a se, essentia divina non continet omnem actualitatem. Atqui nondum exclusum est dari plura entia a se. Ergo non potest constare Deum habere omnem actualitatem.

Resp. Conc. mai.

Dist. min. explicite C.; ne implicite quidem N. Explicite etiam in hac thesi probatur Deum esse unicum.

## ARTICULUS II

### De praedicatis: esse per se subsistente, actu puro et ente per essentiam

**THESIS 15. Deus est ipsum esse per se subsistens, actus purus et ens per essentiam.**

414. **Bibliographia.**—S. Th., 1, q. 3, a. 4; et q. 41, a. 2; 1 CG, c. 16 et 22.—Suárez, DM 28, 1, 13-16; *De Deo*, l. 1, c. 8, n. 10.—Franzelin, *De Deo uno*, p. 267-293.—Urraburu, *Theod.*, 1, p. 209 ss.; *Ontologia*, p. 552 ss.—Kleutgen, *Philos. Schol.*, 1, p. 110-118.—Loinaz, *Prael. e Theol. Nat.*, p. 99 ss.—Garrigou-Lagrange, *Dieu*, p. 338.—Cuesta, *Ontologia*, p. 218-229; 239-261.—Hellín, *Theol. Nat.* p. 301 ss.

415. **Nexus.** Pergimus in investigandis praedicatis essentialibus divinis qualia sunt ipsum esse per se subsistens, actus purus et ens per essentiam. Revera aequivalent praedicato in thesí praecedenti iam exposito, nempe plenae identitati essentiae et exsistentiae in Deo.

**CENSURA.** Thesis est certa.

416. **1.ª Formula:** Deus est ipsum esse per se subsistens.

Explicatur: —*Deus:* est nomen concretum.

—*est esse*, nempe est:

—*ens*, aptum ad exsistendum; sic convenit (analogice) Deus cum omnibus entibus etiam possibilibus;

—*Exsistens* concretum a parte rei; sic convenit (analogice) Deus cum omnibus entibus exsistentibus;

—*ipsum esse* significat to esse, to exsistere et nihil amplius quam to exsistere; actualitatem et solum actualitatem, actualitatem puram excludentem non esse aut posse non-esse, non-actualitatem... Inde est sufficientissima exsistendi per se seorsim complete independenter ab omni subiecto superaddito;

—*per se subsistens* significat esse sufficientissimum ut exsistat per se seorsim actu et complete sine admixtione ullius subiecti. Unde esse Dei excludit esse ab alio tamquam a causa efficiente et insuper omne subiectum re aut ratione distinctum in quo recipiatur, quod subiectum sit essentia vel subsistentia. Sic Deus diversificatur ab omnibus entibus.

Ut vides in praedicta formula *ipsum esse* et *esse per se subsistens* significant idem. Repetitio autem fit ut puritas esse Dei et sufficientia subsistendi per se sine admixtione subiecti melius ponderetur sive exprimatur per nomina

abstracta (ipsa exsistentia, ipsa actualitas, ipsa deitas...) sive exprimatur per nomina concreta (ipsum esse, ipsum subsistens...).

### 417. STATUS QUAESTIONIS.

Queritur utrum in Deo esse divinum sit subsistens sine admixtione ullius subiecti necne, eo quod essentia divina, exsistentia divina, natura divina, subsistentia divina et subsistens divinum sint unum idemque.—Responsio est affirmativa. Hoc vero non verificatur in creaturis, quia semper inter illa praedicata datur aliqua distinctio re aut ratione .

### 418. PROBATUR.

Deus est esse subsistens, seu ipsum esse per se subsistens si excludit: 1) omne subiectum a quo recipiat esse; 2) et omne subiectum in quo esse Dei recipiatur. 3) Item si excludit omne subiectum quod recipiat formam per quam subsistat.

Atqui esse Dei excludit omne subiectum supra enumeratum.

Ergo Deus est ipsum esse per se subsistens.

*Maior.* Est definitio ipsius esse per se subsistentis.

*Minor. Deus* 1) est et debet concipi a se formaliter, non ab alio. Ergo excludit subiectum a quo recipiat esse.

2) Eius essentia et *esse* sunt idem per identitatem realem seu a parte rei et per identitatem formalem seu etiam in conceptu. Unde esse Dei nec physice nec metaphysice recipitur in essentia divina tamquam in subiecto. Ergo esse Dei etiam excludit subiectum in quo recipiatur.

3) Nec *esse* Dei indiget forma (subsistentia) supperaddita ut subsistat in se, quia subsistentia est aliqua actualitas, esse vero Dei continet omnem actualitatem sibi penitus identificatam. Ergo esse Dei excludit etiam subiectum quod recipiat formam per quam subsistat.

### 419. 2.ª FORMULA: DEUS EST ACTUS PURUS.

EXPLICATUR: *Deus* est nomen concretum;

—*est actus;* inde est

—*aliquid aptum* ad exsistendum; sic convenit (analogice) Deus cum omnibus entibus etiam mere possibilibus:

—*realitas actualis* per oppositionem ad illud, quod est pure possibile; sic convenit (analogice) Deus cum omnibus entibus actu exsistentibus;

—*absolutus* nullo enim pacto destinatur ad informandum subiectum seu potentiam;

—*purus* sine admixtione ullius potentialitatis. Unde excludit omnem potentialitatem obiectivam, quia Deus non potest esse pure possibilis; item omnem potentialitatem realem subiectivam passivam quia secus posset carere

aliqua actualitate, quod Deo repugnat eo quod sit actualitas pura. Non vero excludit potentiam activam nisi haec ferat secum aliquam potentialitatem.

## 420. STATUS QUAESTIONIS.

Intendimus probare Deum esse actum purum seu realitatem, quae caret omni potentialitate. Sufficeret hic probare explicite Deum esse actum purum secundum quid (non potest acquirere vel amittere ullam perfectionem; unde si aliqua perfectione careat etiam capacitate illam recipiendi careat) et implicite esse actum purum absolute (qui caret potentialitate in linea essendi ut talis et implicite dicat plenitudinem perfectionis). Si vero Deus est actus purus secundum quid, immediate sequitur esse etiam actum purum absolute. Haec formula secunda clarius quam praecedentes excludit a Deo omnem potentialitatem.

Huic doctrinae opponuntur *pantheistae*, *polytheistae*, *pluralistae americani...*

## 421. PROBATUR.

I. Deus est ens absolute necessarium et a se. Atqui ens absolute necessarium et a se est actus purus. Ergo Deus est actus purus.

*Maior.* Iam probata est.

*Minor.* Ens absolute necessarium est:

—*actus*, quia est realitas actualis necessario exsistens;

—actus *purus*, quia eius essentia est formaliter esse cum exclusione omnis potentialitatis; si enim diceret non-esse aut posse non-esse i. e. aliquam potentialitatem, tum diceret contingentiam quoad aliquid sui intrinsecum, quod repugnat omnino enti absolute necessario.

**422.** II. Si Deus est actus purus secundum quid est etiam actus purus absolute. Atqui Deus est actus purus secundum quid. Ergo etiam est actus purus absolute.

*Maior.* Si Deus non esset actus purus absolute tum de facto vel de iure esset mutabile, diceret potentialitatem (in thesi sequenti explicabitur amplius) et inde non esset actus purus secundum quid. Atqui iam probatum in argumento praecedenti Deum esse actum purum secundum quid. Ergo etiam est actus purus absolute.

## 423. 3.ª FORMULA: DEUS EST ENS PER ESSENTIAM.

EXPLICATUR: *Deus* est nomen concretum;

—*est ens* inde aptum ad exsistendum; sic convenit (analogice) Deus cum omnibus entibus etiam pure possibilibus;

—*exsistens* seu exsistentia concreta actualis; sic convenit Deus cum omnibus entibus exsistentibus;

—*per essentiam*, significat praedicatum *exsistentiam* convenire Deo: —*a se*

*ipso*, imparticipate, non per participationem ab alio tamquam a causa efficiente ut accidit cum omnibus rebus a Deo creatis; —*item ex se ipso* ut totam suam essentiam, non per participationem ab ulla forma additam subiecto et ab illo distinctam re vel ratione sive adaequate sive inadaequate; —*et quidem sine exclusione alicuius esse* seu actualitatis. Creaturae omnes habent esse partialiter propter notas limitatas quibus constant et quidem cum exclusione aliarum perfectionum v. c. perfectio hominis non est perfectio angelica nec perfectio divina. Sic Deus diversificatur ab omnibus omnino entibus et constituitur in ordine suo penitus diverso ab omni alio.

## 424. STATUS QUAESTIONIS.

QUAERITUR in thesi utrum Deus sit ens per essentiam necne.

Responsio est affirmativa: Deus est ens per essentiam stricto sensu. Unde praedicatum *esse seu exsistentia* convenit Deo:

1) *A se* non ab alio efficienter. Ergo Deus excludit omnem participationem a causa efficiente.

2) *Ex se ipso* seu ut integra essentia Dei, non vero est ulla forma distincta a subiecto (a Deo, ab essentia divina) realiter aut ratione sive adaequate sive inadaequate, quia si esset pars essentiae divinae Deus illud haberet in quantum supervenit alteri parti et consequenter haberet per participationem. Unde Deus excludit omnem participationem ab aliqua forma addita subiecto physice aut logice.

3) Praedicatum *esse* seu exsistentia in Deo est esse seu actualitas et nihil amplius quam actualitas sine ulla determinatione restringente aut excludente aliquam actualitatem, perfectionem... Unde Deus excludit etiam participationem provenientem ex eo quod eius notae sint formaliter limitatae.

4) Hinc *Deus* est per essentiam suam tum exsistens, tum etiam id quod est et sic excludit omne genus participationis.

*Creatura* est exsistens per participationem et simul est id quod est per participationem aliquo ex modis praedictis.

## 425. PROBATUR.

Deus est ens exsistens per essentiam, si exsistentia convenit Deo:

1) A se seu sine ulla dependentia a causa efficiente.

2) Ex se ipso ut integra essentia sine dependentia ab ulla forma re aut ratione distincta ab essentia.

3) Et quidem sine exclusione alicuius perfectionis.

Atqui praedicatum esse seu exsistentia convenit Deo modo praedicto.

Ergo Deus est ens exsistens per essentiam.

*Maior*. Est definitio entis exsistentis per essentiam.

*Minor*. 1) Quia Deus est ens exsistens a se.

2) Essentia, exsistentia, subsistentia in Deo sunt unum idemque re et ratione.

3) Exsistentia Dei est actualitas et nihil amplius quam actualitas, actualitas pura sine exclusione alicuius actualitatis seu perfectionis.

N. B. Hoc argumentum potest applicari omnibus perfectionibus divinis: omnes enim Deo conveniunt per essentiam suam.

## ARTICULUS III

### De omniperfectione divina

**THESIS 16. Deus est omniperfectus.**

426. **Bibliographia.**—S. Th., 1, q. 4, a. 2; 1 CG, c. 31.—Suárez, DM 30, 1, 8.—Hontheim, *Inst. Theod.*, p. 293.—Urraburu, *Theod.*, 1, p. 221 ss.—Schaaf, *Theol. Nat.*, p. 243.—Loinaz, *Prael. e Theol. Nat.*, p. 102 ss.—Arnou, *Theol. Nat.* (1947), p. 138.—Hellín, *Theol. Nat.*, p. 339.

427. **Nexus.** In ente absolute necessario et a se, ut constat ex praecedentibus, essentia est esse et nihil amplius quam to esse. Nunc investigamus utrum illa essentia contineat omne esse, omnem actualitatem, omnem perfectionem necne.

### 428. NOTIONES.

*Deus* est ens absolute necessarium, a se et omniperfectum.

*Perfectio* est forma perfecti seu est id quo aliquid formaliter perfectum redditur v. c. albedo in nive, quae eam optimo modo possidet; vel etiam quaecumque forma, entitas, realitas aut etiam gradus realitatis ut intellectio volitio, diversi gradus intellectionis, volitionis, etc.

**Perfectum:** *vi vocis* seu etymologice est totaliter factum. Sic domus totaliter facta dicitur perfecta; nihil enim ei deest ad sui complementum. Unde proprie dicitur de rebus factis et hoc sensu solummodo convenit creaturis, non Deo.

*Realiter* seu secundum significationem est illud, cui nihil deest eorum, quae illi debentur sub eo respectu, quo perfectum dicitur sive secundum essentiam, sive secundum integritatem, sive secundum convenientiam accidentalem. Hoc sensu potest convenire tum Deo tum creaturis.

429. Divisiones perfecti:

Perfectum simpliciter et secundum quid:

*P. simpliciter* est illud, quod ex omni parte habet totam perfectionem sibi debitam et convenientem, quam natura exigit, v. c. homo beatus (beatitudo naturalis).

*P. secundum quid* est illud, quod ex parte tantum habet totam perfectio-

nem, quam natura sua exigit v. c. infans est homo perfectus ex parte essentiae, non vero ex parte integritatis et finis; vir aegrotus ac debilis est perfectus homo quoad essentiam, non vero quoad integritatem.

Perfectum simpliciter potest esse relative et absolute:

*P. s. relative* est illud, quod ex omni parte habet totam perfectionem quam natura sua exigit, sed natura sua exigit habere omnem perfectionem in aliquo ordine determinato v. c. homo in statu beato.

*P. s. absolute* (omniperfectum) est illud, quod ex omni parte habet totam perfectionem quam natura exigit, et natura exigit habere omnem perfectionem possibilem et omnem gradum possibilem: sic solus Deus.

*Perfectum natura sua* seu per essentiam est illud quod vi essentiae suae necessario exsistit et necessario ei perfectio debetur.

*Perfectum per participationem* est quod habet perfectionem ab alio donatam.

**430. Imperfectum:** *vi vocis*, est illud quod non est totaliter factum v. c. domus sine tecto.

*Realiter* in genere est illud cui aliquid deest.

*Imperfectum privative* seu stricto sensu (quod opponitur perfecto realiter paulo antea definitio) est illud, cui aliquid deest eorum, quae illi debentur secundum exigentias suae naturae v. c. homo sine brachio.

*Imperfectum negative* seu improprie est illud, cui aliquid deest, sed hoc non exigitur a sua natura v. c. lapis sine visu.

### 431. STATUS QUAESTIONIS.

1) Ex praecedentibus constat hoc: essentia divina est esse seu actualitas pura.

2) Quaeritur in hac thesi: illud esse divinum, illa actualitas divina quid complectitur, quotnam perfectiones Deus habet vel melius quanta sit perfectio Dei? Et respondemus Deum ex natura sua habere omnem possibilem realitatem seu perfectionem meliori modo possibili (quia hic modus est etiam aliqua perfectio) et gradum eius summum possibilem, quaecumque tandem sint illae perfectiones possibiles.

Praescindimus hic ab infinitate i. e. utrum talis perfectio sit infinita seu inexhauribilis necne per aliquam mensuram determinatam perfectionis.

3) Haec thesis facile deducitur ex praecedentibus: si enim Deus est esse purum seu actualitas pura inde sequitur immediate esse actum purum in omni linea seu in linea essendi. Ergo in linea essendi non habet ullam potentialitatem ideoque continet omnem perfectionem seu est Omniperfectus.

### 432. ADVERSARII.

1) Omnes illi qui negant exsistentiam Dei.

2) *Pantheistae*, qui identificant cum ente necessario omnia, etiam entia imperfecta.

3) *Evolutionistae* iuxta quos Deus potius quam omniperfectus, infinite perfectibilis dicendus est.

### CENSURA.

Est certa et communis omnium scholasticorum. In Theologia de fide catholica, DB 1782.

### 433. PROBATUR.

I. Deus est causa prima incausata (implicite iam probatum est esse unicam) et adaequata omnium perfectionum actualium et potest causare omnia possibilia. Atqui talis causa debet continere omnes illas perfectiones sive actuales sive possibiles. Ergo Deus continet omnes possibiles perfectiones seu est omniperfectus.

*Maior.* Patet Deum continere omnes perfectiones increatas.

Probatum est in secunda via S. Thomae exsistere causam incausatam et implicite esse unicam.

Quod possit causare omnia possibilia sic probatur. Possibilia sunt illa, quae possunt coniungi cum exsistentia sine contradictione, non quidem a se, utpote contingentia, sed ab alio, ab aliqua causa efficiente, quae ultimatim non potest esse nisi Deus causa prima incausata. Si enim non daretur causa quae possit illa producere, daretur haec contradictio: possibilia possent exsistere a parte rei et quidem a se ipsis ex defectu causae efficientis; aliunde quoniam sunt entia contingentia non possent exsistere a parte rei a se, ex se ipsis, sed ab alio.

*Minor.* Patet quia omnis causa debet continere perfectionem effectus.

434. II. Deus seu essentia divina est actualitas pura. Atqui actualitas pura habet omne esse seu omnem perfectionem possibilem. Ergo Deus habet omnes perfectiones possibiles seu est omniperfectus.

*Maior.* Essentia divina seu essentia entis absolute necessarii in tantum est essentia entis absolute necessarii in quantum est et quidem adaequate esse seu exsistentia, actualitas et nihil amplius quam actualitas absque ulla potentialitate. Si enim diceret potentialitatem ad non-esse vel ad aliquod esse, tum non haberemus essentiam entis absolute necessarii; nam illud quod non est et potest esse; aut illud quod est et potest non esse, hoc inquam, est contingens, non pertinet ad ens absolute necessarium.

*Minor.* 1) Si enim non haberet omne esse seu omnem actualitatem, tum Deus non esset actualitas pura et nihil aliud, sed actualitas restricta ad talem gradum cum exclusione aliorum graduum possibilium et non daretur ratio sufficiens talis restrictionis. Talis enim ratio:

*a)* non esset causa efficiens, quia in ente absolute necessario et a se non datur;

*b)* non esset subiectum recipiens actualitatem divinam, quia tale subiec-

tum etiam excluditur a Deo: essentia divina est exsistentia divina; exsistentia autem divina est essentia divina.

*c)* Nec ipsa essentia divina, quia secus essentia quae dicit solum esse et quidem adaequate, diceret simul non-esse (i. e. restrictionem, potentialitatem et quidem provenientem unice ab essentia, quae est tantum esse) seu praedicatum sibi oppositum, quod repugnat.

*Minor.* 2) Secus daretur potentialitas, mutabilitas in ente absolute necessario: nam v. c. cognitio illarum perfectionum, quas non haberet: ex una parte posset ab illo obtineri (si enim homo potest cognoscere omne ens, a fortiori eius causa, Deus); ex alia vero parte ipsum solum non posset illas perfectiones cognoscere, quia non fundarentur in sua essentia. Unde manifesta est dependentia, potentialitas, contingentia, quod omnino repugnat enti absolute necessario.

## 435. OBIECTIONES.

1) Futura libera absoluta et futuribilia non fundantur in essentia divina et tamen cognoscuntur a Deo. Ergo ens absolute necessarium seu Deus non est solummodo determinatus ad cognoscendum quidquid fundatur in sua essentia, contra id quod supponitur in argumento.

Resp. Nego antecedens.

Explicatio. Omnis realitas, omne verum in essentia divina tamquam in fonte omnis realitatis invenitur. Et sic Deus ex essentia sua est determinatus ad cognoscendum quidquid cognoscibile est. Secus

*a)* aut Deus non posset cognoscere omne verum et tunc esset deterioris conditionis quam homo, qui potest cognoscere omne verum;

*b)* aut a vero, quod est extra ipsum, determinaretur ad cognoscendum quod repugnat;

*c)* Si vero Deus potest seu est capax cognoscendi omne verum etiam actu cognoscit, in eo enim potentialitas dari non potest;

*d)* Unde termini necessarii intellectionis divinae ad quod est determinatus Deus ex sola sua essentia sunt ipse Deus et etiam omnia possibilia.

Quoad actus liberos creaturae Deus ex sola sua essentia non potest illos cognoscere, quia nexus est contingens et inde Deus ex sola sua natura indifferens est ad cognoscendum hoc aut illud; sed insuper requiritur decretum divinum sive hypotheticum sive absolutum et determinatio libera creaturae: proinde ipsum futurum liberum et futuribile formaliter constitutum requiruntur tamquam conditio sine qua non possunt a Deo cognosci, ut postea videbimus.

2) Deus non habet potentiam peccandi, fabricandi chimaeras, entia rationis. Atqui illa potentia est efficiens et dicit perfectionem. Ergo Deus non est omniperfectus.

Resp. Dist. Mai. Deus non habet illam potentiam quatenus est deficiens seu sub ratione privationis C.; quatenus est efficiens dicens perfectionem. Subd. non habet eam formaliter C.; non habet eam eminenter et virtualiter N.

Explicatio. Thesis dicit Deum habere quidquid perfectionis est in creaturis, non quidquid imperfectionis. Unde: an sit perfectio est quaestio praevia ad thesim.

*a)* Procul dubio Deus cognoscit omnia illa: peccata, impossibilia, chimaeras...; nunc praescindimus a modo. Potest etiam cognoscere entia rationis, quae humanus intellectus fingit, prout sunt obiective in illo.

*b)* Termini cogitati: negationes v. c. tenebrae, vacuum; privationes v. c. peccatum, caecitas...; chimaerae stricto sensu v. c. circulus quadratus, angelus alatus... non possunt esse in Deo seu fundari in essentia divina, siquidem nulla gaudent entitate, sed tantum carentiam entitatis involvunt.

Chimaerae sensu lato v. c. bos alatus et alia quae finguntur a poetis, si sunt possibilia, procul dubio sunt in Deo.

*c)* Potentiae illae quatenus efficientes et dicentes perfectionem aliquo modo sunt in Deo: eminenter et virtualiter: nullo modo possunt esse quatenus deficientes.

*Potentia peccandi:* est efficiens et deficiens et sic quatenus deficiens nullo modo est in Deo et proinde non potest peccare.

*Potentia fabricandi chimaeras:* 1) Stricte tales, v. c. circulum quadratum, angelum alatum. Entia haec ne obiective quidem in mente vere exsistere possunt ut talia, sed solum ratione terminorum. Unde Deus videt circulum et videt ex alia parte quadratum et simul non posse uniri inter se, quamvis nos ibi aliquid fingere potuerimus. 2) Late tales v. c. bovem alatum et alia similia, utpote possibilia Deus potest cogitare, sed sine fictionibus ut faciunt poetae, proinde talis potentia est in Deo eminenter et virtualiter, non vero formaliter ut in poetis.

*Potentia fabricandi entia rationis.* Est etiam potentia simul efficiens et deficiens: quatenus efficiens est eminenter in Deo quatenus deficiens nullo modo potest esse in Deo.

*Ens rationis* (cum fundamento in re) «est illud, quod tantum obiective in intellectu existere potest». Fabricare illa entia dicit imperfectionem siquidem debet aprehendi aliquid, quod non habet entitatem positivam instar entium illam habentium v. c. si apprehendo caecitatem ut aliquid positivum per modum qualitatis in subiecto. Unde quod significatur inveniri potest a parte rei, sed non ut apprehenditur, ut realitas positiva, ut ens rationis. Deus autem nihil fingit sed unumquodque repraesentat prouti est in se. Ergo non potest fabricare entia rationis.

## ARTICULUS IV

### De modo quo Deus perfectiones omnes contineat

**THESIS 17. Deus continet perfectiones rerum virtute et eminenter omnes, simpliciter simplices etiam formaliter, mixtas autem non formaliter, sed eminenter.**

436. **Bibliographia.**—S. Th., 1, q. 4, a. 2; 1 CG, c. 31.—Suárez, DM 30, 1, 8.—Hontheim, *Prael. Theod.*, p. 297 ss.—Urraburu, *Theod.*, 1, p. 228 ss.—Schaaf, *Theol. Nat.*, p. 253.—Loinaz, *Prael. e Theol. Nat.*, p. 106 ss.—Descoqs, *Prael. Theol. Nat.*, 2, p. 659.—Arnou, *Theol. Nat.* (1947), p. 138.—Hellín, *Theol. Nat.*, p. 253.

437. **Nexus.** In thesi praecedenti probavimus Deum habere omnes perfectiones possibiles; nunc quaeritur quomodo perfectiones tam variae in Deo contineantur.

### 438. NOTIONES.

*Perfectio* est forma perfecti; quaelibet realitas vel entitas, qua aliquid constituitur in suo esse completo aut perfecto.

Perfectio simpliciter simplex est illa, quae in suo conceptu formali et praecisivo (prout exprimitur per definitionem) nullam dicit imperfectionem. Seu est illa, quae in omni ente quatenus est ens est melior ipsa quam non ipsa. Sic vita, ens vivens est melius quam nihil et melius quam perfectio opposita ens non vivum. *a)* Est *positive* talis si imperfectionem positive excludit v. c. aeternitas, actus purus; *b)* est *praecisive* talis si praescindit ab imperfectione ita ut cum imperfectione coniungi possit; sic bonitas, sapientia, etc...

Perfectio mixta est illa quae in suo conceptu formali et praecisivo dicit perfectionem admixtam imperfectioni v. c. ratio quantitatis est melius quam nihil, non autem est melius quam perfectio opposita, spiritus purus.

Perfectio simplex est illa quae in suo conceptu nullam includit imperfectionem, tamen non est melior ipsa quam perfectio opposita penitus aequivalens. Sic omnes et solae relationes divinae ad intra: paternitas, filiatio, spiratio.

439. Modus continendi aliquam perfectionem diversus esse potest:

*Intentionaliter:* si eam intelligit aut amat;

*Physice* si subiectum eam habet secundum entitatem realem. Hoc autem diversimode fieri potest:

*Formaliter*, si subiectum continet illam secundum propriam definitionem illius sive *numerice* sive *specifice*. Sic est secundum propriam formam individualem (numerice) aqua in fonte antequam eam effundat; sapientia in Deo et sapientia in homine sapiente siquidem habent notitiam certam et evidentem rerum per ultimas causas. Pater continet perfectionem filii non numerice eamdem, sed secundum perfectionem specificam; Deus continet perfectionem sapientiae, quae est in creaturis secundum propriam definitionem sapientiae...

*Eminenter stricto sensu*, quando subiectum continet illam perfectionem, non formaliter, sed in alia entitate nobiliori, quae vel potest producere eam perfectionem secundum suum esse formale; vel saltem potest praestare eosdem effectus ac praestat illa perfectio ubi est formaliter. Sic Deus continet eminenter virtualiter quantitatem; angelus continet eminenter aequivalenter ratiocinium.

Unde continentia eminentialis stricto sensu importat: non continere illam perfectionem in sua propria forma; continere illam virtute aut aequivalentia sine imperfectionibus ac defectibus propriis continentiae formalis.

*Eminenter lato sensu* potest ita intelligi: quando continetur in subiecto aliqua perfectio in propria forma meliori modo sic sapientia hominis continetur eminenter in angelo; vel meliori modo possibili, sic sapientia creaturarum est in Deo.

*Virtualiter*, quando subiectum habet virtutem seu potentiam activam ad producendam illam perfectionem formaliter; seu quando a subiecto produci potest tanquam a causa efficiente sive adaequate sive inadaequate quocumque modo effectus in causa sit; ita intellectus continet virtualiter intellectionem.

*Aequivalenter*, si subiectum non continet eam secundum propriam formam, neque potest producere eam, sed tamen habet perfectionem, quae praestat quantum illa perfectio.

**440.** *Causa univoca* est illa, quae continet effectum secundum eadem formam, sic pater respectu filii.

*Causa aequivoca* est illa, quae continet effectum secundum formam nobiliorem, sic Deus quoad omnes perfectiones creaturarum.

## 441. STATUS QUAESTIONIS.

Thesis habet tres partes.

*1.ª pars.* Deus continet omnes perfectiones creaturarum virtute et eminenter. Agimus de perfectionibus, quae sunt in creaturis et prout sunt in creaturis.

*2.ª pars.* Deus continet etiam formaliter perfectiones simpliciter simplices. Agimus de perfectionibus, quae sunt in creaturis, sed non prout sunt in creaturis, sed in conceptu praecisivo in quo perfectionem dicunt et praescindunt ab imperfectione.

*3.ª pars.* Deus continet perfectiones mixtas eminenter. Agimus de perfec-

tionibus creaturarum et prout sunt in creaturis et etiam in conceptu praecisivo, quia in utroque casu important imperfectionem perfectioni admixtam.

## 442. PROBATUR.

**1.ª Pars.** Deus *a)* est causa efficiens prima, et *b)* aequivoca omnium perfectionum. Atqui *a)* ut causa prima continet virtualitater omnes perfectiones effectuum, et *b)* ut causa aequivoca easdem tenetur continere, forma excellentiori. Ergo Deus continet omnes perfectiones creaturarum virtute et eminenter.

*Maior.* *a)* Constat ex 2.ª et 3,ª via S. Thomae.

*b)* Quia est causa imparticipata, effectus vero sunt participati.

*Minor.* *a)* Omnis causa debet virtualiter continere perfectionem effectus, et si est adaequata debet continere illam adaequate. Atqui Deus est causa prima et etiam adaequata omnium rerum. Ergo Deus continet virtualiter et adaequate perfectiones omnium rerum.

*b)* Perfectio effectus non potest superare perfectionem causae. Atqui talis perfectio nequit esse in aequali nobilitate in causa aequivoca. Ergo continetur in ea excellentius, eminentius.

**443. 2.ª Pars.** Deus est ex natura sua omniperfectus, inde habet omnes perfectiones possibiles et meliori modo possibili seclusa omni imperfectione. Atqui perfectiones simpliciter simplices secundum suam definitionem sunt perfectiones et nullam includunt imperfectionem. Ergo Deus continet illas etiam formaliter.

*Maior.* Iam probata est in thesi praecedenti.

*Minor.* Constat ex definitione perfectionis simpliciter simplicis.

**444. 3.ª Pars.** Perfectio mixta etiam in suo conceptu praecisivo dicit perfectionem admixtam imperfectioni. Atqui talis perfectio in omniperfecto formaliter adesse nequit, et debet adesse. Ergo Deus continet perfectiones mixtas solum eminenter.

*Maior.* Constat ex eius definitione.

*Minor.* Perfectio mixta exsistens formaliter in Deo nobiliores perfectiones ab eo expelleret v. c. ratio corporis expelleret perfectionem spiritus puri. Atqui tum omniperfectum careret perfectionibus nobilioribus, quod admitti non potest. Ergo Deus continet perfectiones mixtas non formaliter, sed eminenter.

**445. SCHOLIUM I. De momento 2.ªᵉ partis theseos.**

Pars secunda theseos est praecipua et fundamentalis ad nostram cognitionem de ipso Deo. Sic enim revera possumus cognoscere Deum esse ens, viventem, sapientem, etc...

Tamen, nota bene, sapientiam v. c. esse in Deo formaliter et praecisive sumptam non signi

ficat reperiri realizatam in Deo sub praecisione et indeterminatione, i. e. sub forma nec affirmante nec negante imperfectionem. Reperitur enim determinata et repellens positive imperfectionem. Sed significat esse talem, cui definitio sapientiae proprie competat et est in Deo formaliter et modo perfectissimo et alterius ordinis; seu eminenter improprie quatenus habet eam cum exclusione imperfectionum quarum est capax et quas habet sapientia creata. Sed haec continentia eminentialis non impedit quominus eam habeat vere et formaliter.

Item omnes scholastici quoad factum secundae partis conveniunt, non tamen in ulteriori explicatione, ut videbimus. Iuxta thomistas Deum continere formaliter perfectiones simpliciter simplices creaturarum significat dari in Deo et in creaturis illas rationes formaliter et intrinsece, non vero dari rationes formaliter similes, quia non datur similitudo in forma, sed dari similes relationes. Iuxta Suarezianos significat dari in Deo et in creaturis illas rationes formaliter intrinsece et insuper esse formaliter similes, datur enim inter eas similitudo in forma et non solum inter habitudines.

### 446. SCHOLIUM II. De participatione creaturarum a Deo (65).

PARTICIPARE.—*Etymologice* significat *partem habere.* Sic nihil participare stricte potest esse divinum utpote partibus carens. Sed participare etiam significat: *accipere* communicatum esse, imitans partialiter et imperfecte esse alterius. In hoc sensu dicimus res creatas participare esse divinum. Nam:

Res mundanae accipiunt a Deo totum suum esse, quia Deus est causa prima incausata (unica) adaequata omnium perfectionum creaturarum. Esse creatum imitatur partialiter et imperfecte esse divinum; etenim ex una parte creaturae habent quasdam perfectiones (simpliciter simplices) quae Deo et creaturis conveniunt secundum propriam definitionem, et sic Deum imitantur. Ex alia vero parte hae perfectiones sunt in Deo meliori modo possibili, infinite, a se; in creaturis modo limitato, ab alio, non dicentes totam rationem essendi, et sic esse Dei imperfecte imitantur.

Atqui hoc est participare esse divinum, ut diximus in definitionibus. Ergo mundanae perfectiones participant esse divinum.

—Scholium hoc est fundamentum ontologicum thesis de analogia.

## 447. OBIECTIONES.

1) Perfectio mixta essentialiter fert secum imperfectionem. Atqui in Deo nulla imperfectio. Ergo perfectio mixta non potest esse in Deo.

Resp. Conc. Maiorem et minorem.

Disting. cons. non potest esse formaliter C.; ne eminenter quidem N.

EXPLICATIO. Perfectio mixta v. c. ratio quantitatis dicit perfectionem et simul imperfectionem. Perfectio et imperfectio sunt undequaque permixtae in ratione formali quantitatis ita ut nihil sit in illa ratione quod non dicat simul ens seu perfectionem et non-ens seu negationem vel exclusionem entis seu perfectionis.

Iam vero Deus habet, non formaliter sed eminenter quidquid entis seu perfectionis est in quantitate, non vero quidquid imperfectionis seu exclusionis entis identificatae cum illa perfectione.

Nec potest dici eam esse formaliter in Deo seclusa omni imperfectione, quia tum periret ratio formalis quantitatis. Si vero Deus continet eminenter perfectionem quantitatis caret aliquo sub ratione imperfectionis; si vero aliquam perfectionem simpliciter simplicem non haberet formaliter careret aliquo sub ratione perfectionis, quod admitti non potest in Deo.

2) Iuxta definitiones initio datas pugnat Deum habere aliquam perfectionem simul formaliter et eminenter stricto sensu. Atqui hoc affirmatur in enuntiatione theseos. Ergo datur contradictio.

---

(65) DESCOQS, *Prael. Theol. Nat.*, 2, p. 659.

Resp. Conc. mai. et nego minorem.

Explicatio. In prima et secunda parte agitur de una eademque perfectione sed sub diverso respectu: in prima parte de perfectionibus, quae sunt in creaturis et prout sunt in creaturis; in secunda vero de perfectionibus quae sunt in creaturis, sed non prout sunt in creaturis, sed prout sunt in conceptu praecisivo. Prae oculis habenda sunt sequentia:

1) Continentia formalis et eminentialis proprie dicta alicuius perfectionis numquam simul esse possunt in eodem subiecto ut constat ex earum definitionibus. Continentia formalis et eminentialis lato sensu coniungi possunt.

2) Continentia eminentialis proprie dicta et virtualis separari possunt v. c. angelus continet eminenter ratiocinium non vero virtualiter quamvis certe potest praestare eosdem effectus; pater continet perfectionem filii virtualiter, non eminenter.

Sed possunt etiam coniungi; sic in omni causa aequivoca respectu suorum effectuum v. c. Deus continet eminenter et virtualiter omnes perfectiones creaturarum.

3) Continentia formalis et virtualis separari possunt, sic v. c. ratio corporis est in ferro lapide formaliter, non virtualiter, quantitas est in Deo virtualiter, non formaliter.

Sed etiam coniungi possunt; sic in omni causa univoca respectu suorum effectuum, pater continet perfectionem filii formaliter et virtualitcr.

4) Pantheismus reiciendus est. Atqui si dicis Deum habere omnes perfectiones creaturarum in pantheismum incidis. Ergo illas non habet Deus.

Resp. Conc. mai. et nego minorem.

Explicatio. Omnes perfectiones creaturarum sunt in Deo, sed sunt numerice distinctae in Deo et in creaturis. Summa vero perfectionis Dei et creaturae non faciunt maiorem perfectionem, sed solum faciunt plura subiecta perfecta. Revera individuatio uniuscuiusque creaturae est in Deo tota quanta, non formaliter sed eminenter, quia individuatio creata est quidem perfectio sub ratione individuationis et hoc sensu habet eam Deus; sed etiam est imperfectio quatenus talis individuatio sc. rei finitae. Carere autem imperfectione et limitatione non est carere ente, sed negatione entis.

## ARTICULUS V

### De infinitate Dei

**THESIS 18. Deus est simpliciter infinitus.**

448. **Bibliographia.**—S. Th., 1, q. 7, a. 1.—Suárez, DM 30, 2; *De Deo*, l. 2, c. 1.—Piccirelli, *De Deo*, p. 171 ss.—Hontheim, *Inst. Theod.*, p. 310 ss.—Urraburu, *Theod.*, 1, p. 460 ss.; *Ontologia*, p.556.—Schaaf, *Theol. Nat.*, p. 258 ss. Loinaz, *Prael. e Theol. Nat.*, p. 113 ss.—Arnou, *Theol. Nat.* (1947), p. 149 ss.—González Álvarez, *Teol. Nat.*, p. 411 ss.—Hellín, *Theol. Nat.*, p. 470 ss.

449. **Nexus.** In duabus thesibus praecedentibus probavimus Deum continere omnem possibilem perfectionem et modum quo Deus perfectiones tam varias contineat. Nunc probandum est illam perfectionem seu realitatem esse in Deo gradu infinito inexhauribili. Haec thesis exactius inter attributa negativa Dei poneretur, sed utilius, saltem pro nostra methodo hic collocatur.

### 450. NOTIONES.

Finitum est: ens cum fine, cum limite. Ens quod caret ulteriore realitate aut perfectione possibili sive generica sive specifica. Ens quo maius cogitari potest, in sua linea.

*Limes a)* sensu primitivo significat terminum quantitatis v. c. domus cum tecto dicitur terminata. *b)* Sensu derivato et propio transfertur ad quamcumque realitatem seu perfectionem entis restrictam in aliquo subiecto ad certos terminos, quibus dicitur ens finiri v. c. homo in perfectione sapientiae, bonitatis. Hoc sensu:

Limes *definitur:* Carentia ulterioris perfectionis possibilis in quantum est perfectio. Ubi enim incipit imperfectio, impossibilitas erit si vis aliquis terminus, finis, sed non proprie limes.

Limes formaliter dicit negationem perfectionis, sed connotative dicit praeterea positivam realitatem de qua negat ulteriorem perfectionem possibilem. Unde duo indicat: positivam realitatem et negationem ulterioris perfectionis possibilis.

Proinde 1) Non est mera negatio cum aliquid positivum indicet. 2) Neque est formaliter privatio, cum non sit necessaria carentia debitae perfectionis. 3) Sed est negatio ad modum privationis, eo quod significet ens quod ultra non protenditur. 4) Non est idem ac determinatio, nam etiam infinitum est determinatum, non determinatione limitum, sed determinatione distinctionis.

INFINITUM est ens sine limite, sine fine.

**451.** Infinitum privative et negative.

PRIVATIVE (opponitur perfecto) est illud ens quod non habet finem, terminationem, sed postulat ex natura sua habere illum quatenus privatur aliqua perfectione debita. a) *Incompletum*, quod dicit privationem perfectionis sine qua subsistere potest, sic domus quae non est terminata secundum suam finalitatem, domus sine tecto. b) *Indeterminatum*, quod dicit privationem perfectionis sine qua subsistere non potest, sic materia prima carens forma, vel forma substantialis carens materia.

NEGATIVE est illud ens quod non habet finem, sed nec postulat habere; ens quod actu caret limitibus et fine in eo ordine in quo est infinitum. Et quoniam limes est carentia ulterioris perfectionis possibilis. Infinitum negative est ens quod caret carentia ulterioris perfectionis possibilis; seu ens quod habet omnem perfectionem possibilem et omnem gradum realitatis possibilis (infinitum in quantum est illimitatum) sese protendentis sine fine seu inexhauribiliter, sine mensura (infinitum inexhauribile).

**452.** Infinitum potentia et infinitum actu.

POTENTIA (syncategorematicum, indefinitum) est ens quod sine fine augeri potest. Actu tamen est finitum, habet limites, sed potest ulterius crescere nec est in potentia ut fiat actu infinitum v. c. multitudo actu finita, quae additis novis unitatibus augeri potest.

INFINITUM ACTU (categorematicum) quod actu negat in se limites et finem in eo genere in quo infinitum dicitur v. c. multitudo actu infinita, quae actu infinitas res contineret. Ita etiam Deus, si est infinitus.

**453.** Infinitum simpliciter et infinitum secundum quid.

SIMPLICITER est quod actu caret limitibus absolute seu in omni linea realitatis et haec realitas est inexhauribilis per quamcumque mensuram determinatam perfectionis. Sic, ut probabitur in thesi, solus Deus, qui est inexhauribilis per omnes gradus entis sine fine acceptos eosque sine ulla proportione superans.

**454.** N. B. Verba *exhauribile*, *inexhauribile* proprie loquendo applicantur ad quantitatem, sed per quandam translationem sermonis possunt applicari ad perfectionem quidditativam in qua neque ullae partes sint neque ulla divisio. Si supponatur aliquam magnitudinem v. c. extensionis esse maximam et superare meam imaginationem; si tamen adsit possibilitas ut per mensuram determinatam aequetur, illa magnitudo semper ab omnibus iudicatur finita. Si vero quantitatem seu magnitudinem excogites, quam impossibile erit secundum determinatam mensuram aequare illam addendo partes, exhaurire eas detrahendo, at semper sine ulla proportione mensuram excedit; illa magnitudo semper ab omnibus iudicatur infinita.

Sic etiam loquendo de perfectione quidditativa. Si illa realitas potest aequari per mensuram determinatam, semper erit finita. Si vero illa realitas talis est ut non possit aequari ab ulla perfectione determinati gradus licet indefinite multiplicetur et augeatur, tunc illa realitas seu perfectio quidditativa erit revera infinita. Unde vera infinitas semper includere debet inexhauribilitatem. Et ita omnes intelligunt infinitum.

**455.** SECUNDUM QUID est illud quod caret limitibus in aliqua linea vel ordine, secundum talem determinatam rationem et non secundum aliam v. c. in sapientia, in longitudine, in magnitudine, in multitudine ita ut hae realitates non possint dinumerari aut exhauriri per quamcumque mensuram determinatam. Illud vero definientes non affirmamus tale ens dari aut esse possibile; iuxta communem sententiam impossibile esse videtur.

Pro thomistis infinitum secundum quid etiam est illud quod caret limitibus in aliqua linea realitatis ita ut haec realitas sit finita natura sua, sed exhaurit sine limite totam intelligibilitatem speciei seu totam perfectionem in sua linea specifica. Sic perfectio formae angelicae in theoria thomistica ita ut sint tot species angelorum quot angeli.

**456.** Infinitum simpliciter concipitur constare triplici infinitate:

*a)* Infinitate *radicali*, i. e. vi essentiae suae exigit esse infinitum. *b)* Infinitate *extensiva*, i. e. omnes perfectiones possibiles vel rationes entis complectitur. Attamen non est summa omnium perfectionum possibilium et si concederentur actu infinitae multae. Numquam igitur adaequatur Deus infinitus a perfectionibus creatis, cum sit alterius ordinis. *c)* Infinitate *intensiva* prout omnes gradus perfectionis habet, i. e. non solum omnes perfectiones possibiles, sed omnes in gradu infinito seu inexhauribili. Sed iterum non est perfectio creata in indefinitum aucta, sed alterius ordinis; inde unaquaeque perfectio possibilis creata v. c. sapientia est in Deo incommensurabiliter perfectius.

**457.** *Bene distinguendum est* inter omniperfectum, infinitum, totum, indeterminatum et indefinitum.

*OMNIPERFECTUM* tribuit Deo explicite omnem realitatem seu perfectionem possibilem (infinitum in quantum est illimitatum seu carens limite); implicite vero etiam debet dicere illam realitatem esse inexhauribilem (infinitum sub ratione inexhauribilitatis). Tale ens est simplicissimum et praeter illud dantur aliae res, nempe creaturae dependentes ab eo.

*SIMPLICITER INFINITUM.* Tribuit Deo explicite non solum omnem perfectionem possibilem (ens infinitum in quantum illimitatum), sed etiam illam perfectionem esse inexhauribilem per quamcumque mensuram determinatam perfectionis. Tale ens est simplicissimum et extra illud dantur aliae res, nempe creaturae dependentes ab illo.

*TOTUM* est «ens extra quod nihil est» (sub ea ratione sub qua totum dicitur); unde proprium est totius ut omnia contineat in se ipso et extra ipsum nihil esse; et praeterea dicit esse compositum ex partibus et inde dependentiam et imperfectionem. Quare si infinitum (more pantheistico) defineretur «ens extra quod nihil est», Deus omnes realitates cum suo limite formaliter contineret, quod repugnat.

*INDETERMINATUM*, quod in singulis partibus determinaretur; nam indeterminatum dicit potentialitatem, i. e. carentiam et capacitatem actus recipiendi; infinitum vero, quia plenitudo entis, excludit potentialitatem quamlibet.

*INDEFINITUM:* quod progressu continuo ad perfectionem tenderet numquam plene attingendam; nam indefinitum dicit potentiam, quae numquam potest transire ad plenum actum. Ergo perpetuam imperfectionem et essentialem finitudinem; infinitum vero, quia plenitudo entis, excludit potentialitatem quamlibet.

## 458. STATUS QUAESTIONIS.

QUAERIMUS utrum Deus sit simpliciter infinitus necne.

*Agimus* de omniperfectione et de infinitate seorsim ex rationibus antea dictis. Affirmamus et probamus in hac thesi Deum esse infinitum negative et po-

sitive actu et absolute, inde esse inexhauribilem per quamcumque mensuram determinatam perfectionis excogitabilis.

—Si probatur infinitas negativa eo ipso probata manet infinitas positiva; item si probatur infinitas radicalis seu exigitiva eo ipso probata manet infinitas formalis et actualis: ens enim absolute necessarium et a se, quidquid exigit habere, actu habet cum potentialitas in ipso repugnet.

—Etsi argumenta pro omniperfectione et pro infinitate revera conveniant facilius probatur omniperfectio quam infinitas sub ratione inexhauribilitatis. Nam negata omniperfectione Dei sunt possibiles perfectiones extra ipsum, quo posito facile patet potentialitas Dei. Negata vero infinitate Dei sub ratione inexhaurabilitatis non statim apparet esse possibiles perfectiones extra ipsum et inde non manifeste apparet potentialitas.

## 459. SENTENTIAE.

*1.ª sententia* negat infinitatem: sic Hobbes, Calvinista Vorstius, pantheistae, materialistae, pluralistae angli et americani, positivistae, neocriticistae et quicumque alii fingunt Deum corporeum aut imperfectionibus obnoxium.

*2.ª sententia* admittit infinitatem Dei, sed negat posse probari efficaciter ex ratione. Sic nominalistae ut Ockam, G. Biel; traditionalistae, ut Bautain, qui hanc sententiam retractavit et debuit subscribere huic propositioni: «Ratiocinatio potest cum certitudine probare exsistentiam Dei et infinitatem perfectionum eius» (D. 1622).

*3.ª sententia* communis inter scholasticos asserit Deum esse infinitum simpliciter et ratione naturali demostrari posse.

## CENSURA.

Certa tum infinitas tum demonstrabilitas in philosophia. De fide catholica definita in Theologia DB 1622; 1782.

## 460. PROBATUR.

Deus est ens absolute necessarium et a se. Atqui ens absolute necessarium et a se nequit esse limitatum et exhauribile.

Ergo Deus est ens infinitum tam in ratione carentiae limitum quam in ratione inexhauribilitatis.

*Maior.* Probata manet in tractatu de exsistentia Dei.

*Minor.* Positive excluditur omnis ratio limitationis et exhauribilitatis. Non enim est: *causa efficiens*, quia Deus est ens absolute necessarium et a se, et quidem non efficienter sed formaliter; *subiectum recipiens*, quia tale subiectum in casu esset essentia divina; essentia autem et esse Dei perfecte et adaequate identificantur; *essentia divina*, quae ex se ipsa esset restricta ad talem gradum perfectionis prae aliis possibilibus, quia (iam probatum est Deum esse omniperfectum) essentia quae est adaequate esse et solum esse, daret sibi

formaliter non-esse, quod repugnat. Ergo Deus est infinitus sub ratione carentiae limitum.

INSUPER EST INFINITUM SUB RATIONE INEXHAURIBILITATIS:

Essentia divina non potest esse restricta ad summum gradum possibilem, sed exhauribilem.

Nam 1) Quaelibet perfectio creata v. c. esse, sapientia... est in Deo ut in causa efficiente aequivoca modo essentialiter eminentiori, altiori, nobiliori incomparabiliter maiori et perfectiori (quia identificata est cum asseitate et cum omnibus perfectionibus secundum implicitum) et quidem ex ipsa ratione perfectionis v. c. esse, sapientiae.

2) Haec perfectio excellentisima in Deo est imitabilis ad extra modo indefinite augibili: nam dato quolibet gradu perfectionis extra Deum v. c. gradus -x- sapientiae, hic gradus -x- datur in Deo modo firmiori et essentialiter perfectiori. Hic gradus firmior et perfectior in Deo est imitabilis ad extra in sapientia creata -x'-. Item hic gradus -x'- est firmior et perfectior in Deo et est imitabilis ad extra in sapientia creata -x''- et ita porro sine fine.

Ergo Deus est etiam infinitus in ratione inexhauribilitatis.

Tandem 3) Si ens absolute necessarium est finitum et exhauribile daretur haec contradictio: quatenus est ens absolute necessarium et actus purus essentialiter excludit possibilitatem ulterioris perfectionis extra se, quia nulla potentialitas in illo dari potest; quatenus finitum et exhauribile, saltem ex suo conceptu, permitteret extra se possibilitatem exsistentiae aliarum perfectionum et iam daretur potentialitas, ut probavimus cum egimus de omniperfectione. Nec valet dicere alias perfectiones esse impossibiles, quia si illa entitas est finita et exhauribilis per mensuram determinatam perfectionis permittit ex suo conceptu alias et alias sine fine extra se; quod omnes philosophi sine difficultate admittunt.

**461. SCHOLIUM. De efformatione conceptus finiti et infiniti.**

*FINITUM.* Conceptus finiti partim est positivus, partim negativus.

*Quomodo efformatur?* *a)* Sufficit percipere ens cum limite, ens carens aliqua ulteriori realitate possibili; ens quod est minus alio ente. *b)* Unde non est necesse ut conceptus finiti efformetur per negationem infiniti seu ex praevia notione infiniti, seu ex comparatione cum infinito. *c)* Verum est quod eo ipso quod quaevis ulterior perfectio de ente negetur, negatur infinita perfectio, sed hoc fit implicite absque previa notione infiniti.

*INFINITUM.* Est conceptus significans rem positivam. Est conceptus partim positivus partim negativus. Positivus in quantum perfectio positiva fuerat concepta. Negativus in quantum perfectio percepta induebatur negatione limitum. Et sic realitas positiva concipitur per duos conceptus negativos aequivalenter modo positivo: est realitas positiva quod caret carentia ulterioris perfectionis.

*Quomodo efformatur?* 1) Concipio v. c. rationem entis in ente finito. 2) Deinde in illa ratione praescindo ab omni limite et habeo infinitum praecisive. 3) Tandem addo negationem omnis limitis et habeo conceptum entis infiniti simpliciter seu in ratione entis inexhauribilis per quamcumque mensuram determinatam.

Quomodo constat de realitate conceptus? Huic conceptui respondere aliquid a parte rei aut aliquid positivum non nisi a posteriori ope discursus cognoscere possumus. Unde probamus

exsistere a parte rei et deinde concludimus ad eius possibilitatem: de facto ad posse valet illatio. Unde infinitum simpliciter est prius ente finito in ordine ontologico seu in ordine exsistentiae, sed est posterius in ordine nostrae cognitionis.

## 462. OBIECTIONES.

1) Deus est ipsum esse. Atqui esse invenitur limitatum et finitum. Ergo Deus est finitus.
Dist. mai. Est ipsum esse per se subsistens C.; est esse in communi N.
Contrad. min. Esse per se subsistens N, esse in communi Subd. prout est in statu abstractissimo N. prout invenitur in rebus creatis C.
Atqui etiam esse per se subsistens est finitum. Ergo...

2) Deus seu esse per se subsistens est idem ac suum esse. Atqui creatura est suum esse et est finita. Ergo etiam Deus seu ipsum esse per se subsistens est finitum.
Dist. mai. Deus est suum esse per identitatem realem et formalem C.; solum per identitatem realem N.
Contrad. min. Creatura est suum esse per identitatem realem et formalem N.; solum per identitatem realem C.

Explicatio. *A)* Deus est suum esse per identitatem realem et formalem, i. e. essentia et exsistentia divina identificantur tum realiter, tum in conceptu. Creatura est suum esse solum per identitatem realem, i. e. essentia et exsistentia in creatis identificantur realiter; non est suum esse per identitatem formalem. i. e. in conceptu distinguuntur. Fundamentum talis distinctionis est contingentia; essentia enim creata potest esse et non esse, non habet in se rationem sufficientem exsistentiae inde potest concipi non exsistens, in potentia ad exsistentiam, quod repugnat Deo.

Quod aliquis actus non sit actus purus, sed limitatus sic explicatur iuxta nos.

*B)* Essentia creata limitatur per se ipsam formaliter eo quod constat talibus notis, eo quod sit talis imitatio finita essentiae divinae infinitae quae fundat omne illud quod est esse.

Exsistentia creata limitatur: *a)* Efficienter per virtutem agentis, quae talem essentiam et non aliam ponit in actu.

*b)* Physice, per realem identitatem cum tali essentia finita v. c. essentia hominis «animal rationale» postulat esse humanum et non aliud.

*c)* Metaphysice per respectum ad essentiam finitam cui respondet.

Atqui etiam esse Dei est limitatum et finitum. Ergo...

3) Esse Dei est esse irreceptum. Atqui esse creaturae est etiam esse irreceptum et est finitum. Ergo etiam esse Dei est finitum.
Dist. mai. Esse Dei est irreceptum absolute tum physice tum metaphysice C.; solum physice N.
Contr. min. Esse creatum est irreceptum absolute... N.; solum secundum quid, i. e. physice C.

Explicatio. Esse Dei penitus identificatur cum essentia divina; unde non recipitur in illa nec physice seu tamquam actus physicus in potentia subiectiva physica, neque metaphysice seu tamquam actus metaphysicus in potentia metaphysica.

Esse autem creaturae non recipitur physice in essentia, sed recipitur metaphysice, quia essentia et existentia in creatis distinguuntur ratione.

Atqui esse absolute irreceptum est finitum. Ergo...

4) Esse absolute irreceptum est primum principium rerum. Atqui primum principium rerum est imperfectum et finitum. Ergo esse absolute irreceptum est finitum.
Dist. mai. Est primum principium materiale N.; primum principium efficiens C.
Atqui primum principium efficiens est finitum. Ergo...

5) Extra primum principium efficiens sunt perfectiones productae. Atqui si esset infinitum nulla perfectio esset extra illud. Ergo primum principium efficiens rerum est finitum.

Dist. mai. Sed dependenter ab illo et in illo aliquo modo contentae C.; independenter ab illo N.

Atqui perfectiones creaturarum nullo modo continentur in Deo. Ergo...

6) Si Deus contineret omnes perfectiones creaturarum, eo nihil maius excogitari posset. Atqui potest. Ergo Deus nullo modo continet perfectiones creaturarum.

Concedo Maiorem et Nego minorem.

7) Aggregatum Dei cum creatura est quid maius quam solus Deus. Ergo potest excogitari aliquid maius Deo.

Dist. antec. Est quid maius intensive seu in ratione perfectionis N.; Est quid maius extensive seu in ratione numeri Subd. secundum perfectionem univocam imparticipatam N.; secundum perfectionem analogam unam ab alia participatam C.

Atqui aggregatum Dei et creaturae est quid maius Deo etiam intensive. Ergo...

8) Realitas addita realitati, non numerum solum perfectorum, sed et perfectionem ipsam facit maiorem. Atqui creatura suam habet realitatem, ut Deus suam. Ergo aggregatum Dei et creaturae est quid maius Deo etiam intensive.

Dist. mai. Si utraque habet valorem independentem et proprium C.; si nihil proprii habet sed tota quanta est mera participatio et representatio alieni valoris N.

Atqui etiam si realitas creaturae sit tantum repraesentatio, imitatio realitatis Dei, aggregatum utriusque facit valorem intensive maiorem.

9) Moneta aurea, cui cuprea accedit, facit valorem intensive maiorem. Atqui respectu auri cuprum est deficiens imitatio. Ergo imitatio analoga non impedit creaturam facere cum Deo perfectionem intensive maiorem.

Dist. mai. quia moneta cuprea habet valorem proprium independentem a moneta aurea C.; si valor eius contineretur in moneta aurea N.

Contr. min. Insuper est participatio valoris auri N.; habet proprium valorem independentem ab auro C.

Explicatio. Moneta cuprea habet valorem independentem a moneta aurea seu non habet valorem ab ipsa participatum; moneta aurea non est causa producens esse et valorem monetae cupreae. Item moneta aurea etsi sit pretiosior moneta cuprea, tamen sunt eiusdem ordinis monetarii, unde plures monetae cupreae aequivalere possunt uni monetae aureae et sic summa earum omnium valorem augent. Deus vero est in ordine suo omnino peculiari.

Atqui si perfectio creaturae iam contineretur aliquo modo in Deo, non esset infinitus. Ergo...

10) Quia tum Deus esset aliquid omnino determinatum. Atqui quod est determinatum non est infinitum. Ergo si perfectio creaturarum iam contineretur aliquo modo in Deo, Deus non esset infinitus.

Dist. mai. aliquid omnino determinatum determinatione limitum N.; determinatione distinctionis C.

Atqui quod est determinatum determinatione distinctionis est necessario finitum. Ergo...

11) Quod ita est haec substantia ut non sit alia est finitum. Atqui Deus ita est haec substantia ut non sit alia. Ergo Deus est finitus.

Dist. mai. Quod ita est haec substantia praedicamentalis ut non sit alia substantia praedicamentalis est finitum C.; quod ita est haec substantia extrapraedicamentalis et imparticipata ut non sit alia praedicamentalis est necessario finitum. Subd. si non continet aliam nec formaliter, nec virtualiter aut eminenter C.; secus N.

Atqui si Deus ita est haec substantia quomodocumque ut non sit alia est finitus.

12) Quod ita est hic ut non sit alibi localiter finitum est. Ergo a pari quod ita est hoc ut non sit aliud erit in ratione entis finitum.

Nego paritatem. Nullus est locus qui eminenter contineat reliqua loca; contrarium accidit quoad esse Dei.

13) Sapientia Dei infinita argueret obiecta infinita actu cognita. Atqui obiecta extra Deum non possunt esse infinita. Ergo nec sapientia Dei est infinita.

Resp. dist. mai. Arguet obiectum intensive infinitum qualis est essentia Dei cum imita-

bilitatibus C.; etiam obiectum extensive infinitum Subd. rerum exsistentium N.; possibilium uno vel alio modo Tr.

Explicatio. I. Cum imitabilitas Dei seu essentiae divinae infinita sit, termini seu imitationes eius claudi non poterunt seu possibilia erunt infinita eaque omnia simul et actu distincte Deus cognoscere debet. Sed quaeritur: illa possibilia sunt categorematice an syncategorematice infinita? Acriter disputatur.

II. Infinitum secundum quid.

a) *Infinitum actu in una linea* v. c. in sapientia, impossibile communius censetur. b) *De continuo*, vel de processu in infinitum (concordant scholastici in asserenda repugnantia). c) *Multitudo actu infinita* rerum exsistentium impossibilis etiam communis censetur; rerum possibilium et generatim possibilium ab intellectu divino cogitorum, utrum sit possibilis necne acriter disputatur; sed si daretur numerari non possit. d) *Numerus actu infinitus* esse nequit, siquidem est multitudo mensurata per unum; et nullum ens finitum potest esse mensura proportionata ad infinitum. e) *Infinitum mathematicum* fingitur ut magnitudo excedens omnem magnitudinem determinatam v. c. si dicitur vim atractionis in distantia infinita esse nullam seu lineas parallelas coincidere in distantia infinita, illud punctum infinite distans non est aliquod punctum fixum seu datum, sed terminus nunquam realizandus seu est terminus non exsistens operationis impossibilis.

Unde infinitum de quo sermo est in scientiis est: vel indefinitum quantitate (quod est infinitum secundum quid et in potentia); vel impossibile v. c. duae parallelae sese contingunt in infinito.

14) Repugnat numerus infinitus. Atqui Deus subiicitur legibus numeri. Ergo repugnat Deus infinitus.

Resp. Trans. maior.

Dist. min... numeri mathematici seu quantitativi N. legibus numeri transcendentalis Subd. hoc sensu quod quatenus est ens est etiam unum C.; quatenus infinitudo divina esset numerus infinitus entitatum realiter distinctarum seu modorum N.

15) Deus comprehenditur a se ipso. Atqui quod comprehenditur finitum est. Ergo Deus est finitus.

Resp. dist. mai. Intellectu infinito C.; facultate finita N.

Contr. min. A facultate finita C.; vel Tr.; quod comprehenditur a facultate infinita Subd., si videt illud limitibus clausum C.; si videt ita ut non sit ulterius procedendum in cognitione illius N.; intellectus infinitus sibi adaequans obiectum infinitum, hoc minime limitat.

16) Quod pertransitur finitum est. Atqui si Deus a se ipso comprehenditur, ab illo pertransitur. Ergo si Deus comprehenditur est finitus.

Resp. Dist. mai. Si proprie pertransitur, i. e. per partes et successive C.; quod pertransitur improprie quidem et simul totaliter apprehendendo illud Subd. Si est infinitum N.; secus C.

Explicatio. Phrasis *infinitum pertransiri nequit* applicatur infinito in potentia in quo non est quiescere in ultimo, cum additio semper fieri posset.

17) Tu supponis in argumento possibilitatem positivam entis infiniti. Sed quo iure? Hoc est probandum in thesi.

Resp. Nego. In hac thesi praebeo conceptum infiniti praescindendo a possibilitate et ab eius exsistentia. Probo in thesi exsistere ens infinitum simpliciter et iam de facto ad posse valet illatio.

18) Ordo cognitionis ordini reali respondere debet. Atqui secundum realem ordinem prius est infinitum quam finitum Ergo conceptus infiniti est prior conceptu finiti.

Resp. Dist. mai. Cognitio nostra debet res prout sunt in se ipsis apprehendere C. Debet quoque in illis cognoscendis eumdem ordinem tenere. Neg. Id enim est contra experientiam.

19) Finitum et infinitum contradictorie opponuntur. Ergo finitum sine praevia cognitione infiniti cognosci non potest.

Resp. 1) Retorquco: Ergo etiam infinitum sine praevia cognitione finiti cognosci non potest.

2) Nego Ant. Finitum non est solum negatio infiniti seu non-finitum. Est perfectio aliqua positiva cum negatione ulterioris perfectionis. Unde quamvis vi nominis finitum non-finitum contradictorie opponantur; in re potius contrarie.

Finitum ex parte sua negativa dicit negationem omnis ulterioris perfectionis. Ergo nequit cognosci sine praevia cognitione infiniti.

Resp. Dist. ant. Implicite C.; Explicite N. Sufficit negatio cuiuscumque ulterioris perfectionis.

20) Limes datur ubi una realitas est extra aliam. Atqui dantur realitates extra Deum. Ergo in Deo datur limes.

Resp. Dist. mai. Si insuper illa realitas caret alia realitate, quatenus perfectio est C.; si caret illa realitate deficiente, quatenus deficit Neg.

Contrd. minorem.

21) Homo est adeo nobilis ut non possit aequari ab omnibus brutis etiam si in infinitum multiplicentur et augeantur in perfectione, et tamen homo non est infinitus, sed alius generis superioris. Ergo a pari neque Deus erit infinitus licet nulla entitas extra Deum possit illum aequare etiamsi in infinitum multiplicetur.

Resp. Conc. antec. et nego consequens et paritatem. In primo casu comparo hominem cum bruto in ea ratione v. c. in intelligentia, in qua brutum est nihil. In secundo casu comparo Deum cum creaturis in illis rationibus in quibus creatura est aliquid, v. c. in sapientia, sanctitate, pulchritudine... quod potest crescere sine fine; et dicimus etiamsi in infinitum augeantur et multiplicentur, numquam posse aequare Deum, sed in eo illas perfectiones esse incomparabiliter superiores.

22) Argumentum solum probat non apparere rationem limitationis, sed forsam sit. Ergo non probat.

Resp. Nego antecedens. Omnis ratio limitationis positive excluditur. Nam ens a se certo exsistit. Ergo limitatum vel illimitatum. Iam in ordine ontologico positive excluditur omnis ratio limitationis, quia impossibile est ut limitetur neque ab extrinseco neque ab intrinseco. Ergo ens a se est infinitum.

23) Infinitum quale a nobis describitur est staticum seu in sua perfectione immobile. Atqui hic statismus est maxima imperfectio. Ergo asserendum est infinitum dynamicum seu semper perfectio progrediens.

Resp. Dist. mai. Staticum i. e. sine ulla activitate Neg.; sine ulla potentialitate, perfectione ulteriori Conc.

# CAPUT II

## De essentia metaphysica et physica Dei

**THESIS 19. Essentia metaphysica Dei reponi debet in eo quod Deus sit ens a se; essentia vero physica in eo quod sit omniperfectus.**

463. **Bibliographia.**—S. Th., I, q. 3, a. 4; q. 4, a. 2; 1 CG, c. 22 et 29; *De Pot.*, q. 7, a. 2.—Suárez, *De Deo uno*, l. 1, c. 3, n. 1-3.—Petavius, *De Theologicis dogmatibus*, I, l. 1, c. 6.—Wirceburgenses, *De Deo*, p. 52-55.—Piccirelli, *De Deo*, n. 281 ss.—Franzelin, *De Deo*, p. 247.—Palmieri, *Inst. philos.*, 3, p 141.—Hugon, *De Deo*, p. 67-74.—Hontheim, *Inst. Theod.*, n. 482.—Urraburu, *Theod.*, 1, p. 270-291.—Muncunill, *De Deo uno*, p. 65-67.—Billot, *De Deo* 7, p. 93.—Brosnan, *Theot. Nat.*, p. 128.—Schaaf, *Theot. Nat.*, p. 295.—Donat, *Theod.* n. 146.—Van de Woestyne, *Curs.*, p. 752.—Loinaz, *Prael. e Theol. Nat.*, p. 93.—Mz. del Campo, *Theol. Nat.*, p. 247.—Gz. Álvarez, *Theot. Natural*, p. 369.—Hellín, *Theol. Nat*, p. 314.—Arnou, *Theot. Nat.* (1947), p. 122.

464. **Nexus.** Pertractatis generalioribus attributis, quae totam Dei essentiam quasi describunt ut sunt asseitas, necessitas, actus purus, ipsum esse per se subsistens, ens per essentiam, omniperfectus... antequam ad attributa magis particularia accedamus reflexe examinabimus haec praedicata ut determinemus categoriam in qua collocanda sunt nempe quodnam ex his praedicatis sit quasi essentia metaphysica Dei seu quasi radix omnium attributorum, quodnam vero essentia physica.

### 465. NOTIONES.

Essentia in genere est id quo res formaliter est id quod est.

*Physica* est quidditas rei (seu id quo res constituitur) prout est vel esse potest a parte rei independenter a mentis consideratione. Est complexus eorum omnium, quibus res formaliter in suo primo esse independenter a mentis consideratione constituitur. Si est composita habet partes realiter distinctas v. c. anima et corpus in homine.

*Metaphysica* est quidditas rei seu id quo res formaliter in suo primo esse constituitur prout concipitur a mente. Seu est complexus eorum quibus res concipitur (proinde dependenter a mentis consideratione) formaliter constituta in suo primo esse. Unde illis partibus metaphysicis conceptis res concipitur formaliter constituta et illis non conceptis res nondum concipitur formaliter constituta. Vocari solet primum constitutivum formale rei. Si est composita habet partes ratione adaequate distinctas v. c. in homine animalitas et rationalitas.

*Metaphysica stricte sumpta* est illa quae exprimitur per conceptus logicos

adaequate distinctos i. e. per genus proximum et ultimam differentiam v. c. homo est animal rationale.

*Metaphysica latius sumpta* (quasi essentia metaphysica) est illa quae exprimitur per conceptus logicos inadaequate distinctos qui sunt quasi genus et quasi differentia.

Notae essentiae metaphysicae sunt vel concipiuntur.

*a)* Ut primum constitutivum adaequatum rei ita ut rationem sui in alio intrinseco, quod sit prius in ordine ontologico non habeat.

*b)* Ut primum distinctivum ab omni alio seu ut illud per quod illa res primo ab omnibus aliis non habentibus eamdem essentiam distinguitur. Sic facultate loquendi homo ab omnibus aliis distinguitur, sed non primo, quia habet rationem in essentia.

*c)* Ut primum principium seu prima radix vel quasi radix ontologica et fons ceterorum, quae per modum proprietatum rei insunt et ab ea deduci possent a priori vel quasi a priori secundum explicitum.

**466.** Ens a se seu ens exsistens a se.

*Pars communis.* 1) *Ens* seu aptum ad exsistendum. In hac nota Deus convenit analogice cum omnibus entibus etiam possibilibus. 2) *Exsistens:* ens quod actu exsistit a parte rei. In hac nota Deus convenit analogice cum omnibus entibus exsistentibus a parte rei.

*Pars quasi differentialis. A se, asseitas.* Per hanc notam Deus diversificatur ab omnibus omnino entibus. Et quidem a se intelligi potest:

1) *Negative:* i. e. ens, quod non est ab alio. 2) *Positive:* i. e. ens cuius essentia est exsistentia; ens cuius essentia ex eo quod sit talis essentia exsistit, vel ens cuius essentia est actualitas, unde exsistit vi essentiae suae; in sua essentia habet rationem sufficientem suae exsistentiae physicae.

**467.** Ipsum esse per se subsistens. Cfr. explicationem huius formulae in thesi 15.

## 468. STATUS QUAESTIONIS.

1) *Quaestio est* de essentia Dei seu de primo constitutivo formali et adaequato essentiae Dei seu de illo quo primo et adaequate formaliter Deus est id quod est.

2) *In prima parte* agimus de essentia metaphysica Dei et quaeritur: quaenam est essentia metaphysica Dei seu quid est illud quo primo et adaequate et formaliter Deus seu substantia divina est id quod est prout concipitur a mente nostra cum fundamento in re cognitione analogica ex creaturis desumpta.

3) Hic, ut ex dictis apparet, consideratur essentia (substantia, natura) in sua linea entitativa constitutiva ut tale, essentia ut sic seu iuxta id quod dicit definitio essentiae. Non vero consideratur essentia in linea operativa ut est formaliter natura seu ut principium operationum ita ut defigamus mentem in aliqua operatione determinata. Hoc enim principium in rigore non est constitutivum formale primarium.

N. B. El constitutivo formal de Dios es:

*a)* Desde el punto de vista de la esencia, la «exsistentia a se».
*b)* Desde el punto de vista de la naturaleza, el entender actualísimo.
*c)* En la linea de la superabundancia del ser, el amor. Cfr. FINLAYSON *Dios y la Filosofía* (1945), p. 12-13.

4) *Non est quaestio* de essentia metaphysica *stricte sumpta.* Haec enim exprimitur per genus proximum et ultimam differentiam et non est in Deo.

Nam Deus non est in genere, non constat partibus metaphysicis adaequate distinctis secundum rationem. Neque est in eo aliquod praedicatum quod proprie et stricte sit radix vel concipiatur stricte ut radix caeterorum praedicatorum, quia ad hoc requireretur distinctio rationis mutua et perfecta inter illud praedicatum et reliqua praedicata et attributa, quod omnino est impossibile, siquidem quodlibet attributum Dei quia infinitum in omni linea entis continet implicite quoad nos determinate et formaliter reliqua omnia praedicata.

5) *Est quaestio* de essentia metaphysica Dei *in sensu latiori* i. e. possumus asserere Deum habere aliquod praedicatum quod pertineat ad essentiam divinam, quod concipiatur ut primum constitutivum adaequatum rei, ut primum distinctivum ab omni alio, ut fundamentum seu prima quasi radix, ex qua per analysim quasi a priori, solum penes explicitum cetera attributa explicentur, dummodo non intelligatur emanare ex illo praedicato per ullam emanationem aut causalitatem.

6) *Quare non investigatur* praecise ratio aliqua vel praedicatum, quod sit primum in ordine subiectivo nostrae cognitionis seu primum cognitum a nobis ex rebus creatis, sed quod sit quasi primum obiective et ontologice seu tale ex quo reliquae perfectiones ac praedicata etiam essentialia fluere a priori concipiantur et per quod omnia demonstrari queant quasi a priori.

7) *In secunda parte* agimus de essentia physica et dicimus essentiam physicam Dei reponendam esse in omniperfectione.

## 469. SENTENTIAE.

*1.ª sententia.* Aliqui commentatores PLATONIS (in *Republica*, VII, 517 d.) sustinent Bonitatem esse primum constitutivum formale Dei.

*2.ª sententia.* PLOTINUS asserit Unitatem esse ante et supra omnem entitatem et supra omnem intelligentiam.

*3.ª sententia.* S. AUGUSTINUS saepe loquitur de immutabilitate ut est primum constitutivum Dei et ut primum distinctivum a creaturis.

*4.ª sententia.* Alii ut *voluntaristae* SECRETAM, LEQUIER et BOUTROUX reponunt constitutivum essentiae divinae in Libertate.

*5.ª sententia* censet essentiam metaphysicam Dei sitam esse in infinitate sed aliter et aliter:

a) *Nominales* ut OCKAM, GABRIEL BIEL, P. DE AILLY... (iuxta theoriam de universalibus) eam reponunt in infinitate extensiva in eo quod Deus habeat omnes perfectiones possibiles et excogitabiles. Ratio eorum est quia essentia metaphysica est constitutivum adaequatum rei seu collectio omnium notarum, unde Deus adaequate constituitur ut talis per infinitatem extensivam.

**470.** b) *Aliqui scotistae*, etiam CARTESIUS et LEIBNIZ ut videtur, eam reponunt in infinitate intensiva eo quod Deus habeat omnes perfectiones possibiles modo perfectissimo quo possunt

esse, i. e. in summo gradu sine limite. Nam essentia est primum distinctivum rei. Deus autem primo distinguitur ab omni alia eo quod omnes perfectiones habet summo gradu sine limite.

**471.** c) *Plerique scotistae* et P. PALMIERI, S. J., eam reponunt in infinitate radicali in eo quod esse divinum exigat habere omnes perfectiones in summo gradu tum extensive tum intensive. Ratio est quia essentia metaphysica est primum principium et prima radix omnium proprietatum entis; iam vero in nostro conceptu infinitas radicalis est prima radix omnium proprietatum Dei et primum distinctivum a creaturis. Sic SCOTUS, MAYRONIS, FRASSEN, HENNO, VAN DE WOESTYNE.

**472.** *6.ª sententia. Multi thomistae* asserunt essentiam metaphysicam Dei esse in eo quod Deus sit intelligere divinum quatenus gradus intellectivus est perfectissimus inter gradus naturarum constitutivos. Sed aliter et aliter:

*a)* CAIETANUS et alii sustinent esse intelligere radicale remotum seu subtantiam intellectivam. *b)* GODOY, ARRIAGA, S. J... sustinent esse intelligere radicale proximum seu potentiam intellectivam quatenus essentia metaphysica intelligitur prima radix omnium proprietatum entis.

*c)* GONET, FERRARIENSIS, J. A SANCTO THOMA, BILLUART... sustinent esse intelligere actuale seu formale, quatenus Deus est intellectio subsistens. Ratio est quia essentia metaphysica Dei est id quod perfectissimum concipitur, unde fit ut illud sit idem radix ceterarum proprietatum entis. Iam vero intelligere actuale est id quod perfectissimum concipitur inter gradus constitutivos naturae (exsistere, vivere, sentire, intelligere).

N. B. Intelligere (sive radicale sive actuale) potest sumi:
*a)* quatenus natura ab essentia virtualiter distinguitur (tunc natura-intelligere actuale; essentia-asseitas);
*b)* aut quatenus natura identificatur cum essentia. Porro alii et alii distinguunt et unam alteramve sententiam propugnant.

**473.** *7.ª sententia*, est illorum qui affirmant essentiam metaphysicam Dei consistere in eo quod Deus sit ipsum esse per se subsistens. Hoc enim praedicatum non est primum quod cognoscimus de Deo, sed est quod concipimus ut primum et ut fundamentum ontologicum ceterorum in Deo. Nam si quaeras quaenam est ratio cur Deus non possit esse ab alio et cur sit sufficientissimus per se ipsum ad exsistendum, respondemus: quia formaliter est exsistentia subsistens; si autem quaeras cur sit ipsa exsistentia subsistens iam pervenimus ad ultimum de quo non possit dari ulla ratio ontologica nisi quia ita est. Sic plures thomistae: BÁÑEZ, ÁLVAREZ, LEDESMA, PRADO, HUGON, MANSER, GARRIGOU-LAGRANGE, MAQUART, ARNOU, G. ÁLVAREZ. Item SUÁREZ, MOLINA, TONGIORGI, MENDIVE, SCHAAF, SCHIFFINI, URRABURU, HELLÍN et plurimi alii.

Unde pro hac sententia hic est ordo attributorum:
*a)* Quoad nostram cognitionem: ens a se absolute necessarium, ipsum esse per se subsistens seu actualitas pura, ens per essentiam, omniperfectum, simpliciter infinitum, etc.
*b)* Ordo ontologicus: Actualitas pura seu esse per se subsistens, ens per essentiam, unde sequitur quod sit ens necessarium et a se non ab alio, omniperfectum, simpliciter infinitum...

**474.** *8.ª sententia* asserit essentiam metaphysicam Dei recte reponi posse in eo quod Deus sit ens a se. Unde asseitas non solum est quod primo cognosci-

mus de Deo propter argumenta, quae probant eius exsistentiam et ex asseitate ut ex principio logico prius cognito deducimus cetera, sed etiam est quod concipitur ut primum et ut fundamentum ontologicum ceterorum in Deo. Sic non pauci thomistae et plurimi iesuitae: FRANZELIN, WIRCEBURGENSES, HONTHEIM, MUNCUNILL, PETAVIUS, DONAT, BROSNAN, MZ. DEL CAMPO, DEL VAL, BERTI...

Unde pro hac sententia hic est ordo attributorum:

*a)* Ordo cognitionis: ens absolute necessarium et a se, ipsum esse per se subsistens, actus purus, ens per essentiam, omniperfectum, simpliciter infinitum...

*b)* Ordo ontologicus: eodem modo ordinanda sunt...

N. B. Inter auctores qui sustinent septimam et octavam sententiam: 1) Alii pro eodem habent reponere essentiam metaphysicam Dei in asseitate et in exsistentia subsistente, quia hae diversae formulae differunt, ut videtur, non tam re significata, quam modo diverso idem significandi. Sic Descoqs.

2) Alii negant hoc. Nam asseitas pro illis dicit unde res non sit et quomodo sit, i. e. non est ab alio et exsistit per plenam sufficientiam suimetipsius, sed non dicit expresse quid res sit; si enim quaeratur quid Deus est respondendum est Ipsum esse per se subsistens, quod aequivalet praedicato «actus purus» in ratione entis, vel etiam «ens per essentiam». LOINAZ, n.º 398.

**475.** *9.ª sententia.* MARTÍNEZ DEL CAMPO reponit essentiam metaphysicam in eo quod Deus sit Ipsum esse per se subsistens et a se exsistens. «Explicitos, ait, dixeris, nos non habere patronos. Sed multae asseclae octavae et nonae sententiae conveniunt inter se litem esse de voce; et idcirco eos conciliandos esse putamus per nostram sententiam.»

### CENSURA.

Certa: ens a se ita explicatum manet ut aequivaleat formulae: «Ipsum esse per se subsistens.»

### 476. PROBATUR.

**1.ª Pars.** I. Ut aliquod praedicatum determinatum dicatur essentia Dei metaphysica requiritur et sufficit:

—ut sit primum constitutivum adaequatum rei ita ut rationem sui non habeat in priori perfectione;

—ut sit primum distinctivum ab omni alio seu illud quod rem primo distinguit ab omnibus aliis.

—ut concipiatur a nobis cum fundamento in re ut primum principium seu prima quasi radix ontologica et fons omnium attributorum, quae deducuntur ab illa quasi a priori secundum explicitum.

Atqui tale est in Deo ens a se.

Ergo essentia quasi metaphysica Dei in eo consistit quod sit ens a se.

*Maior.* Est definitio essentiae metaphysicae in Deo.

*Minor. Asseitas negative* significat negationem originis ab alio, non accipere esse ab alio; *positive* vero est exsistentia propria Dei. Iam vero asseitas hoc sensu intellecta.

a) *Est perfectio intrinseca essentiae* divinae: Asseitas enim est exsistentia propria Dei, exsistentia vero divina est tota et sola essentia divina, aliquid intrinsecum essentiae divinae. Ergo asseitas est perfectio intrinseca essentiae divinae.

b) *Est perfectio necessaria* essentiae divinae: Asseitas est exsistentia divina, exsistentia vero in Deo est absolute necessaria Ergo asseitas est etiam perfectio necessaria essentiae.

c) *Est primum constitutivum* essentiae, in nullo enim priori radicem habet: asseitas est exsistentia Dei, exsistentia vero in Deo est tota et sola essentia divina sine causa a qua procedat et sine subiecto in quo recipiatur. Ergo asseitas est constitutivum essentiae et quidem primum constitutivum.

d) *Est primum distinctivum* ab omni alio. Nam in universo ordine entis nulla est differentia prior vel maior quam ea, qua ens divinum et creatum discriminantur.

Itaque in divisione entis statim primo loco Deus tamquam ens a se a communione reliquorum entium, quae sunt ab alio, separandus est, ut deinde seorsim per substantiam et accidens et reliqua inferiora genera et species dividantur et ordinentur.

e) *Ut concipiatur* a nobis cum fundamento in re *ut primum principium*. Deus exsistit vi asseitatis solius. Unde asseitas et ipsa sola est prima radix exsistentiae divinae et essentiae divinae cum illa identificatae, et inde etiam omnis perfectionis necessariae seu omnium attributorum divinorum.

Quodlibet aliud attributum Dei prout inadaequato conceptu nostro exhibetur est perfectio essendi in aliqua linea ac proinde supponit perfectionem essendi simpliciter seu a se, ut principium. Prius in Deo est esse eius quam haec vel illa perfectio. Unde omnia attributa divina possumus deducere quasi a priori ex eo quod Deus sit ens a se.

N. B. Quamvis formula «ens a se» re coincidat cum aliis v. c. cum formula «Ipsum esse per se subsistens», prima forma est commodior et utilior pro nostro modo procedendi in toto tractatu Theodiceae. Definitio enim exprimitur per genus proximum et ultimam differentiam. Iam definitio quae in thesi datur, clare rationem entis quasi genus proximum et asseitatem per modum differentiae exhibet; id quod in aliis definitionibus minus belle se habet.

**477.** II. Aliae explicationes non sufficiunt. Ergo reiciendae sunt et nostra sententia acceptanda.

*1.ª sententia.* Non est Bonitas. Ens et bonum identificantur in re. Sed conceptus entis est prior conceptu boni et sic primo concipimus Deum esse ens quam esse bonum. Ergo Bonitas non est essentia metaphysica Dei.

*2.ª sententia.* Non est Unitas. Unum significat ens non divisum et sic conceptus entis prior est quam conceptus unius. Ergo primo concipimus Deum esse ens quam esse unum.

*3.ª sententia.* Non est immutabilitas. Sicut radix mutabilitatis est contingentia et potentialitas entis, sic radix immutabilitatis Dei est absoluta necessitas seu actualitas pura Dei. Ergo Deus est immutabilis quia est absolute necessarium et a se seu esse purum et non e contra.

*4.ª sententia.* Non est Libertas. Prius enim est cognoscere seu intelligere quam eligere et prius quam eligere est esse. Ergo esse divinum est radix intelligentiae et libertatis divinae.

**478.** *5.ª sententia.* a) *Non est infinitas extensiva.* Haec sententia non distinguit essentiam physicam ab essentia metaphysica. Tota quaestio insoluta manet. Quaeritur enim qualis ex

multis perfectionibus divinis sit quasi radix ex qua aliae perfectiones ut proprietates deduci possent quasi a priori. Praeterea multa attributa concipiuntur quasi radicari seu explicitari per aliud attributum quod ut prius concipitur. Ergo...

b) *Non est infinitas intensiva.* Quia prius est esse absolute necessarium et a se; habere suum esse subsistens, quam omnes et singulas perfectiones in gradu infinito. Infinitas ergo apparet ut aliquid derivatum ab ente absolute necessario et a se. In modo concipiendi infinitas est aliquid negativum, negativum autem debet fundari in aliquo positivo.

c) *Non est infinitas radicalis.* Quia explicandum manet in quo praecise fundatur illa exigentia omnium perfectionum et fundatur praecise in asseitate, quae est nostra sententia. Igitur etiam apparet infinitas radicalis ut aliquid derivatum ab asseitate vel ab esse per se subsistente.

**479.** *6.ª sententia.* Non est esse intellectivum. Certe constitutivum formale rei est gradus perfectissimus entitatis, sed non ideo reponendum est in aliquo particulari gradu entitatis, sed in illo quod supponit omnem gradum entitatis. Atqui intelligere divinum concipitur ut determinatus gradus entitatis in Deo et quilibet gradus entitatis in Deo supponit esse divinum, quod dicit omne esse seu omnem perfectionem. Ergo quamvis esse divinum sit intelligere, intelligere non est constitutivum formale essentiae divinae, sed est ipsum esse divinum.—Praeterea ex nota entis intellectivi qua talis nequeunt a priori nostro modo concipiendi derivari aeternitas, immensitas aliaque id genus quamvis possit esse principium attributorum operativorum.

**480. 2.ª Pars.** Essentia physica Dei reponi debet in eo quod sit Omniperfectus. Omnes consentiunt si ita in genere proponitur.

A parte rei nulla sunt accidentia in Deo. Ergo cumulus omnium perfectionum seu quidquid perfectionis est in Deo essentiam eius physicam constituit.

Antecedens. Quia Deus est actus purus et omniperfectus per essentiam suam.

# CAPUT III

## De modo quo cognoscamus essentiam Dei

## ARTICULUS I

### De analogia conceptuum Deo et creaturis communium

**THESIS 20. Conceptus perfectionum communium Deo et creaturis de illis praedicantur non univoce, aut aequivoce, sed analogice analogia attributionis et proportionalitatis.**

481. **Bibliographia.**—S. Th., 1, q. 13, a. 4-5; 1 CG, c. 29-30-31; *De Ver.*, q. 2, a. 2; *De Pot.*, q. 7, a. 2, 5, 7.—Suárez DM 28, 3.—Urraburu, *Theod.*, 1, p. 239-258.—Descoqs, *Prael. Theol. Nat.*, 2, p. 735-840.—Hontheim, *Inst. Theod.*, p. 302.—Franzelin, B., *Quaestiones selectae ex philosophia scholastica*, p. 14 ss.—Hellín, *Theol. Nat.*, p. 363 ss.; *La anatogía del ser y el conocimiento de Dios en Suárez* (1947, Madrid).

482. **Nexus.** In praecedentibus manet probatum nos cognoscere essentiam Dei per quaedam praedicata essentialia. Insuper manet probatus in thesi 17 aspectus fundamentalis quoad nostram cognitionem de Deo, nempe analogia rerum inter se, sc. inter Deum et creaturas eo quod mundanae perfectiones simpliciter simplices contineantur formaliter in Deo et esse divinum participent.

In hac thesi venit considerandus aspectus cognoscitivus, modus sc. cognoscendi essentiam divinam per conceptus communes (ens, substantia, sapiens...), qui aspectus sponte fluit ex aspectu fundamentali, et solvitur quaestio per analogiam conceptuum.

## 483. NOTIONES.

*Conceptus communis* est ille qui multis applicari potest.

*Nomen commune* est illud quod de pluribus dici potest. Potest esse aequivocum, univocum, analogum, quae insuper dici possunt etiam de conceptibus et de rebus. Unde oportet in his omnibus considerare nomen, quo conceptus exprimitur, ipse conceptus, natura seu res et modus quo conceptus de inferioribus praedicatur.

484. *Terminus oralis aequivocus* (a casu) est nomen pluribus commune quod significat conceptum et naturam seu rem penitus diversam sine ulla simi-

litudine in diversis inferioribus. Sic nomen—gallus—respectu hominis Galliae et avis. In casu, denominatio communis est sine ullo fundamento, pure casualis, vel si datur aliqua connexio non attenditur ad illam.

*Terminus mentalis aequivocus* proprie non datur siquidem non habetur unus conceptus communis, qui plane diverso modo inferioribus tribuatur.

**Aequivoca** sunt illa quorum nomen idem, conceptus per nomen significatus penitus diversus, et natura seu res in diversis inferioribus penitus diversa. Sic gallus seu homo Galliae et gallus gallinaceus.

**485.** *Terminus oralis univocus* est nomen pluribus commune, quod significat conceptum et naturam seu rem penitus eamdem in diversis inferioribus. Sic nomen—animal—respectu hominis et bruti.

*Terminus mentalis univocus* est conceptus ille, qui penitus idem est seu eodem modo convenit diversis inferioribus. Sic conceptus—animal—respectu hominis et bruti.

**Univoca** sunt illa quorum nomen idem, conceptus idem, natura seu res per nomen significata et eodem conceptu repraesentata penitus eadem est in diversis inferioribus in uno vel in alio ordine prout univocatio sit logica, metaphysica aut physica.

**486.** *Univocatio logica* datur cum conceptus obiectivus per idem nomen significatus est idem (perfecte similis) relate ad sua inferiora solum in statu praecisionis logico. Sic conceptus transcendentes differentias qui sunt metaphysice analogi. Ratio entis in statu praecisionis logico seu incomplete considerata (nempe cum non consideratum accurate quomodo descendat ad inferiora) ut cum dicitur Deus est ens, creatura est ens... nullam varietatem formaliter neque explicite neque implicite dicit, sed meram oppositionem ad nihilum, unde inferiora univoce conveniunt in illa ratione. Attamen complete considerata respectu suorum inferiorum in statu sive metaphysico sive physico variatur essentialiter ita ut haec diversitas proveniat ab ipsa communi ratione, quae est ratio conveniendi et differendi.

**487.** Univocatio metaphysica datur cum conceptus obiectivus per idem nomen significatus penitus idem (perfecte similis) est solum spectatus in statu metaphysico complete consideratus (i. e. iuxta totam illam realitatem, quam habet ex sua definitione). Sic omnes conceptus generici respectu suarum specierum, qui conceptus sunt etiam physice analogi. Ita ratio obiectiva—animal—complecte considerata in statu metaphysico est solummodo ratio conveniendi, non variatur in inferioribus nec ratione sui, siquidem est solum ratio conveniendi, nec ratione differentiarum, quae identificentur in conceptu cum ratione communi, quia ratio communis et differentiae perfecte ab invicem praescindunt in conceptu. Attamen in statu physico, a parte rei eadem ratio communis est ratio conveniendi et ratio differendi, variatur essentialiter in inferioribus, sed haec diversitas non provenit a ratione communi sed a differentiis extraneis, quae identificantur a parte rei cum ratione communi.

**488.** *Univocatio physica* datur cum conceptus communis per idem nomen significatus est idem (perfecte similis) spectatus prout est in statu physico (i. e. secundum totam illam realitatem essentialem, quam habet vel saltem habere potest a parte rei). Haec autem univocitas iuxta aliquos solum haberi potest in genere quantitatis non vero in genere qualitatis. Ratio obiectiva

—homo—in Petro, Paulo... est totus Petrus, totus Paulus consideratus quoad totam suam realitatem essentialem a parte rei. Conceptus communis non variatur essentialiter in inferioribus a parte rei; et si variatur a parte rei ratione differentiarum non tamen essentialiter, quia differentiae individuantes respectu essentiae specificae quasi accidentales sunt et non constituunt Petrum et Paulum... in diversa specie.

489. *Terminus oralis analogus* est nomen pluribus commune, quod significat conceptum et naturam vel rem partim eamdem partim diversam in diversis inferioribus. Sic terminus oralis—agnus—respectu ovis et hominis.

*Terminus mentalis analogus* est conceptus seu repraesentatio, quae partim eadem est partim diversa respectu diversorum inferiorum. Sic terminus mentalis—agnus—respectu ovis et hominis.

ANALOGA sunt illa quorum nomen idem, conceptus et natura seu res per nomen significata partim eadem est partim diversa in diversis inferioribus in uno vel alio ordine prout analogia sit logica, metaphysica aut physica.

490. *Analogia logica* datur cum conceptus communis abstractus ab inferioribus et per idem nomen significatus ne in statu logico seu praecisionis est plene idem. Provenit enim talis analogia partim ab abstractione partim ex sola mentis consideratione cum aliquo fundamento in re. Sic omnes conceptus analogi per extrinsecam denominationem; ut terminus communis—sanus—in animali, cibo et colore; sanitas dicitur intrinsece solum de viventibus; de reliquis autem per habitudinem, per denominationem extrinsecam ut in signo, ut in causa... Unde conceptus prout repraesentat naturam realem, tantum repraesentat analogatum in quo haec natura intrinsece datur, non autem alia analogata quibus idem nomen applicatur.

491. ANALOGIA METAPHYSICA datur cum conceptus per idem nomen significatus partim idem est partim diversus (imperfecte similis) spectatus in inferioribus in statu metaphysico complete consideratus (i. e. secundum illam realitatem, quam habet ex sua definitione). Sic rationes transcendentes differentias: ut ratio entis, perfectiones communes Deo et creaturis, qui conceptus sunt etiam logice univoci.

Ratio communis obiectiva entis ut sic in statu metaphysico variatur essentialiter in inferioribus, sed haec diversitas non provenit ab aliquo penitus extraneo rationi communi. Unde ipsa ratio communis est ratio conveniendi et differendi. In statu autem physico etiam variatur essentialiter, sed item haec diversitas non provenit ab aliquo penitus extraneo rationi communi. Unde illa ratio communis tam in statu metaphysico, quam statu physico est ratio conveniendi et differendi.

492. *Analogia physica* datur cum ratio obiectiva vel natura per nomen commune significata partim eadem est partim diversa in diversis inferioribus spectata prout est in statu physico (i. e. secundum totam illam realitatem essentialem quam habet vel saltem habere potest a parte rei). Sic omnes conceptus generici, qui sunt metaphysice univoci. Unde ratio communis obiectiva—animal—in statu physico est partim eadem partim diversa, sed haec diversitas non provenit a ratione communi sed per differentias extraneas quae realiter identificantur cum ratione communi et haec a parte rei est ratio conveniendi et differendi.

493. Analogia attributionis et proportionalitatis.

ANALOGIA ATTRIBUTIONIS datur cum ratio obiectiva per nomen significata tribuitur partim eodem partim diverso modo pluribus ita ut in uno analogato

(quod principale vocatur) reperiatur primario, per se ac perfecte; in aliis analogatis secundario, imperfecte cum necessaria habitudine dependientiae, similitudinis, signi ad analogatum principale. Unde habitudo seu respectus in casu est unius vel plurium ad unum ex ipsis analogatis a quo alia analogata dependent. Sic ratio entis relate ad substantiam et accidens; sanus respectu animalis, cibi et coloris.

Analogia proportionalitatis datur cum ratio obiectiva per nomen commune significata tribuitur pluribus partim eodem modo partim diverso propter imperfecte similem habitudinem seu relationem ad alia duo vel plura vel ad idem aliquod tertium. Unde unumquodque analogatum se habet ad aliquid sui similiter simulque inaequaliter sicut alia analogata se habent ad aliquid item sui sive detur sive non detur dependentia inter analogata.

**494.** Haec analogia proportionalitatis potest sumi stricto sensu et lato sensu.

*A. p. stricto sensu* datur si vera relatio similitudinis imperfectae ad plura adsit. Unde debent dari duae relationes imperfecte similes, quattuor termini et proinde distinctio saltem rationis inter duos terminos uniuscuiusque relationis et possibilitas cognoscendi unum aliquo modo ex cognitione alterius.

Sic pastor dicitur de pastore ovium et de episcopo per analogiam intrinsecam sine dependentia inter analogata; ratio entis dicitur de corpore et spiritu per analogiam p. intrinsecam sine dependentia inter analogata; accidens dicitur de quantitate et relatione per analogiam intrinsecam sine dependentia inter analogata; ratio sapientiae dicitur de Deo et de creatura per analogiam intrinsecam cum dependentia inter analogata; risus dicitur de homine et de prato per analogiam extrinsecam.

*A. p. lato sensu* datur cum deest aliquod elementum ex his, quae requiruntur ad analogiam proportionalitatis stricto sensu, videlicet cum deest vera relatio in aliquo ex extremis et inde distinctio sive realis sive rationis inter duos terminos alicuius relationis. Tum potius attenditur ad perfectionem communi vocabulo designatam.

Ita ens dicitur de Deo et de creatura, quia sicut se habet Deus ad suum esse similiter simulque inaequaliter se habet creatura ad suum esse. In creatura certe datur vera relatio essentiae ad exsistentiam, sed in Deo non adest talis relatio seu oppositio, sed absoluta identitas.

**495.** Analogia intrinseca datur (sive sit attributionis sive proportionalitatis) cum ratio obiectiva per nomen significata partim eodem modo partim diverso invenitur formaliter et inde intrinsece in omnibus analogatis. Sic ratio entis respectu substantiae et accidentis.

Analogia extrinseca datur cum ratio obiectiva per nomen significata solummodo invenitur formaliter intrinsece in uno analogato, in aliis vero non invenitur nisi habitudo extrinseca causae, signi...

Ita terminus sanus quatenus dicitur de animali, medicina, colore... nomen est commune omnibus, ratio vero in quantum sana sunt est eadem secundum terminum, quia eadem sanitas est ad quam refertur animal in quo sanitas est, medicina quae causat eam, et color qui eam indicat. Sed habitudines ad sanitatem in his analogatis diversae sunt: nam in animali est habitudo sub-

iecti ad formam; in medicina habitudo causae ad effectum; in colore habitudo signi ad significatum. Haec analogia est analogia logica.

N. B. Aliqui induunt etiam analogiam inaequalitatis, quae inest illis, quae verificant eamdem rationem partim eodem partim diverso modo ita tamen ut quoad illam rationem, non detur dependentia unius ab alio: sic ratio entis relate ad corpus et spiritum.

## 496. STATUS QUAESTIONIS.

Quaestio in hac thesi est de nostra cognitione essentiae Dei per conceptus Deo et creaturis communes.

Prae oculis habendum est, quod diximus in thesi 17, nempe ratiocinando ex perfectionibus creaturarum simpliciter simplicibus, quae formaliter intrinsece inveniuntur in creaturis, tamquam ex effectibus, intelligimus easdem esse in Deo etiam formaliter intrinsece ut in causa omnium illarum perfectionum et sic dari aliquam similitudinem inter Deum et creaturas.

Hoc autem infert nos cognoscere naturam Dei; quomodo haec cognitio fiat ita solvitur:

*non mere negative* (quid non sit Deus) aut aequivoce;

*sed positive* (quid revera sit Deus);

*non solum per notiones significativas* ita ut perfectiones creaturarum (absque ulla similitudine) significent nobis perfectiones divinas ad modum, quo saggita depicta nobis directionem aliquam significat; *sed per notiones vere repraesentativas*, per veram similitudinem conceptuum communium; non quidem per similitudinem perfectam, univocam; sed per similitudinem imperfectam, analogam;

*nec per notiones mere synonimas* ita ut diversa nomina creaturarum eamdem rationem formaliter et explicite significent (sicut ensis et gladius): creaturae autem nobis Deum repraesentant secundum plures rationes, quae in ipsis creaturis insunt.

## 497. SENTENTIAE.

*1.ª sententia* exagerat similitudinem inter Deum et creaturas et veram univocitatem statuit. Sic Anthropomorphistae rudiores et gentiles, qui Deo tribuebant proprie et non metaphorice corpus, brachia, oculos, sicut in hominibus.— Anthropomorphistae metaphysici, iuxta quos perfectiones creaturarum sunt in Deo, sed non transcendunt ordinem nostrum finitum, ut volunt pluralistae angli et americani.

*2.ª sententia* supprimit veram similitudinem perfectionum Dei et creaturarum et aequivocitatem inducit. Sic agnostici dogmatici, qui negant nostram cognitionem de Deo positivam, non vero cognitionem negativam. Unde nostri conceptus cum de Deo dicuntur ita debent intelligi v. c. Deus est sapiens: —non est insipiens aut causat sapientiam (MAIMONIDES, NOMINALES...); Deus vult ut nos credamus Illum esse sapientem (MANSEL, HAMILTON...); debemus nos ge-

rere erga Deum ut si esset sapiens (KANT...); est anthropomorphismus dicere Deum esse sapientem (SABATIER, LE ROY...).

**498.** *3.ª sententia*, solvit quaestionem per analogiam, i. e. per similitudinem imperfectam inter perfectiones creaturarum et perfectiones Dei. Sic scholastici omnes, qui dividuntur in modo explicandi analogiam quoad perfectiones Deo et creaturis communes.

**499.** 1. S. THOMAS admittit analogiam metaphysicam attributionis intrinsicae. Quoad analogiam proportionalitatis dubitatur de eius mente.

**500.** 2. SCOTISTAE asserunt rationem entis ut est in Deo esse omnino diversam a ratione entis ut est in rebus creatis. Unde quamvis loquantur de cognitione univoca et de conceptu proprio, videntur loqui de univocitate logica, non de metaphysica stricto sensu; item de conceptu proprio ex communibus non de conceptu proprio ex propriis. Unde sustinent analogiam methaphysicam attributionis intrinsecae.

**501.** 3. THOMISTAE sustinent analogiam metaphysicam in genere; quoad analogiam attributionis plures negant eo quod requirant ad analogiam attributionis ut forma per nomen significata detur intrinsece tantum in analogato principali. Plerique thomistae admittunt analogiam proportionalitatis ut primariam. Nam iuxta illos perfectiones communes conveniunt Deo et creaturis intrinsece et formaliter sed tantum *sensu* simpliciter diverso et secundum quid eodem. *Simpliciter diverso*, quia tanta est distantia perfectionum divinarum et creaturarum ut nulla sit similitudo formae ad formam, inde nequeunt uno eodemque conceptu repraesentari; sed certe uno nomine vocari, quod significet plura dicentia ordinem ad plura. Sed *secundum quid est eadem forma* significata, nempe proportionaliter. Sic cum Deus dicitur ens, significamus essentiam Dei se habere ad eius exsistentiam sicut essentiam creatam ad suam.

**502.** 4. SUÁREZ CUM OMNIBUS SUAREZIANIS admittit analogiam metaphysicam attributionis intrinsecae. Analogiam proportionalitatis SUÁREZ et alii negant, sed argumenta, quae affert Suárez potius valent contra proportionalitatem univocam, non contra proportionalitatem analogam. Nos cum pluribus suarezianis (DESCOQS, URRABURU...) admittimus analogiam proportionalitatis intrinsecae et quidem propriam cum agitur de perfectionibus communibus (simpliciter simplicibus) Deo et creaturis. Excludimus casum perfectionis entis.

**CENSURA.** Certa.

**503. PROBATUR.**

Conceptus exprimentes perfectiones communes Deo et creaturis praedicantur de illis: unde *a)* aut univoce; *b)* aut aequivoce; *c)* aut analogice. Atqui non *a)* nec *b)*.

Ergo *c)* i. e. analogice.

*Maior.* Perfectiones, quae inveniuntur in aliquo subiecto de illo praedicari possunt. Atqui omnes perfectiones creaturarum inveniuntur in Deo, ut probatur in thesi 17. Ergo omnes perfectiones creaturarum praedicari possunt de Deo.

N. B. Haec assertio intelligenda est de iure; de facto enim consuetudo loquendi vetat quominus perfectiones mixtas rerum de Deo praedicemus, ne forte auditores falsas ideas hauriant aut reverentia Deo debita laedatur. Unde attendamus in thesi solummodo ad perfectiones simpl. simplices. Enumeratio in maiori est exhaustiva.

*Minor.* Non *a)* Nulla enim perfectio communis Deo et creaturis est eiusdem rationis in illis, sed essentialiter diversificantur: in Deo omnis perfectio est a se, necessaria, infinita; in creaturis vero omnis perfectio est ab alio, contingens, finita. Et quidem diversificantur essentialiter non per differentias stricte dictas, quod requiritur ad univocationem, sed per eamdem rationem communem imbibitam in differentiis late dictis.

Non *b)* i. e. non aequivoce a casu aut a consilio (per analogiam extrinsecam) quia secus illae perfectiones non essent formaliter intrinsece in Deo et iam probatum est in thesi 17 illas continere formaliter.

Ergo *c)* i. e. *analogice:* quaevis enim communis Deo et creaturis perfectio simpliciter simplex v. c. sapientia convenit illis partim eodem modo, quia et creatura est formaliter sapiens et Deus est etiam formaliter sapiens. Partim modo diverso, nam creatura est formaliter sapiens ab alio, participate, contingenter, finito modo; Deus vero est sapiens a se, imparticipate, necessario et modo infinito. Et quidem diversificantur non per differentias stricte dictas et inde extraneas rationi communi, sed per differentias late dictas (asseitatem, abalietatem...) in quibus ratio communis tota quanta imbibita est, unde ratio communis v. c. sapientia est ratio conveniendi et ratio differendi.

Ergo quaevis perfectio simpliciter simplex Deo et creaturis communis de illis analogice praedicatur;

—*intrinsece* quia perfectiones praedictae formaliter et intrinsece inveniuntur tam in Deo quam in creaturis ut probatum manet in thesi 17;

—*analogice analogia attributionis*, quia omnes illae perfectiones conveniunt Deo primario, perfectissime et cum omnimoda independentia; creaturis vero conveniunt secundario, imperfecte et cum dependentia essentiali a Deo ut a causa suprema aequivoca;

—*analogice etiam analogia proportionalitatis*, quia perfectiones simpliciter simplices (praeter perfectionem esse) illis conveniunt etiam propter imperfectam similitudinem habitudinum plurium ad plura ita ut sub quodam respectu proportionalitas aliqua institui possit: sicut homo sua sapientia notitiam rerum habet ita similiter simulque inaequaliter Deus sua sapientia habet notitiam rerum. Hoc vero affirmandum de omnibus divinis perfectionibus (praeter perfectionem esse).

**504. SCHOLIUM. De ordine in communium nominum applicatione.**

Omnes perfectiones creaturarum inveniuntur in Deo modo excellentiori quam in creaturis, tamquam in primo principio omnis perfectionis.

a) *Perfectiones simpliciter simplices* tam in Deo quam in creaturis inveniuntur proprie, secundum propriam formam, sed in Deo nobiliori modo. Ergo de Deo praedicantur prius et potiori iure quam de creatura quia tales perfectiones a Deo in creaturis dimanant.

*Nomina perfectionum simpliciter simplicium*, v. c. sapientia, vita... dicuntur proprie de Deo et de creaturis, sed quoad impositionem nominis prius dicuntur de creaturis, quia in creaturis has perfectiones primo cognoscimus et significamus, deinde ex creaturis ad Deum ascendimus.

b) *Perfectiones mixtae* inveniuntur proprie, secundum propriam formam solum in creaturis; in Deo sunt in alia forma excellentiori, dicuntur de illo metaphorice et his metaphoris indicantur in Deo perfectiones simpliciter simplices, quae prius et potiori iure de Deo quam de creaturis praedicantur.

*Nomina perfectionum mixtarum* proprie prius dicuntur de creaturis; improprie, secundario metaphorice de Deo, quia dicta de Deo nihil aliud significant quam similitudinem ad talem creaturam. Sic nomen leonis dictum de Deo nihil aliud significat, quam quod Deus similiter se habet ut fortiter operetur in suis operibus sicut leo in suis.

## 505. OBIECTIONES.

1) Proportionalitas per se non sufficit ad statuendam analogiam, quia dantur proportionalitates univocae ut v. c. in rebus matematicis: Sic 2 : 4 :: 3 : 6... Ergo praedicta analogia proportionalitatis non datur.

Respondeo: Proportionalitas potest esse perfecta seu univoca, et imperfecta seu analoga; haec autem sufficit ad constituendam analogiam.

2) In exemplis allatis Dei et creaturae quoad perfectionem esse, non dantur duae verae relationes. Ergo non datur analogia proportionalitatis.

Resp. Conc. Ant.

Dist. cons. Non datur stricta C.; nec lato sensu N.

3) In exemplis allatis Dei et creaturae, substantiae et accidentis relationes sunt sensus diversi et oppositi: Deus se habet necessario ad suum esse, creatura autem se habet contingenter ad suum esse. Ergo deest similitudo relationum et proinde etiam analogia proportionalitatis.

Resp. dist. ant. Si considerantur inadaequate seu secundum aspectum dissimilitudinis C.; si considerantur adaequate N.

4) Analogia proportionalitatis inducitur a thomistis ut primaria ct necessaria ad cognoscendam perfectionem divinam. Atqui hoc est falsum. Ergo non est admittenda talis analogia.

Resp. Concedo maiorem et minorem.

Dist. cons. Non datur analogia proportionalitatis lato sensu N.; non probatur hanc analogiam esse primam aut unicam C.

Explicatio. Iuxta thomistas prima notio quam de Deo habemus exprimitur hac proportione: sicut essentia creata se habet ad suam exsistentiam ita illud quod vocamus essentiam divinam ad illud quod vocamus exsistentiam divinam.

Illud vero quod vocamus essentiam et exsistentiam divinam est nobis saltem in hac prima cognitione, quid incognitum; prima cognitio cst cognitio per analogiam proportionalitatis, quae quidcm secum fert iuxta illos cognitionem relationum ante cognitionem terminorum; si enim termini essentia et exsistentia divinae essent a nobis cogniti ante ipsam cognitionem relationum sc. si sciremus terminos Essentiam et Exsistentiam in Deo esse quid simile essentiae et exsistentiae in creatis, iam supponeretur analogia saltem inaequalitatis ante ipsam analogiam proportionalitatis. Sed analogia proportionalitatis

a) *Non potest esse prima.*

Res est manifesta, si antequam facias illam proportionalitatem cognoscis Dei essentiam esse ens; iam enim cognoscis Deo convenire intrinsece rationem entis; hoc autem cognoscis ex eo quod Ipse ut causa suprema nequeat carere perfectionibus quae sunt in creaturis: unde ratio entis est in ipso ut in ente imparticipato, in creaturis tamquam in entibus participatis, quod significat Deum et creaturam esse analoga analogia attributionis intrinseca.

Ergo non analogia proportionalitatis, sed analogia attributionis intrinseca est prima et praecipua.

b) *Non potest esse praecipua.*

Nam differentiae entis a se et ab alio, in se et in alio, primo ordinem dependentiae ab uno principali significant, ut patet ex ipsis terminis, eacque sunt radicales differentiae, ex quibus ceterae oriuntur, quotquot inter Deum et creaturas, substantiam et accidens perspiciuntur. Ergo analogia attributionis intrinseca est praecipua.

c) Si esset primaria prout proponitur a thomistis maneremus in agnosticismo. Si enim antequam facias hanc proportionalitatem non cognoscis Dei essentiam et exsistentiam esse ens, nec per proportionalitatem cognosces aliquam realitatem Dei, sed aliquam habitudinem penitus ignotam quae sic potest exprimere:

Sicut $\frac{\text{essentia creata}}{\text{ad suam exsist.}} = \frac{X}{X}$. Haec autem expressio nihil nobis de ipso Deo dicit ut est in se.

Non enim agitur de proportionalitate quantitativa v. c. $4/2 :: x/z$ in qua proportionalitate, quamvis non cognoscamus $X$ aut $Z$, cognoscimus habitudinem esse duplum. In casu nostro agitur de proportionalitate qualitativa in qua habitudo consistit in aliquo effectu formali; iam vero est impossibile hunc effectum cognoscere, si non cognoscitur forma (66).

---

(66) URRABURU, *Theod.*, 1, p. 284; *Ontologia*, p. 181 et 195.—HELLÍN, *Theol. Nat.*, p. 376.—FRICK, *Ontologia*, p. 21 et 36; in his locis plures difficultates contra thesim invenies.

## ARTICULUS II

### De nostra cognitione analogica Dei

**THESIS 21. Essentiam Dei positive etiam cognoscere possumus per conceptus proprios analogicos ex creaturis triplici via desumptos: via affirmationis ex causalitate, via negationis seu remotionis et via eminentiae aut excessus.**

506. **Bibliographia.**—S. Th., 1, q. 12, a. 12, a. 8, ad 2.—Suárez, DM 30, 12, n. 4-12.—Urraburu, *Theod.*, 1, p. 200-206;—Hontheim, *Inst. Theod.*, p. 302.—Loinaz, *Prael. e Theol. Nat.*, p. 90-92.—Franzelin, *De Deo uno*, p. 154-168.—Arnou, *Theol. Nat.* (1947), p. 124.—Hellín, *Theol. Nat.*, p. 392; *La analogía del ser y el conocimiento de Dios en Suárez*, p. 397-406.

**507. Nexus.** In thesi praecedenti consideravimus aspectum cognoscitivum essentiae divinae per conceptus communes, qui Deo et aliis rebus creatis conveniunt per analogiam attributionis intrinsecae. Nunc consideramus aspectum cognoscitivum essentiae divinae per conceptus proprios analogicos exclusivos Dei. Unde analogia intrinseca conceptum est fundamentum possibilitatis nostrae cognitionis analogicae Dei. Si enim non daretur saltem illa analogia intrinseca, impossibilis esset nostra cognitio positiva Dei.

### 508. NOTIONES.

Positive cognoscere i. e. cognoscere quid sit Deus; non mere quid non sit.

*Conceptus* est similitudo obiecti expressa in mente percipiente.

1. Conceptus subiectivus et obiectivus.

*Subiectivus* (formalis) est ipse actus mentis repraesentans rem.

*Obiectivus* est ipsa res prout hic et nunc apprehensa.

**509.** 2. Conceptus intuitivus et abstractivus:

Intuitivus est ille, qui ponitur aut ex immediato influxu obiecti in facultatem aut per speciem propriam et repraesentat obiectum existens et praesens prout hic et nunc exsistens et praesens.

Unde eius conditio essentialis est duplex *a)* ut ponatur ex inmediato influxu obiecti aut per speciem propriam (quae gignit talem conceptum qui rem exprimat prouti est in se, secundum aliquid sibi proprium non praecise secundum intimam eius essentiam seu quidditative); *b)* ut respiciat obiectum exsistens et praesens prout tale.

Sic cognitiones conscientiae testantis proprias affectiones et actus nostros v. c. dolores, intellectiones, volitiones; sic visio beatifica (sine specie iuxta communissimam sententiam); item

actus noster qui cognoscit se ipsum per conscientiam directam (sine specie); sic conceptus libri, quem habeo prae oculis...

ABSTRACTIVUS est ille, qui caret alterutra conditione i. e. aut non ponitur ex immediato influxu obiecti aut per speciem propriam; aut non repraesentat obiectum existens et praesens prout hic et nunc exsistens et praesens. Sed quocumque alio modo acquiritur per discursum, comparationes, similitudines et respectus... ad alia obiecta. Sic v. c. conceptus animae meae ut spiritualis, conceptus rei universalis, conceptus exsistentiae possibilis, conceptus pyramidis Aegipti, quam numquam vidi...

**510.** *C. Concretus* est ille, qui repraesentat rem cum forma seu singularitate v. c. homo, arbor, sapiens.

*C. Abstractus* est ille, qui repraesentat rem sine singularitate v. c. humanitas, sapientia.

**511.** 3. Conceptus immediatus et mediatus:

IMMEDIATUS est ille qui ponitur per immediatum influxum aut per speciem propriam et sic repraesentat rem prouti est in se; sed non requiritur ut repraesentet obiectum existens et praesens prout hic et nunc exsistens et praesens. Sic omnis conceptus intuitivus, conceptus rei antea visae, sed hic et nunc non praesens v. c. si post conspectum solis claudimus oculos illico cessat in intellectu cognitio intuitiva lucis et incipit eius cognitio abstractiva, quamvis adhuc de illa cogitemus per speciem propriam et inde cognitio sit immediata.

MEDIATUS est ille, qui sumitur non ex ipsa re, quae cognoscitur sed ex alia re prius cognita habente connexionem cum prima sive repraesentet vel non repraesentet eam prouti est in se. Sic cognitio causae ex effectu univoco (abstractiva, propria); conceptus animae meae ut spiritualis (abstractiva, analogica); ... omnis conceptus proprius ex alienis.

**512.** 4. Conceptus proprius et communis.

**PROPRIUS** est ille, qui ita repraesentat unam rem ut non repraesentet alteram; seu qui soli rei convenit eamque a reliquis omnibus quae non sunt illa res distinguit v. c. conceptus animalis rationalis (homo) respectu omnium hominum; conceptus animalis (principium sentiendi) respectu omnium animalium; conceptus causae incausatae respectu Dei, conceptus qui repraesentet aliquid exclusivum Petri, Pauli, etc.; aptum ad exsistendum respectu entis.

COMMUNIS est ille, qui soli illi rei non convenit eamque ab aliis non secernit; sic conceptus animalis aut viventis respectu hominis nihil proprium seu exclusivum hominis dicit sed solum id in quo cum aliis convenit.

**513.** 5. Conceptus proprius confusus et distinctus.

*Conceptus proprius et confusus* est ille qui revera est proprius, sed non repraesentat distincte notam communem et notam differentialem obiecti: talis est conceptus respondens nomini Dei.

*Conceptus proprius et distinctus* est ille conceptus proprius, qui repraesentat distincte notam communem et differentialem obiecti, sic conceptus Dei ut entis a se.

**514.** 6. Conceptus proprius ex propriis et proprius ex communibus seu analogicus.

**Proprius ex propriis** (speciebus) est ille, qui soli illi rei convenit eamque a reliquis omnibus quae non sunt illa res secernit (seu qui ita repraesentat unam rem ut non repraesentet alteram) et quidem attingit illam sub propria forma seu prouti est in se. Sic iuxta omnes, conceptus quidditatum rerum per se sensibilium seu accidentium quae sunt obiecta sensuum; de substantia materiali disputatur. Tales sunt conceptus lucis, coloris, corporis extensi, magni, parvi... i. e. omnes conceptus rerum experimentalium et illi qui obtinentur per abstractionem immediatam eorum.

**Proprius ex communibus** seu analogicus est ille, qui soli rei convenit eamque a reliquis omnibus distinguit (seu ille, qui ita repraesentat rem ut non repraesentet alteram), sed non repraesentat illam pruti est in se, inde nec ex immediato influxu obiecti nec per speciem propriam; sed per species alienas seu per respectum ad alias res, quae deflectunt a perfecta similitudine cum altera.

Unde ut sit conceptus analogicus debet sumi ex alia re et insuper non repraesentare rem prouti est in se. Sic omnes conceptus rerum spiritualium seu supersensibilium, quos formamus per respectum ad res sive qualitates sensibiles: Ex gr. Ex speciebus creaturarum, nempe concipiendo prius aliquam perfectionem creatam et finitam v. c. sapientiam, abstrahendo deinde ab imperfectione et limitatione et sic retinendo perfectionem in genere; demum addendo huic perfectioni in genere negationem omnis limitis (qua negatione addita), conceptus fit conveniens soli Deo.

**515.** N. B. Cave ne confundas conceptum analogum cum conceptu analogico. Conceptus enim analogus, quatenus talis, opponitur conceptui univoco. Conceptus vero analogicus, ut talis, potest esse univocus (sic conceptus spiritus respectu angeli et hominis) et analogus (sic conceptus spiritus respectu Dei et creaturae). Conceptus univocus et analogus respiciunt habitudinem unius conceptus ad plura inferiora .Cognitio vero propria et analogica respicit habitudinem unius cognitionis ad unum obiectum.

**516.** *Conceptus quidditativus:*

a) *Late* seu *etymologice* est quaevis cognitio quidditatis per quam respondetur quaerenti quid res sit etiamsi responsio detur declarando rem per species alienas et conceptus negativos vel per effectus ac proprietates.

b) *Stricte* est ille qui refert omnia praedicata essentialia usque ad ultimam differentiam vel quasi differentiam et quidem conceptu proprio ex propriis cognita.

Et hoc variis modis haberi posset v. c. abstractive ex effectu univoco cuius praesentia in intellectu inferat univocam similitudinem cum causa ut si quis noverit equum patrem ex equo filio perfecte noto. Hoc modo nullum obiectum cognoscimus in hac vita nisi forte praedicata simplicissima et transcendentalia v. c. rationem entis.

N. B. Conceptus quidditativus non est confundendus cum conceptu intuitivo. Sic cognitio perfecta rationis entis aut rei possibilis esset quidditativa, non tamen intuitiva. Et contra intuitive cognoscimus colores et alia sensibilia propria et nihilominus non cognoscimus ea quidditative quia nescimus in quo reapse sit essentia colorum.

Tamen agendo de Deo iuxta thomistas et nostrates contra scotistas conceptus quidditativus sine intuitione impossibilis est eo quod cognitio quidditativa Dei debet repraesentare illum conceptu proprio ut necessario exsistentem, immensum et aeternum ac proinde hic et nunc exsistentem et praesentem ut talem.

### 517. STATUS QUAESTIONIS.

Thesis habet duas partes:

*In prima parte* affirmamus nos posse cognoscere positive essentiam Dei (nam dantur in Deo et in creaturis rationes formales vere similes), non per conceptus proprios ex propriis, sed per conceptus proprios ex alienis seu analogicos.

*In secunda parte* declaratur qua via efformentur tales conceptus.

### 518. SENTENTIAE.

*1.ª Sententia* est corum qui dicunt nos habere conceptum intuitivum Dei. Sic ontologi et alii.

*2.ª Sententia* est anthropomorphismi sive rudioris sive metaphysici. De hac sententia locuti sumus in thesi praecedenti.

*3.ª Sententia* est communis scholasticorum et enuntiatur in thesi nostra.

**CENSURA.** Certa.

### 519. PROBATUR.

**1.ª Pars.** Conceptus proprius ex propriis est ille, qui ita repraesentat unam rem ut non repraesentet alteram et quidem attingit illam sub propria forma seu prouti est in se. Atqui nos in hac vita non possumus cognoscere Deum prouti est in se. Ergo nostra Dei cognitio propria ex propriis esse nequit, sed solum analogica ex creaturis.

*Maior.* Est definitio cognitionis propriae ex propriis.

*Minor.* a) *Intuitive* (cum vel sine specie) nullo modo possumus cognoscere Deum ut probatum est contra ontologos.

b) *Immediate* nullo modo: Constat enim ex Psychologia res spirituales seu supersensibiles in hac vita nos cognoscere per respectum ad res sive qualitates sensibiles. Aliunde teste experientia nos tantum habemus species proprias de rebus finitis; immo inter finitas de aliqua parte earum. Ergo immediate in hac vita nullo modo possumus cognoscere Deum siquidem est ens spirituale.

c) *Neque abstractive* mediate ex effectu univoco cuius praesentia in intellectu inferat univocam similitudinem perfectionis cum ipso Deo sicut ipse pater cognoscitur ex filio simili. Effectus enim mundani non solum non adaequant Deum, sed infinite a Deo distant. Ergo cognitio Dei abstractiva quidditativa reicitur etiam.

*d)* Ergo tantum remanet quod cognitio nostra de Deo sit analogica ex creaturis, et inde etiam abstractiva et mediata ex effectu analogo.

**520. 2.ª Pars.** Ex creaturis iam pervenimus in cognitionem exsistentiae Dei et eodem modo ad cognitionem naturae divinae. Atqui hoc triplici via fieri potest: via affirmationis, negationis et eminentiae. Ergo hac triplici via possumus cognoscere naturam divinam.

*Maior.* Patet ex dictis.

*Minor.* Tribus illis viis possumus uti sive separatim sive simul sic: Concipiendo aliquam perfectionem creatam, affirmando eam de Deo, removendo imperfectionem et sic retinendo perfectionem in genere, elevando seu addendo huic perfectioni in genere negationem omnis limitis sic conceptus illius perfectionis fit conveniens soli Deo.

*Via affirmationis* aut causalitatis. Per hanc viam Deo, causae primae cunctarum rerum, tribuimus saltem aliquo modo perfectiones omnes in effectibus creatis relucentes. Nam quidquid perfectionis est in effectu affirmandum est aliquo modo de sua causa. Atqui Deus est causa omnium perfectionum mundanarum. Ergo omnis mundana perfectio affirmanda est de Deo.

*Via negationis* seu remotionis. Per hanc viam removemus omnem imperfectionem et modum imperfectum quo perfectiones in rebus mundanis inveniuntur.

Omnis perfectio in creaturis v. c. vita, sapientia, bonitas, ubicatio, quandocatio... admixta est imperfectioni, potentialitati, mutabilitati, praesentiae finitae, temporalitati, etc... Atqui haec in ente a se, absolute necessario et omniperfecto sensu carent. Ergo omnis imperfectio, quae relucet in perfectionibus creaturarum removenda est.

N. B. Si Deo negamus potentialitatem et finitudinem, corporeitatem et materialitatem... utpote imperfectionem involventes, eo ipso affirmamus esse actum purum et infinitum, incorporeum et immaterialem, etc.

*Via eminentiae* aut excessus. Omnes perfectiones prout sunt in creaturis sunt limitatae, prout vero sunt in conceptu praecisivo: si sunt simpliciter simplices praescindunt a limitibus; si vero sunt mixtae dicunt imperfectionem et non praescindunt a limitibus. Atqui in ente a se et absolute necessario hoc modo inveniri non possunt. Ergo tenentur esse modo meliori et excellentiori (eminenter si est mixta perfectio; formaliter seu secundum propriam formam si est simpliciter simplex) et illimitate, imparticipate, a se.

# TERTIA PARS

## DE ATTRIBUTIS DEI IN GENERE ET DE ILLIS, QUAE QUIESCENTIA SEU ENTITATIVA VOCANTUR

Declaratis iam in parte praecedenti essentia Dei et praedicatis illis, quae totam Dei essentiam designant, gressum facimus ad declaranda ea omnia, quae nostro modo concipiendi essentiam iam constitutam supponunt eique veluti proprietates advenire concipiuntur et attributa vocantur.

# CAPUT I

## De attributis in genere deque eorum inter se et ab essentia distinctione

**THESIS 22. Attributa divina tum inter se tum ab essentia distinguuntur sola rationis ratiocinatae distinctione non vero perfecta, sed imperfecta ut penes explicitum et implicitum.**

521. **Bibliographia.**—S. Th., 1, q. 13, a. 2 et 4; 1 CG, c. 35; *De Pot.*, q. 7, a. 6.—Suárez, DM 30, 6; *De Deo*, 1. 1, c. 9-14.—Urráburu, *Theod.*, 1, p. 291-337.—Carbone, *Circ. Philos.*, 5, n. 166-190.—Loinaz, *Prael. e Theol. Nat.*, p. 146-155.—Van de Woestyne, *Curs. Phil.*, 2, p. 257 ss.—Oromí, *Teoría de las distinciones en el sistema escotista:* «Verdad y Vida», 19 (1947), 257-282.—Hellín, *Theol. Nat.*, pp. 399 ss.; *La analogía del ser y el conocimiento de Dios en Suárez*, p. 128-138.—Iturrioz, *Metaphysica Gen.* (BAC), p. 227.

522. **Nexus.** Cognita, ut diximus, essentia divina per praedicata essentialia, antequam ad attributa particularia accedamus, conceptus attributi est exponendus et distinctionis ratio inquirenda.

### 523. NOTIONES.

ATRIBUTUM.—*Latissimo sensu* est quidquid de Deo praedicatur quomodolibet; inde etiam praedicata essentialia et metaphorica.

*Sensu magis proprio* est perfectio formaliter in Deo exsistens et propria Dei, quae a nobis concipitur tamquam praedicatum essentiae metaphysicae iam plene constitutae supperadditum.

Explicatio.—*Perfectio* seu entitas aliqua v. c. sapientia;

—*formaliter in Deo exsistens* secundum propriam formam et non metaphorice;

—*propria Dei:* non enim est ratio communis v. c. sapientia ut sic analogice conveniens Deo et creaturis, sed aliquid proprium et exclusivum Dei;

—*quae a nobis concipitur...*: est enim perfectio, quae revera est in Deo, sed non prouti est in Deo, sed a nostro modo concipiendi pendens: —*est terminus obiectivus* nostrae conceptionis sistens explicite in linea v. c. sapientiae; —est ratio non intuitiva sed abstractiva, non propria ex propriis sed propria ex alienis seu analogica. Si enim Deum intuitive perciperemus tum uno conceptu penetraremus eius perfectionem et nulla quaestio de attributis divinis esset

instituenda; —*essentiae divinae supperadditum* ad modum sive proprietatis (attributum stricto sensu), sive ad modum accidentis (sensu proprio sed non tam stricto). Non vero additur realiter, quia in Deo nulla distinctio realis dari potest, sed a nobis cum fundamento in re advenire essentiae iam constitutae concipitur.

**524.** DIVISIONES DIVINORUM ATTRIBUTORUM (ab invicem solum inadaequate distinctae). Attributa divina possunt esse:

*Positiva:* sunt illa, quae formaliter asserunt in Deo positivam perfectionem; sic veritas, bonitas, intellectus, voluntas, potentia activa...

*Negativa:* sunt illa quae formaliter negant in Deo aliquam imperfectionem rei creatae; sic incorporeitas, immutabilitas, immensitas (67).

*Quiescentia* seu entitativa sunt illa, quae formaliter exprimunt modum essendi Dei et non important operationem formaliter explicite; sic veritas, bonitas, unitas, immutabilitas, aeternitas...

*Operativa* seu actuosa sunt illa, quae aliquam potentiam vel operationem formaliter explicite exprimunt; sic intellectus, voluntas, intelligere, velle, quae sunt operationes immanentes...

*Transcendentalia* sunt illa, quae prouti sunt in conceptu praecisivo de omnibus rebus praedicari possunt; conveniunt omni enti quatenus est ens: sic unitas, veritas, bonitas...

*Particularia* sunt illa, quae prouti sunt in conceptu praecisivo, de aliquibus rebus particularibus praedicari possunt: sic intellectus, voluntas...

*Absoluta:* illa, quae sunt per ordinem ad intra ideoque dicunt perfectionem, quae Deo convenit absolute spectato independenter a qualibet hypothesi (sive detur sive non detur formaliter et explicite operatio); sic: unitas, veritas, bonitas, simplicitas, immutabilitas, immensitas...

*Relativa* sunt illa, quae sunt per ordinem ad extra, utcumque relationem dicant ad creaturas. Haec autem relatio concipienda est:

—*sive ut necessaria*, sic scientia possibilium, omnipotentia...

—*sive ut contingens aeterna*, sic praescientia futurorum, voluntas creandi, providentia...

—*sive ut contingens temporalis*, sic creator, gubernator, conservator, cooperator..., quae omnia quoad elementum intrinsecum sunt aliquid absolutum, necessarium et aeternum; quoad elementum vero extrinsecum sunt tantum denominationes extrinsecae.

*Physica* sunt illa, quae respiciunt naturam, sic unitas, veritas, bonitas, immutabilitas, aeternitas...

*Moralia* sunt illa quae mores respiciunt, sic iustitia, sanctitas...

**525.** **DISTINCTIO** in genere est negatio identitatis inter plura; seu est negabilitas unius de alio in recto. Potest esse realis, media et rationis.

DISTINCTIO REALIS est negatio identitatis inter plura independenter a men-

(67) LOINAZ, *Prael. e Theol. Nat.*, p. 147 recte monet: «Sed vocabulorum conformationi nimis inhaerendum non erit, cum etiam ex ipso pendeat concipiendi modo quod unum attributum v. c. aeternitas affirmet aliquid potius quam contrarium neget.»

tis consideratione. Unde haec distinctio est inter res. Haec potest esse adaequata, inadaequata, positiva, negativa. *Adaequata* est ea quae viget inter totalitates seu inter ea quae a parte rei nullo modo sunt idem v. c. inter totum et totum ut inter Petrum et Paulum; vel inter partem et partem ut inter corpus et animam. *Inadaequata* est illa quae viget inter ea, quae secundum aliquid sunt identica v. c. inter totum et eius partem, ut inter corpus et brachium. *Positiva* est ea quae intercedit inter res positivas et reales exsistentes v. c. inter Petrum et Paulum, inter corpus et animam.

*Negativa* est ea quae intercedit *a)* inter res exsistentes et non exsistentes seu mere possibiles v. c. inter mundum exsistentem et possibilem; *b)* vel inter res mere possibiles v. c. inter corpus et animam mere possibilia; *c)* vel inter rem et eius negationem seu privationem v. c. inter lucem et tenebras; *d)* vel inter ipsas negationes aut privationes v. c. inter caecitatem et surditatem.

526. Distinctio media est illa, quae non est realis ,neque pure rationis, sed aequivalet reali; et potest esse.

*Virtualis intrinseca* seu capacitas intrinseca rei verificandi ante mentis considerationem praedicata intrinsece contradictoria sine contradictione. Haec distinctio locum habet in materia de Trinitate. Sed generatim reicitur et omnia bene explicantur per distinctionem non mutuam inter naturam et diversas personalitates.

*Formalis ex natura rei* est illa, quae datur ante mentis considerationem non inter rem et rem, sed inter formalitates eiusdem rei; quae formalitates sunt entitates inseparabiles etiam divinitus inter se et a subiecto in quo sunt et tamen sunt seorsim conceptibiles. Unde independenter a mentis consideratione una formalitas non est alia formalitas v. c. animalitas non est rationalitas; utraque autem formalitas est una eademque res.

527. Distinctio rationis est negatio identitatis inter plura dependenter a mentis consideratione. Unde non est distinctio exsistens formaliter in ipsa re. Haec potest esse rationis ratiocinantis et rationis ratiocinatae.

*Distinctio rationis ratiocinantis* est negatio identitatis inter plura dependenter a mentis consideratione, sed sine ullo fundamento in re. Seu est illa quae datur inter synonima v. c. inter ensem et gladium. Unde solum est distinctio inter nomina, non vero inter res aut conceptus.

528. *Distinctio rationis ratiocinatae* est negatio identitatis inter plura dependenter a mentis consideratione cum fundamento in re et simul in conditione intellectus:

Fundamentum huius distinctionis est partim intrinsecum, quia est materialiter, virtualiter in re, nam ipsa res virtualitatem multiplicis perfectionis habet; partim vero est extrinsecum, quia formaliter (qua distinctionis) est extra i. e. in intellectu. Inde haec distinctio vocatur virtualis extrinseca.

Potest esse maior, minor et minima.

**529.** *Distinctio r. ratiocinatae maior* (adaequata, perfecta seu cum perfecto fundamento in re) est illa quae datur inter conceptus quorum unus non includit alium formaliter, ab invicem praescindunt et sese excludunt (penes excludens et exclussum) v. c. conceptus animalitatis et rationalitatis.

**530.** *Distinctio r. ratiocinatae minor* (inadaequata, imperfecta cum imperfecto fundamento in re, penes explicitum et implicitum et non mutuae inclusionis) est illa quae datur inter conceptus, quorum unus includit alium formaliter implicite non mutuo. Sic distinctio quae viget inter perseitatem et ens, quod includitur formaliter implicite in perseitate.

**531.** *Distinctio rationis ratiocinatae minima* (penes explicitum et implicitum et mutuae inclusionis) est illa, quae datur inter conceptus qui mutuo sese includunt formaliter implicite. Sic distinctio quae datur inter attributa divina in nostra sententia.

**532.** Penes explicitum et implicitum:

—*explicitum* vocatur illud, quod cogitatur expresse cum illa res nominatur et est constitutivum illius. Sic conceptus essentiae divinae formaliter explicite continet conceptum exsistentiae divinae; animal rationale formaliter et explicite continet rationale...;

—*implicitum* est illud, quod licet actu non cogitetur expresse cum cogitatur illa res, tamen pertinet ad essentiam rei explicite et detegitur per meram analysim formalem. Sic conceptus hominis continet formaliter et implicite rationale;

—*radicale* vocatur illud, quod actu non attenditur cum nominatur illa res nec est constitutivum illius rei, sed ab ea necessario fluit et detegitur conclusione aliqua. Sic conceptus hominis continet radicaliter risibilitatem.

## 533. STATUS QUAESTIONIS.

Quaeritur quomodo distinguantur essentia divina ab attributis divinis et attributa inter se.

1) Quaestio posset institui de omnibus attributis. Nos in hac thesi agemus de attributis stricte sumptis. Et quidem:

—*de positivis*, non de negativis; si enim haec formaliter considerantur solum dicunt negationem et negatio formaliter non est in Deo. Possumus tamen agere etiam de negativis considerando perfectionem oppositam et sic loquentes de immensitate possumus significare ubicationem Dei et loquentes de aeternitate possumus significare durationem Dei;

—*de absolutis* et de *relativis necessariis* ut v. c. omnipotentia et scientia simplicis intelligentiae;

—*non vero de relativis liberis* sive aeternis sive temporalibus, quia haec potuerunt deficere a Deo, ex sola essentia Dei non fluunt ideoque non possunt

dici de essentia Dei v. c. praescientia futurorum, ratio Creatoris, conservatoris, Domini...

2) Thesis habet tres partes:

*In 1.ª parte* reicitur distinctio formalis scotistica ex natura rei.

*In 2.ª parte* affirmamus et probamus distinctionem rationis ratiocinatae cum fundamento in re.

*In 3.ª parte* dicimus hanc distinctionem non esse maiorem seu perfectam, sed imperfectam, minimam ut penes explicitum et implicitum.

**534. SENTENTIAE.**

*1.ª sententia.* GUALTERUS et GILBERTUS PORRETANUS affirmarunt dari distinctionem realem attributorum inter se et ab essentia. Haec vero sententia, ut liquet, aperte contradicit simplicitati divinae.

*2.ª sententia* est *scotistarum,* qui sustinent inter attributa et essentiam et inter singula attributa dari distinctionem formalem ex natura rei.

*3.ª sententia. Eunomiani* et *aetiani* dicunt attributa et essentiam distingui sola ratione ratiocinante. Unde diversa nomina attributorum et essentiae sunt synomina.

*4.ª sententia. Nominales* voluerunt attributa divina inter se et ab essentia distingui solum quia diversos connotant terminos rerum externarum quin exprimant ullam rationem diversam Deo intrinsecam. Unde perfectiones simpliciter simplices non sunt formaliter in Deo. Diversa nomina perfectionum improprie convenirent Deo. Revera aliqua attributa Dei per connotationes ad res externas explicantur etiam a nobis: sic ratio creatoris, domini... Alia vero attributa nullam dicunt relationem ad res externas.

*5.ª sententia. Nonnulli* (CAPREOLUS, VÁZQUEZ, ARRIAGA...) affirmant attributa et essentiam et attributa inter se perfecte ab invicem praescindere. Unde distinctio, quae datur inter illa est maior, sed quoniam est extrinseca Deo et exsistit solum in nostro intellectu nullam imperfectionem ponimus in Deo.

*6.ª sententia.* Enuntiatur in carmine theseos et est communis inter thomistas et suarezianos.

**CENSURA.** Certa.

**PROBATUR.**

**535. 1.ª pars.** REICITUR SENTENTIA SCOTISTICA.

Deus est actus purus, simpliciter infinitus et inde etiam absolute simplex. Atqui Deus non esset simpliciter infinitus et absolute simplex si daretur distinctio formalis ex natura rei inter attributa inter se et ab essentia. Ergo attributa divina inter se et ab essentia non distinguuntur distinctione formali ex natura rei.

*Maior.* Constat ex thesi 15 et ex thesi 18.

*Minor.* Quia in hac sententia independenter a mentis consideratione daretur

in Deo multitudo rationum formalium, unde singulae istarum rationum formalium imperfectiores et simpliciores essent quam universae a parte rei. Ergo Deus non esset simpliciter infinitus et simplicissimus.

**536. 2.ª pars.** DATUR DISTINCTIO RATIONIS RATIOCINATAE...

Ibi datur distinctio rationis ratiocinatae, ubi, etsi res sit una, aequivalet pluribus perfectionibus dispersis et si intellectus noster incapax est uno ictu apprehendere illam. Atqui Deus est perfectio eminentissima, quae aequivalet omnibus perfectionibus, quae sunt dispersae in creaturis et intellectus noster non potest uno ictu Illum apprehendere. Ergo inter attributa divina inter se et ab essentia datur distinctio rationis ratiocinatae.

*Maior.* Patet ex definitione distinctionis rationis ratiocinatae. Si enim res aequivalet multis perfectionibus dispersis et nos non possumus uno ictu attingere illam, debemus efformare varios conceptus veros, sed inadaequatos rei, qui inter se non sint synonimi.

*Minor.* Deus est eminentissima perfectio, quae aequivalet pluribus perfectionibus dispersis, quia continet formaliter omnes perfectiones simpliciter simplices, quae sunt in creaturis.

Intellectus noster est incapax uno ictu attingere Deum in se ipso, ut diximus contra ontologos; et postea dicemus esse naturaliter invisibilem. Et sic tenemur efformare diversos conceptus desumptos ex diversis perfectionibus in creaturis dispersis, quae repraesentant illum divisim et imperfecte et sic non sunt conceptus synonimi.

**537. 3.ª pars.** HAEC DISTINCTIO EST MINIMA.

Essentia divina et unumquodque attributum Dei est a se et simpliciter infinitum a parte rei. Atqui asseitas et talis infinitas admittunt solummodo distinctionem rationis ratiocinatae imperfectae, minimam secundum explicitum et implicitum. Ergo attributa divina inter se et ab essentia distinguuntur sola distinctione rationis ratiocinatae imperfectae.

*Maior.* Probata manet in thesi 7 et in thesi 18.

*Minor.* Asseitas est actualitas pura; actualitas pura dicit formaliter implicite omnem actualitatem seu perfectionem.

Item a parte rei tum essentia tum unumquodque attributum est infinitum in ratione entis; inde quantumcumque praescindatur in conceptu, si vere concipio essentiam divinam et attributa Dei, illam perfectionem infinitam in ratione entis debent semper includere saltem implicite, licet mens nostra de illa explicite non cogitet, secus conceptus esset falsus. Ergo asseitas et infinitudo essentiae divinae et singulorum attributorum solummodo admittit distinctionem minimam.

**538. OBIECTIONES.**

1. Illa quae habent diversas definitiones perfecte inter se distinguuntur. Atqui essentia et attributa Dei habent diversas definitiones. Ergo perfecte distinguuntur inter se.

Resp. Distg. mai. Si habent definitiones adaequate diversas C.; si solum inadaequatas N. Contrd. min. et nego cons.

Atqui habent diversas definitiones adaequatas. Ergo...

2. Animal et rationale habent diversas definitiones adaequatas, perfecte ab invicem praescindunt. Atqui simili modo se habent essentia et attributa Dei. Ergo attributa et essentia divina habent definitiones adaequate diversas.

Resp. Conc. mai.

Nego min.

3. Si ratio unius atributi ab alio non perfecte praescindit, tum unum de alio formaliter praedicari potest. Atqui hoc reciciendum est. Ergo attributa divina inter et ab essentia perfecte ab invicem praescindunt.

Resp. Disting. mai. Si adaequate considerantur C.; si solum secundum explicitum N. Contrd. min.

Atqui non potest praedicari unum attributum de alio etiam adaequate sumptum. Ergo...

4. Tum v. c. misericordia formaliter qua misericordia punit et iustitia Dei formaliter qua iustitia parcit. Atqui hoc est falsum. Ergo non potest praedicari unum attributum de alio adaequate sumptum.

Resp. Disting. mai. Prout est a parte rei C.; prout est in conceptu subd. si adaequate consideratur C.; si solum inadaequate N.

Contrad. min.

Atqui haec sunt falsa etiam in reduplicatione adaequata. Ergo...

5. Attributis Dei competunt praedicata contradictoria. Atqui ea quibus competunt praedicata contradictoria nullo modo ab invicem possunt praedicari. Ergo non potest praedicari unum attributum de alio etiam in reduplicatione adaequata.

Resp. Disting. mai. prout in re sunt N.; prout sunt in conceptu subd. secundum explicitum C.; etiam secundum implicitum N.

Contrad. min.

Atqui attributis Dei competunt praedicata contradictoria prout sunt a parte rei. Ergo...

6. Independenter a mentis consideratione misericordia non est iustitia, iustitia non est misericordia, bonitas non est sapientia... Atqui esse et non esse contradictorie opponuntur. Ergo ante operationem intellectus competunt Deo praedicata contradictoria.

Resp. Disting. mai. in creatis C.; etiam in Deo N.

Conc. min. et distinguo pariter consequens.

Atqui etiam in Deo accidit. Ergo...

7. Si attributa Dei saltem non praescinderent ab invicem, mutuo sese includerent et essent synonima. Atqui tu hoc reicis in thesi. Ergo praedicata divina saltem ab invicem praescindunt.

Resp. Disting. mai. Si adaequate et formaliter explicite mutuo sese includerent C.; si solum inadaequate, formaliter et implicite N.

Conc. min. et disting. pariter cons.

Atqui ne inadaequate sese includunt. Ergo...

8. Conceptus noster obiectivus v. c. intellectus divini, nihil dicit nobis de essentia aut de attributis. Atqui quod potest concipi sine alio, hoc aliud in illo non includitur. Ergo neque inadaequate sese includunt.

Resp. Disting. mai. per exclusionem N.; per praecisionem subd. secundum explicitum C.; etiam secundum implicitum N.

Contrad. min. et nego consequens.

Atqui excluduntur v. c. a ratione intellectus omnia alia attributa. Ergo...

9. Conceptus v. c. intellectus divini sic efformatur: concipio intellectum creatum, qui a voluntate perfecte praescindit, tollo limitem et habetur conceptus intellectus infiniti. Atqui talis conceptus sic efformatus manet solum in linea intellectus. Ergo conceptus intellectus divini neque implicite includit reliqua attributa.

Resp. Disting. Mai. ita efformatur conceptus intellectus infiniti ut sic Tr.; intellectus divini Subd. inadaequate C.; adaequate N.

Contrad. min.

Atqui illa distinctio et inclusio implicita inintelligibilis manet. Ergo...

10. Distinctio attributorum proveniret aut ex Deo aut ex intellectu. Si solum ex Deo Deus erit in se compositus. Si vero ex solo intellectu distinctio est pure mentalis et erit modus falsus repraesentandi divinam naturam. Ergo illa distinctio et inclusio implicita est inintelligibilis.

Resp. Do tertium: fundamentaliter cum fundamento imperfecto est in re, formaliter quatenus distinctio est in intellectu.

11. Ratio cui non respondet aliquid in re falsa est et vana. Atqui si rationes attributorum in mente sunt multae et una res ei respondens rationes istae videntur vanae et falsae. Ergo illae rationes debent dari in Deo formaliter distinctae.

Resp. Conc. mai. et nego min.: omnibus rationibus respondet una res, non falso, sed inadaequate repraesentata.

12. Saepe ex uno attributo deducitur aliud per demonstrationem. Atqui inter medium demonstrationis et rem demonstrandam debet intercedere distinctio actualis. Ergo rationes attributorum debent esse in Deo formaliter distinctae.

Resp. Disting. mai. explicitum unius ex explicito alterius C.; etiam implicitum N.

Contrad. min. Realis N.; saltem rationis subd. adaequata N.; sufficit inadaequata C.

13. Ubi est distinctio ibi est compositio et consequenter imperfectio. Atqui in Deo nulla est compositio neque imperfectio. Ergo neque distinctio.

Resp. Disting. mai. Si distinctio est perfecta C.; si est imperfecta subd. datur compositio ex veris partibus N.; compositio logica, quae non fert secum imperfectionem C.

# CAPUT II

## De attributis Dei entitativis transcendentalibus

### ARTICULUS I

DE UNITATE DEI ET DE EIUS UNICITATE

**THESIS 23. Deus est unus et ita unicus ut metaphysice repugnet pluralitas deorum.**

**539. Bibliographia.**—S. TH., 1, q. 11, a. 3, 4.—SUÁREZ, DM 29, 2 et 3; D. 30, s. 10.—HONTHEIM, *Prael. Theod.*, p. 362.—URRABURU, *Theod.*, 1, p. 338 ss.—SCHAAF, *Theol. Nat.*, p. 273.—LOINAZ, *Prael. e Theol. Nat.*, p. 185 ss.—HELLÍN, *Theol. Nat.*, p. 415.—CUESTA, *Ontologia*, p. 154.—FRANZELIN, B., *Quaestiones selectae ex philosophia....*, p. 324 ss.—DELMAS, *Ontologia*, p. 225 ss.

**540. Nexus.** Egimus in thesi praecedenti de attributis divinis in genere, nunc iam de unoquoque attributo agendum est. Primo considerabimus attributa quiescentia transcendentalia et in hac thesi unitatem et unicitatem, quae arcte cohaeret cum unitate.

### 541. NOTIONES.

UNUM *in genere* est quod actu non est divisum. *Unitas* est indivisio illius, quod actu non est divisum.

UNUM TRANSCENDENTALE est quod est indivisum in se et divisum a quolibet alio. Dicitur *indivisum in se:* i. e. ens non est divisum in plures partes sui constitutivas, secus non haberetur unum ens, sed plura entia. A simplicitate vel compositione et inde etiam a divisibilitate vel indivisibilitate praescindit, ex se neutram dicit. Additur *divisum a quolibet alio:* id enim est ab alio divisum, quod non est aliud neque habet in alio propria constitutiva.

Tale unum vel unitas est proprietas essentialis entis ut sic, competit enti (reali) qua enti et sic omnia transcendit; et ab eo quod res sit extensa vel inextensa praescindit. Unde potest dari in ente uno inextenso quod est indivisum in se extra praedicamentum quantitatis v. c. in angelo, in anima humana; vel in ente uno extenso, quod est indivisum intra praedicamentum quanti v. c. in

quantitate, in substantia corporea. Hoc sensu ut patet est divisio specialis unius transcendentalis.

**542.** UNUM PRAEDICAMENTALE (ut est divisio specialis unius transcendentalis) est illud quod est indivisum sub ratione entis quanti; unde vocatur etiam quantitativum. Sic omnia entia quanta, seu res, quae vel sunt in praedicamento quantitatis ut sunt diversae classes quantitatis; vel res seu substantiae prout aliqua indivisa quantitate praeditae. *Unitas praedicamentalis* (seu ratio formalis unius quanti) est indivisio entis quanti.

Unum vel *unitas praedicamentalis numerica sensu strictiori* vel unitas mathematica est unum quatenus multitudinem mensurans seu numerans, seu unum prout est principium numeri (sive transcendentalis sive praedicamentalis). In hoc sensu unum opponitur duobus vel tribus, etc.

Haec unitas convenit unicuique rei singulari per connotationem (accidens) ad alias res ipsius seriei sive multitudinis; multitudini autem convenit ratione pluralitatis rerum quibus constat cum aliqua reductione ad unum ope collectionis saltem mentalis.

Haec unitas ab unitate transcendentali differt, cum illa non convertitur: aliud est enim esse indivisum in se, aliud esse alicuius collectionis unitatem. Hoc alterum ad rationem entis et unius transcendentalis per accidens se habet; huic enim addit hanc connotationem, hoc accidens, quod principium multitudinis et numeri sit.

## 543. *DIVISIONES UNIUS TRANSCENDENTALIS.*

*A)* Si attenditur ad ipsam actualem indivisionem entis in se, potest esse unum per se et unum per accidens.

*Unum per se* est ens proprie et simpliciter in se ipso indivisum, seu non multa simpliciter entia v. c. homo est unum per se in ratione essentiae, naturae, suppositi, partium integrantium.

*Unum per accidens* est ens proprie et in se ipso divisum, seu multa simpliciter entia; indivisum tamen sub aliqua accidentali ratione, qua plura entia considerantur ut efformantia unum ens. Ergo unum per accidens semper est aliquod compositum, ideoque ens simplex nequit esse unum per accidens.

*Unitas per accidens* est indivisio entis per accidens. Haec potest esse: merae aggregationis v. c. acervus lapidum, grex, exercitus...; dynamica v. c. plures equi trahentes currum...; ordinis accidentalis ut artificialia v. c. domus, in qua partes sunt simpliciter plura entia, quia tamen uniuntur mere extrinsece ad efficiendam domum, domus est unum quid, sed per accidens; substantiae cum accidente, non enim in eodem ordine se complent; haec si est unio naturalis maxime accedit ad unionem per se; moralis v. c. inter amicos.

## 544. UNUM PER SE POTEST ESSE SIMPLEX ET COMPOSITUM.

*Unum simplex* est illud quod actu est indivisum in se et indivisibile in partes sui constitutivas unde excludit intrinsecam divisionem sive actualem sive potentialem v. c. aliquis spiritus. *Unitas simplicitatis* est indivisio entis simplicis i. e. indivisi actu et indivisibilis. Et potest esse: *a)* Physica si excludit partes realiter inter se distinctas v. c. angelus in sua essentia. *b)* Metaphysica si excludit etiam partes sola ratione distinctas.

*Unum compositum* est illud quod actu est indivisum in se, sed potentia est divisibile v. c. homo in partes constitutivas animam et corpus. *Unitas compositionis* est indivisio entis compositi, i. e. indivisi actu, potentia vero divisibilis.

**545.** *B)* Si attenditur ad divisionem entis ab alio, prout dividi in plura quale ipsum est possit, non possit, praescindat; potest esse unum logicum, unum singulare et unum formale.

*Unum logicum* est illud (indivisum in se et divisum a quolibet alio) quod est indivisum actu

in plura qualc ipsum cst, sed est divisibilc in plura quale ipsum est sive univocc (v. c. natura bruti) sive analogice (v. c. ratio entis). Unde est unum in modo concipiendi etsi non in re in qua est tamtum fundamcntum.

**546.** *Unitas logica* est indivisio actualis alicuius naturae, sed cum communicabilitate in plura eiusdcm rationis perfecte vel imperfecte. Unde unitas logica:

1) Negat divisionem actualem (seu includit indivisioncm) intra ipsum ens seu naturam in partes diversae rationis a diviso seu in partes, quae non sunt tales quale est divisum, in quo consistit praecise unitas formalis. Ratio huius est quia si conceptus obiectivus universalis esset divisus in partcs diversae rationis, non esset unum aptum inesse pluribus, sed plura apta, quae insint pluribus, v. c. natura humana non est divisa in animalitatem et rationalitatem.

2) Negat divisionem actualem in plura quale ipsum unum logicum est, seu in partes eiusdem rationis cum diviso, quod etiam est proprium unius singularis. Ratio est quia si conceptus universalis esset actu divisus in partes eiusdem rationis cum se ipso, non esset unum quoddam, sed esset actu plura. Sic natura humana non est divisa actu in naturam humanam multiplicem.

3) Non negat, immo includit formaliter aptitudinem ad talem divisionem seu communicabilitatem, multiplicabilitatem in plura, quorum quidlibet est qualis tota natura est, v. c. natura humana potest communicari Petro, Paulo... Hoc praecise est quod negat unum singulare.

Ratio huius est quia si conceptus obiectivus universalis esset unus ita ut non contineret aptitudincm divisionis in plura eiusdem rationis, praecise haberet unitatem singularem; proin esset ineptus inesse pluribus per sui multiplicationem.

4) Dicitur unitas naturae abstractae, quia solum convenit naturae quatenus separatae per intellectum ab omni individuatione: ex individuis praecisa est et intellectus eam contemplatur tamquam aliquid unum et plurificabile.

5) Vocatur etiam universalis quia est apta ut de pluribus praedicetur sive univoce sive analogice.

**547.** *Unum singulare* est illud (indivisum in se et divisum a quolibet alio) quod est actu indivisum et indivisibile in plura inferiora quale ipsum est, i. e. in plura inferiora quorum quidlibet esset tale quale ipsum est. Sic v. c. Petrus non potest dividi in diversos Petros, quorum quilibet esset talis qualis est totus sc. Petrus.

**548.** *Unitas singularis* est indivisio individui in plura quale ipsum est. Unde unitas singularis:

1) Negat divisionem actualem (includit indivisionem) intra ipsum ens quod dicitur unum proprie seu per se. Sic v. c. Petrus non est divisus in corpus et animam.

2) Negat expresse, utpote singulare, distributionem seu divisionem sive actualem sive potentialem entis singularis in plura inferiora quale ipsum est: secus esset unum ct plura, esset idem et non esset idem. Aliunde nulla res habet ut partes constitutivas plura qualia ipsum est; v. c. cogita de Petro, de acervo lapidum qui utpote unum per accidens, actu est divisum in plures lapides, sed non in plures acervos.

3) Dicitur unitas individualis, quia solum convenit naturae individuatae sive in re sive in mente; unde est unitas realis et concreta, quae convenit rebus independenter a mentis consideratione.

4) Dicitur physica seu exsistentiae eo quod nihil nisi singulariter exsistere potest a parte rei.

5) Dicitur numerica vel numeralis sensu latiori, quia entia, quae eam participant ita sunt singula numero unum ut ex his additis multitudo et numerus exsurgat.

N. B. Unitas numerica sensu strictiori addit huic unitati numericae sensu latiori connotationem (accidens) ad alias res multitudinis.

**549.** *Unum formale* est illud quod (indivisum in se et divisum a quolibet alio) actu est indivisum in plura quale non est ipsum, i. e. in plura quorum quidlibet non esset tale quale ipsum istud est. A divisibilitate vel indivisibilitate in plura quale ipsum est praescindit, est indiffe-

rens ad utrumque. Sic unus unitate formali est v. c. Petrus quatenus non est divisus in animam et corpus vel in partes integrales, nam si in has partes divisus esset, nulla ex his talis esset, quale est totum sc. Petrus.

**550.** *Unitas formalis* est indivisio actualis alicuius naturae seu essentiae et divisio a qualibet alia praescindens de se ab eo quod sit vel non sit inferioribus communicabilis. Est complexus notarum constitutivarum talis naturae; ubicumque sit aliqua essentia vel natura ibi est haec unitas et quidem independenter a mentis consideratione siquidem notae seu ratio expressa, possibilis vel actualis, datur independenter a mentis consideratione etiam in universali logico. Unde est unitas notarum inter se quibus natura constat. Unde unitas formalis:

1) Negat actualem divisionem intra ipsum ens vel naturam quae una dicitur v. c. in homine inter animalitatem et rationalitatem.

2) Ex se seu formaliter neque includit neque excludit sed indifferenter se habet seu praescindit a communicabilitate vel incommunicabilitate in certis ac determinatis individuis, qui eam participant.

3) Dicitur essentialis seu naturae quia competit naturae et quidem independenter a mentis consideratione, seu est unitas realis quoad rationem expressam, quamvis realiter ab individuis praecisa non sit.

4) Unitas singularis addit ei individuationem; unitas universalis addit ei denudationem ab individuatione; unde verificatur tum in universali tum in singulari. Distinguitur ab utroque eo quod et universale et singulare est subiectum habens formam; unitas vero formalis est ipsa forma seu essentia qua tale universale et tale singulare constituitur.

**551.** Unicum est illud quod excludit aliud simile (sub ea ratione sub qua est unicum) in eadem ratione sive generica, sive specifica, sive individuali, de quo talis ratio praedicari possit. Unde differt ab uno, quod dicit indivisionem intra se, sed non negat alia similia in eadem ratione sive generica sive specifica.

Unicitas est negatio aliorum similium in eadem ratione generica, specifica vel etiam individua.

**552.** Unicum potest esse de facto et de iure.

Unicum de facto seu accidentaliter est illud quod ita excludit aliud eiusdem rationis sive genericae sive specificae ut quamvis de facto non detur, tamen non repugnat illud dari. Sic sol in nostro systemate planetario; sic etiam primus homo ante creationem mulieris erat unicus in ratione specifica.

N. B. Sed semper excluditur ut detur simile in eadem individuatione ut patet.

Unicum de iure seu essentialiter est illud quod ita excludit aliud eiusdem rationis essentialis genericae, vel specificae et individuae ut metaphysice repugnet dari praedicta similia.

**553.** Unicum de iure potest esse in ratione individui et in ratione esentiae sseu naturae.

*Unicum in ratione individui* est illud quod excludit aliud simile de quo per identitatem possit praedicari eadem individuatio. Sic omne individuum, utpote immultiplicabile, est unicum; tamen non excludit alia individua eiusdem speciei; certe alia individua eiusdem individuationis.

*Unicum in ratione essentiae* est illud quod excludit aliud simile de quo praedi-

cari possit per identitatem aliqua nota essentialis sive generica sive specifica. Sic essentia divina, quae est unica non solum in ratione individui, sed etiam in ratione essentiae; non vero essentiae creatae, quae sunt multiplicabiles sicut homines, etc...

## 554. STATUS QUAESTIONIS.

1. *In 1.ª parte* quaeritur utrum Deus sit maxime unus unitate transcendentali, quia non tam de unitate quam de speciali modo, quo talis unitas Deo competat, agimus.

Patet enim: Deum esse unum unitate transcendentali, quae competit omni enti; item esse unum unitate formali, siquidem haec unitas est inseparabilis a natura in quacumque eius statu, et in Deo identificatur cum unitate singulari; tandem esse unum unitate individuali seu singulari, siquidem Deus exsistit a parte rei et «quidquid exsistit individuum seu singulare est». Unitas universalis in Deo reicitur in parte sequenti.

555. 2. *In 2.ª parte* affirmamus Deum esse unicum de iure seu essentialiter i. e. ita ut metaphysice repugnet pluralitas deorum. *a)* In Petro v. c. natura humana prout est in Petro est unica de iure in ratione individui ita ut non possit multiplicari in aliis hominibus. Sed non est unica in sua specie, nec de facto nec de iure, quia invenitur in aliis individuis sola individuatione a Petro diversis. Proinde potest abstrahi natura humana, quae sit multiplicabilis in plura individua, de quibus tamquam de subiectis eam habentibus praedicetur.

*b)* Nunc agendo de Deo dicimus naturam divinam esse unicam de iure non solum in ratione individui seu quatenus invenitur in hoc determinato individuo, quod non potest multiplicari, sed etiam esse unicam in sua veluti specie, ita ut non possint esse plures dii sola individuatione diversi nec plures dii numerice et specifice diversi sed sub eodem genere. Proinde repugnat abstrahere aliquam notam divinam genericam, specificam vel individuam, multiplicabilem in plura individua divina de quibus tamquam de subiectis eam habentibus praedicetur per identitatem.

## 556. SENTENTIAE.

*Quoad primam partem* nulla est controversia.

*Quoad secundam partem:*

1) *Polytheismus* seu error agnoscentium multos deos; tamen ut plurimum aliquod ens aliis diis superius venerabantur.

2) *Dualismus* qui admittit duplex principium summum:

*a)* Alterum undequaque bonum et bonorum omnium fontem.

*b)* Alterum undequaque malum et malorum omnium causam. Talia principia sunt ab invicem independentia et opposita.

3) *Tritheismus.* In Deo sunt tres personae. Ergo etiam tres dii. Sic ABBAS IOACHIMUS.

4) Admittunt unicitatem, sed dicunt non posse demonstrari, HALENSIS, BASSOLIS, MAIOR, OCKAM, GABRIEL...

5) *Sententia* communis scholasticorum in nostra thesi enuntiatur.

## CENSURA.

Certa, tam unitas quam unicitas et huius demonstrabilitas. In Theologia unicitas Dei est de fide definita (D. B. 1782; 1801; 1806).

## PROBATUR.

**557. 1.ª pars.** Deus est maxime unus unitate transcendentali si est: *a)* Maximum ens; *b)* maxime indivisum in se; *c)* summe divisum a quolibet alio. Atqui ita est. Ergo Deus est summe unus.

*Maior.* Patet ex definitionibus: *a)* quia omne ens est unum. Ergo quo maius sit ens maior erit unitas; *b)* quia unum est quod est indivisum in se. Ergo quo magis indivisum est ens eo magis unum erit; *c)* quia unum est divisum a quolibet alio. Ergo quo magis divisum a quolibet alio magis unum erit.

*Minor.* *a)* Quia Deus est ens simpliciter infinitum.

*b)* Quia est actus purissimus et inde absolute simplex, proinde etiam absolute indivisus et indivisibilis.

*c)* Quia est absolute independens ab aliis entibus.

**558. 2.ª pars.** I. Deus est ens omniperfectum et simpliciter infinitum. Atqui ens omniperfectum et simpliciter infinitum debet esse unicum. Ergo Deus est unicus.

*Maior.* Probata manet in thesibus 16, 18.

*Minor.* Si plures sunt dii seu entia omniperfecta differunt per aliquid, quod erit perfectio vel imperfectio. Iam vero imperfectio nulla dari potest in ente perfectissimo; nulla vero perfectione carere potest ens perfectissimum. Ergo ens omniperfectum et simpliciter infinitum debet esse unicum.

Si plures ponantur dii seu entia omniperfecta, unumquodque, utpote ens a se et absolute necessarium, haberet entitatem, perfectionem, valorem numerice distinctum et independentem a valore aliorum necessariorum. Ergo summa omnium esset aliquid maius unoquoque ideoque nullum eorum esset omniperfectum et simpliciter infinitum.

**559.** II. Natura cui essentialis est haec determinata individuatio nequit multiplicari seu debet esse unica. Atqui naturae divinae essentialis est haec determinata individuatio. Ergo natura divina essentialiter est unica seu Deus est unicus.

*Maior.* Quia multiplicata natura multiplicaretur eadem individuatio (individuum) siquidem essentialis est illi essentiae. Atqui eadem individuatio est immultiplicabilis. Ergo etiam natura cui essentialis est haec determinata individuatio est immultiplicabilis.

*Minor.* Quidquid exsistit vel exsistere potest individuum est. Atqui natura divina absoluta necessitate exsistit, est enim essentia divina formaliter exsistentia actualis. Ergo essentia divina absoluta necessitate est natura individua seu singularis.

Item natura divina est haec natura individua unica: si enim diceret plures individuationes, a, b, c... illas diceret:

—*aut essentialiter* ex ratione asseitatis et absolutae necessitatis ita ut unaquaeque individuatio esset penitus inseparabilis a tali natura, et tunc necessarium A haberet simul individuationes a, b, c... i. e. essent simul B, C, D... nempe res absurda, sicut absurdum est dicere eumdem hominem posse esse Antonium, Iacobum, Petrum...

—*aut esset indifferens* ad omnes, quod iterum repugnat in ente a se et absolute necessario, cum hoc supponat imperfectionem et potentialitatem.

**560.** III. Deus est ens absolute necessarium et a se. Atqui ens absolute necessarium et a se debet esse unicum. Ergo Deus est unicus.

*Maior.* Probata manet in thesi 7.

*Minor.* Nam si esset multiplex daretur in illo aliquid repugnans, nempe dependentia, mutabilitas...

Ens enim absolute necessarium v. c. A ex sua capacitate posset perfectiones aliorum necessariorum cognoscere; aliunde ipsum solum non sufficeret ad hoc, dependeret ab aliis necessariis, cum horum perfectiones non fundentur in necessario A.

Item potentia omnium necessariorum esset multipliciter dependens, limitata, eo quod possent sibi mutuo resistere, non possent facere quidquam in campo realitatis seu effectuum aliorum necessariorum, nec illa destruere, nec ullo modo mutare, utpote entia absolute necessaria.

**561. SCHOLIUM. De dualismo.**

**Bibliographia.**—Hontheim, *Inst. Theod.*, p. 372.—Loinaz, *Prael. e Theol. Nat.*, p. 193 ss.—Urraburu, *Theod.*, 1, p. 369 ss.—Bardy, *Manichéisme:* DTC, col. 1.858-1.894.—Hellín, *Theol. Nat.*, p. 426.—Gisquière, *Prael. Theod.*, 1, p. 382.

**562.** Dualismus, ut diximus, est systema, quod admittit duo suprema principia, alterum bonum; malum alterum ut rationem causativam et explicativam mali.

Malum *latissime* est illud quod caret aliqua perfectione sive debita sive indebita. Unde malum est nomen concretum habens subiectum et formam:

—*subiectum* seu malum materialiter spectatum est ipsa res, quae est et dicitur mala v. c. oculus infirmus, homo peccator...;

—*forma* vero est ipsa malitia seu illud, quo aliquid est et dici possit malum.

*Malum improprie dictum* seu *metaphysicum* est illud, quod caret perfectione sibi non debita; sic omne ens finitum et creatum.

*Malum proprie dictum* (privative) est quod caret perfectione sibi debita: *sive in ordine physico*, v. c. morbus in corpore (malum naturale); castigatio corporis (malum poenae propter de-

lictum); fames... (malum probationis); sive in ordine morali, sic peccatum (malum morale, malum culpae).

**563.** 2. Habeantur prae oculis sequentia iam probata in Ontologia (68).

*Malum formaliter sumptum:*

*a)* in privatione consistit;

*b)* non potest esse a se, sed ab alio inde efficientem sui habet causam, nempe bonum a quo malum causatur per accidens;

*c)* habet etiam causam materialem et quidem per se, quae iterum non potest esse nisi bonum in quo est malum tanquam in subiecto;

*d)* non habet causam formalem nec est causa formalis, siquidem omnis forma est aliquid positivum; tamen malum concipimus ad modum formae;

*e)* non potest esse causa finalis, siquidem malum semper intenditur sub ratione boni; nec potest habere qua tale causam formalem; tamen quis potest intendere malum sub ratione boni v. c. calumniam propter finem v. c. ad vindictam sumendam de alio.

**564.** 3. His positis, refutatur dualismus.

a) *Est falsus:* certo enim probatum est in thesi ens a se, absolute necessarium, omniperfectum et infinitum esse unicum tum de facto tum de iure. Ergo dualismus admittens duplex principium a se et independens est falsus.

b) *Est contradictorius:* Nam malum in privatione consistit. Unde principium summe et undequaque malum esset summa et undequaque privatio. Iam vero summa illa privatio nec potest existere in se nec potest quidquam operari (operari enim in aliquo positivo consistit). Ergo principium undequaque malum repugnat.

—Primum principium a se ex essentia sua est omniperfectum, unde repugnat ut possit habere aliquam privationem vel carere aliqua perfectione sive in ordine physico sive in ordine morali (essentia Dei est suprema norma moralitatis). Atqui principium mali est summa privatio. Ergo dualismus est contradictorius.

c) *Est inutilis* ad malum explicandum: si enim illa principia sunt aequalis virtutis, tum superius esset infinitum non vero inferius et daretur solum bonum vel malum prout sit principium illud superius bonum vel malum.

d) *Est innecessarius* ad finem intentum explicandi originem mali in mundo: Nam mala mundi sine recursu ad principium malum bene explicantur. Deus principium summe bonum potest velle indirecte malum improprie dictum seu metaphysicum et per accidens malum physicum. Insuper potest permittere malum morale ut postea explicabimus in Scholio I, n. 1.280; et in Scholio V, n. 1.335.

Ergo dualismus inutilis est ad originem mali explicandam (69).

## 565. OBIECTIONES.

1) Plures dii aequales, i. e. eiusdem naturae specificae et sola individuatione diversi admitti possunt. Ergo infinitas in ratione entis non postulat unicitatem.

Resp. Nego antecedens. Nam individuatio est aliquid et nullum eorum possideret individuationem caeterorum: *a)* nec formaliter quia sunt distincti numerice; *b)* nec virtualiter quia sunt entia a se. Ergo alius ab alio produci non potest; *c)* nec eminenter quia unus eorum esset perfectior reliquis contra hypothesim.

2) Individuatio nihil ponit seu addit naturae. Ergo quamvis illa entia sint numerice distincta, essent summa et simpliciter infinita.

Respondeo Dist. antc. Nihil addit naturae communi N.; nihil addit naturae individuatae seu individuo a parte rei C.

Nego consequens et consequentiam.

(68) FRANZELIN, B., *Quaestiones selectae ex philosophia...*, p. 381 ss.
(69) LOINAZ, *Prael. e Theol. Nat.*, p. 559, 560, 561.

EXPLICATIO. Individuatio est aliquid positivum seu addit aliquid positivum supra naturam communem in entibus intra eamdem speciem multiplicabilibus, quod quidem sit fundamentum indivisionis rei singularis in plura qualis ipsa est.

Illud positivum quod addit individuatio, est iuxta nostram sententiam vindicatam in Ontologia aliquid distinctum ratione cum fundamento in re a natura cui additur.

Unde etsi individuatio nihil addat naturae individuatae seu individuo a parte rei, tamen individuum A differret ab individuo B per totam suam entitatem; individuum A careret tota entitate individui B quod est numerice distinctum et independens ab individuo A. Hinc argumentum ex infinitate antea a nobis propositum non solum probat repugnantiam plurium necessariorum inaequalium, sed etiam aequalium inter se.

3) Individuatio ponitur ad naturam faciendam singularem. Atqui natura est singularis per se ipsam. Ergo individuatio nihil addit naturae.

Resp. dist. mai. individuatio ponitur ut natura communis contrahatur et fiat singularis C.; ut natura exsistens et quatenus exsistens est fiat singularis N.

Contr. min. natura communis est singularis per se ipsam N.; natura singularis Subd., i. e. non per aliquid realiter distinctum C.; non per aliquid a natura ratione distinctum N.

EXPLICATIO. Individuatio respectu naturae communis supervenit extrinsece ut differentia extrinseca; sed respectu individui est maxime intima et essentialis cum sit illud quo individuum est tale individuum.

4) Nihil potest addi nisi rei exsistenti. Atqui res exsistens est individua. Ergo individuatio nihil addit supra naturam (nam iam invenit rem individuam).

Resp. dist. mai. Nihil realiter distinctum potest addi nisi rei exsistenti C.; nihil potest addi i. e. in re exsistente non potest distingui distinctione rationis cum fundamento in re illud quod est commune omnibus individuis eiusdem speciei ab illo quod est proprium uniuscuiusque individui quaeque proinde individuatione additur N.

Contr. min. Nihil habens nisi illud quod est commune omnibus individuis N.; composita compositione rationis ex natura communi et individuatione C.

5) Natura Petri identificatur cum sua individuatione. Atqui tamen natura multiplicatur. Ergo identificatio naturae cum individuatione non facit eam inmultiplicabilem.

Resp. dist. mai. Realiter et ratione N.; realiter solum, non ratione C.

Concedo minorem.

Dist. pariter consequens: identificatio re et ratione ut accidit in Deo N.; identificatio realis, sed non secundum rationem C.

6) Si natura specifice est eadem et ei essentialis est talis determinata individuatio, planum est illam naturam non posse multiplicari. Si vero supponamus esse plures naturas specifice diversas A, B, C... tum A est essentialis individuatio—a—; B est essentialis individuatio —b—, etc... Ergo iam non repugnat ex hoc capite pluralitas deorum.

Resp. Nego antec. sc. posse esse plures naturas divinas specifice diversas. Nam tum ratio communis omnibus, inde indifferens ad diversas species, esset *asseitas* vel absoluta necessitas, hoc autem repugnat omnino. Differentia vero specifica, si est a se non differt a ratione communi, i. e. non est differentia specifica; si vero non est a se, non pertinet ad ens absolute necessarium.

7) Unaquaeque persona S. Trinitatis est omniperfecta et simpliciter infinita. Atqui personae multiplicantur. Ergo ens omniperfectum et simpliciter infinitum multiplicari potest.

Resp. Disting. mai. per camdem numerice omniperfectionem et infinitudinem ratione unius eiusdemque numerice naturae C.; per diversam numerice omniperfectionem et infinitudinem N.

Conc. min.

Disting. pariter cons.

8) In Deo dantur tres personae. Atqui omnis persona est suppositum. Ergo in Deo dantur tria supposita. Atqui omne suppositum est individuum. Ergo dantur in Deo tria individua seu tres dii.

Resp. Conc. mai. et min, et primum consequens.

Disting. min. subs., i. e. quod est suppositum est individuum C.; multiplicatis subsistentiis, suppositis etiam individua multiplicantur subd. in creatis in quibus natura est multiplicabilis C.; in divinis N. Et nego consequens.

Explicatio. In Deo dantur:

*a)* Tres personae divinae, tria supposita, tres subsistentiae seu personalitates: unde multiplicatis subsistentiis multiplicantur supposita quamvis non multiplicetur natura individua.

*b)* Est una numerice seu unica essentialiter natura seu essentia seu substantia singularis tribus suppositis divinis communicata, nullo modo multiplicata. Si multiplicaretur natura, darentur etiam diversae individuationes et individua.

*c)* Tres personae divinae identificantur realiter et formaliter cum natura divina; et personae sunt tres non essentialiter, sed mere relative per relationes immanentes et oppositas ita ut inter naturam et personalitatem detur, iuxta nos, distinctio rationis non mutua.

Aliae personae in aliis sunt et mutuo se immeant per eam quam Theologi vocant περίχώρησιν vel circuminsessionem aut circumincessionem. Proinde unaquaeque Persona divina possidet «non solum aequivalenter, sed etiam eminenter et formaliter perfectiones individuales ceterarum; non per attributionem tamquam aliquid proprium, sed per circumincessionem, quia aliae in aliis sunt».

9) Sicut Deus est essentialiter hic Deus, haec natura cum hac determinata individuatione, ita est essentialiter haec persona cum hac determinata personalitate. Atqui personae multiplicantur. Ergo etiam dii possunt multiplicari.

Resp. Nego mai.

Explicatio. Individuatio est perfectio absoluta et non possum concipere naturam divinam sine hac determinata individuatione. Paternitas, etc... est perfectio relativa et essentiae seu naturae convenit non ut constitutivum essentiae sed quasi ut proprietas, unde possum concipere naturam divinam quin concipiam determinatam personalitatem, non vero possum concipere determinatam personalitatem quin concipiam naturam divinam.

10) Ens perfectum potest producere sibi simile. Atqui essentia divina perfectissima est. Ergo potest producere aliam naturam divinam.

Resp. dist. mai... in entibus quorum naturam non repugnat in diversis individuis multiplicari C.; in ente cuius natura nequit multiplicari N.

Cont. min. ita ut possit multiplicari N.; ita ut non possit multiplicari C.

11) Pluralitas alicuius naturae non introducit imperfectionem in hanc naturam. Ergo natura divina multiplicari potest.

Resp. dist. antec. Non introducit, sed supponit imperfectionem C.; non supponit imperfectionem N. Natura enim eo ipso quod numerice multiplicari potest non est infinita.

12) Deus est omnipotens. Atqui si Deus non posset producere aliquid sibi perfecte simile non esset omnipotens. Ergo potest producere aliud infinitum.

Resp. Conc. mai. et nego minorem. Ens enim infinitum productum repugnat; adaequatus vero terminus omnipotentiae est ut plura et perfectiora sine fine producere valeat, quin tamen ad ens Deo perfecte simile, quod dari nequit, perveniat.

13) Res quae in pluribus inest non est numerice una. Atqui natura divina est in pluribus. Ergo non est eadem natura in tribus Personis.

Resp. dist. mai. Si illa res in pluribus multiplicatur C.; secus N. Tres divinae Personae habent eamdem numerice naturam.

## ARTICULUS II

### De ontologica Dei veritate et bonitate

**THESIS 24. Deus est ontologice verus et bonus.**

566. **Bibliographia.**—S. Th., 1, q. 16, a. 5; q. 6; 1 CG, c. 60.–Suárez, DM 8, 1-7; et D. 10; *De Deo*, l. 1, c. 7 et 8.–Hontheim, *Inst. Theod.*, p. 517 ss.—Delmas, *Ontologia*, p. 331 ss.—Urráburu, *Theod.*, 1, p. 392 ss.—B. Franzelin, *Quaestiones selectae ex philosophia...*, p. 340 ss.—Hellín, *Theol. Nat.*, p. 440 ss.—Gisquière, *Prael. Theol. Nat.*, 1, p. 406.—Cuesta, *Ontología*, p. 171 ss.

567. **Nexus.** Egimus in thesi praecedenti de primo attributo Dei transcendentali, nempe de unitate. In hac thesi agemus de ontologica Dei veritate et bonitate.

### 568. NOTIONES.

Veritas in genere est adaequatio inter intellectum et rem.

Omnis veritas importat conformitatem seu adaequationem: sive intellectus cum re, sive rei cum intellectu, sive locutionis cum mente loquentis. Hinc triplex veritas: logica seu in cognoscendo, ontologica seu in essendo et moralis seu in loquendo.

569. Veritas logica est conformitas seu adaequatio intellectus cum re. Unde est ipse actus cognitionis quatenus rei conformis seu quatenus obiectum repraesentat sicuti est.

570. Veritas ontologica est conformitas seu adaequatio rei cum intellectu et consistit in intelligibilitate rei.

Explicatio: *Conformitas* seu adaequatio: res dicitur conceptum sui aequare eique esse conformem cum res seu notae rei ita in intellectu repraesentantur ut perfecte respondeant notioni mentali.

*Conformitas actualis:* cum res intellectui actu cognoscenti respondet.

*Conformitas aptitudinalis:* cum res nata est exacte a mente intelligi. Ad veritatem ontologicam sufficit conformitas aptitudinalis, per quam res est intelligibilis.

*Cum intellectu:* i. e. cum idea tum obiectiva tum subiectiva. Et quidem cum quocumque intellectu, sed primario cum intellectu divino, secundario per ordinem ad intellectum creatum.

Veritas ontologica: *materialiter sumpta* (fundamentaliter) nihil aliud est quam ens, ipsa rei entitas seu realitas vera; *formaliter sumpta* est illud quo ens est verum i. e. entitas rei prout dicit ordinem ad intellectum; *transcendentalis* est illa quae convenit enti quatenus est ens; *non transcendentalis* est illa quae convenit enti in quantum est tale ens, sic conformitas qua v. c. aliquid est verum aurum, verum vinum...

**571.** VERITAS MORALIS seu veracitas est conformitas seu adaequatio locutionis seu sermonis cum intellectu seu cum mente loquentis. Haec veracitas stat in eo quod sermo fideliter exprimat quod loquens in mente habet.

**572.** VERITAS LOCUTIONIS dicitur conformitas sermonis cum re prouti est in se; consistit in eo quod verba exprimant rem prouti est in se secundum significationem quam reapse habet in communi hominum comercio. Est tantum signum externum veritatis logicae.

**573.** BONUM *in genere* est illud quod alicui convenit ideoque appetibile est appetitu sive innato sive elicito. Bonitas est perfectio conveniens ideoque appetibilis.

**574.** BONUM ABSOLUTUM seu in se aut sibi, dicitur res, quae sibi bona est; sic res respectu essentiae propriae in se bona est.

BONUM RELATIVUM seu alteri est quod alteri convenit; sic forma perficit materiam, causa effectum, pars totum, scientia et virtus hominem.

**575.** *Bonum honestum*, *delectabile* et *utile*. Cfr. thes. 10.

**576.** BONUM PHYSICUM est illud, quod convenit naturae quatenus natura est secluso morum respectu; sic membrorum integritas, sanitas, vivere...

BONUM MORALE est illud quod convenit naturae rationali qua tali seu quatenus libere operanti, v. c. colere Deum.

BONUM PER ESSENTIAM est illud, quod est bonum a se ipso et seipso i. e. non per ullam formam superadditam.

BONUM PER PARTICIPATIONEM est bonum quod est ab alio et per aliud i. e. per formam supperadditam.

## 577. STATUS QUAESTIONIS.

*In 1.ª parte* dicimus Deum esse ontologice verum, summe verum, ipsam veritatem et omnis veritatis ontologicae originem. Unde quaestio est solum de veritate ontologica transcendentali.

*In 2.ª parte* affirmamus Deum esse ontologice bonum, summe bonum, ipsam bonitatem et omnis bonitatis ontologicae originem. Et quidem est bonum tum absolute tum relative.

**CENSURA.** Certa.

**578. PROBATUR.**

**1.ª Pars.** Illud est verum ontologice, quod est intelligibile seu intrinsece aptum ut terminet iudicium verum de ipso. Atqui Deus est intelligibilis. Ergo Deus est ontologice verus.

*Maior.* Constat ex definitione veritatis ontologicae.

*Minor.* Omne ens est verum veritate ontologica seu intelligibile et inde etiam Deus, siquidem est ens, tum relate ad intellectum creatum tum relate ad intellectum divinum.

*Est summa veritas,* quia quo maior est rei entitas eo maior est intelligibilitas seu veritas ontologica. Deus vero est plenitudo entitatis. Ergo etiam est plenitudo veritatis ontologicae.

*Est ipsa veritas,* quia est verum per essentiam suam et non ab alio nec per formam ullo modo supperadditam.

*Est prima veritas* et origo omnis veritatis ontologicae: est enim primum ens et origo omnis entitatis. Ergo etiam est origo omnis veritatis ontologicae, quae nihil aliud est quam ipsa entitas rei prout dicit ordinem ad intellectum.

**579. 2.ª Pars.** Omne ens, ut probatum est in Ontologia, est bonum bonitate ontologica tum absolute tum relative. Atqui Deus est ens. Ergo Deus est ontologice bonus tum absolute tum relative.

*Declaratur consequens.* Deus est bonus bonitate absoluta, quia habet suam entitatem, qua in suo esse constituitur, quae procul dubio est perfectio sibi conveniens. Est bonus etiam bonitate relativa quia confert aliis bona ut causa efficiens, exemplaris, finalis omnis entitatis et proinde omnis bonitatis ontologicae.

*Est summa bonitas absoluta,* quia entitas Dei qua in suo esse constituitur et inde sibi conveniens, est summa in ratione entitatis; ergo etiam est summa in ratione convenientiae et in ratione bonitatis ontologicae absolutae. Est summa bonitas etiam relativa, quia omne bonum creatum est participatum et ab Ipso creaturis donatum.

*Est ipsa bonitas.* Deus enim est bonus a se, per essentiam suam et non per formam ullam supperadditam.

*Est origo omnis bonitatis creatae,* quia est origo omnis entitatis. Ergo etiam omnis bonitatis ontologicae tum absolutae tum respectivae.

**580. SCHOLIUM I. De veritate logica et morali Dei.**

Deus est:

*Veritas formalis seu logica:* haec enim consistit in eo quod cognitio sit obiecto conformis seu repraesentet obiectum sicuti est. Iam vero Deus intelligibilis actu est idem ac intellectus divinus intelligens actu, unde cognitio divina non potest non esse conformis obiecto.

*Summa veritas formalis seu logica,* nam quo maior actus cognitivus, maius obiectum cognoscibile et maior conformitas eo maior est veritas logica. Atqui actus cognitivus Dei est infinite

perfectus, obiectum Deus est infinite cognoscibile, inde etiam conformatio etiam infinite perfecta. Ergo Deus est summa veritas logica.

*Origo omnis veritatis formalis:* quia ab Ipso procedit in genere causae efficientis et exemplaris omnis cognitio creata.

*Summa veritas moralis seu veracitas.* Nam Deus est omniperfectus et continet omnes perfectiones simpliciter simplices in summo gradu. Atqui veracitas est perfectio simpliciter simplex (mendacium est intrinsece malum, imperfectio). Ergo Deus est summa veritas moralis seu veracitas.

**581. SCHOLIUM II. De bonitate morali Dei.**

Deus est:

*Bonus moraliter:* nam bonitas moralis est perfectio simpliciter simplex, quae in creaturis invenitur. Ergo a fortiori in Deo ut in earum causa.

*Summe bonus moraliter* quia est bonus et sanctus a se ideoque infinite bonus et sanctus.

*Ipsa bonitas moralis*, quia ei convenit a se, imparticipate et non per ullam formam supperadditam.

*Origo omnis bonitatis moralis* quia est auctor et promotor omnis bonitatis et sanctitatis creatae.

# CAPUT III

## De attributis Dei entitativis negativis

## ARTICULUS I

### De divina simplicitate

**THESIS 25. Deus est simplicissimus quamlibet excludens compositionem sive physicam sive metaphysicam.**

582. **Bibliographia.**—S. Th., 1, q. 3, a. 1-8; 1 CG, c. 16-20.—Suárez, DM, 30, 3, 4; *De Deo*, l. 1, c. 4 et 5.—Hontheim, *Inst. Theod.*, p. 326-342.—Schaaf, *Theol. Nat.*, p. 263 ss.—Urraburu, *Theod.*, 1, p. 451-459.—Brosnan, *Theol. Nat.*, p. 156 ss.—Loinaz, *Prael. e Theol. Nat.*, p. 125 ss.—Hellín, *Theol. Nat.*, p. 448 ss.

583. **Nexus.** Absoluta quaestione de attributis entitativis transcendentalibus divinis, veniunt nunc tractanda attributa negativa sive illa, quae removent a Deo imperfectiones creaturarum sive illa, quae removent a creaturis potentiam ad illum perfecte cognoscendum.

Egimus iam in praecedentibus de infinitate et de unitate, quae proxime cohaeret cum simplicitate eo quod unitas maxime eluceat in ente simplici. Unde nunc de simplicitate divina agendum est.

### 584. NOTIONES.

Compositum: *lato sensu* (ex componentibus) est illud quod non constat veris partibus, sed pluribus elementis intrinsece coeuntibus in unum. Tale est v. c. compositum theandricum in quo datur compositum ex componentibus: unum elementum est natura humana; et Persona Verbi alterum, quod est omniperfectum et aequivalet alteri parti et toti;

—*stricto sensu* (ex partibus) est illud quod constat partibus stricte dictis coeuntibus intrinsece in unum v. c. homo componitur ex anima et corpore (compositum ex aliis); anima componit cum corpore et corpus cum anima (compositum cum aliis).

585. Compositio *stricte dicta* est unio intrinseca distinctorum incompletorum.

EXPLICATUR: *Unio intrinseca* quia si non essent elementa unita intrinsece haberetur multitudo, sed non compositio.

*Distinctorum* (adaequate), quia si elementa non sunt distincta erunt identica et habebitur simplicitas.

*Incompletorum* seu partium stricte dictarum, quae sunt per se imperfectae et per alias partes perficiuntur in compositione ita ut unum tertium perfectius exsurgat quam singula elementa.

**586.** DIVISIONES COMPOSITIONIS.

*Accidentalis* est illa quae constat partibus accidentalibus; vel in ratione unionis quae est per accidens ut illa quae oritur ex substantia et accidente; vel ex duobus accidentibus. Sic ex homine et albedine; ex intellectu et intellectione. *Substantialis* est illa quae oritur ex partibus substantialibus coeuntibus in unam substantiam: sic materia et forma; partes integrantes, natura et suppositum; essentia et exsistentia; genus et differentia.

*C. Essentialis* est illa, quae constat componentibus constitutivis essentiae, quorum uno sublato nec esse nec concipi potest v. c. homo constans anima et corpore; animalitate et rationalitate. *C. Integralis* est illa quae constat partibus integrantibus seu illis, quae essentiam non constituunt sed integram faciunt; sunt eiusdem rationis essentialis, quarum singulis disiuncte sublatis non perit essentia v. c. homo constat brachiis, pedibus, capite; in vase aquae omnes guttae sunt aquae et qualibet sublata remanet aqua.

*Physica* habetur quando partes sunt physicae realiter distinctae v. c. anima et corpus in homine. *Metaphysica* habetur quando partes sunt tantum ratione distinctae et ab invicem praescindentes adaequate. Sic animalitas et rationalitas in homine. *Logica:* a) *Non pure mentalis:* si partes distinguuntur ratione cum fundamento imperfecto in re. Proinde datur inter conceptus quorum unus dicit alium formaliter implicite ut accidit in attributis divinis (mutua); vel inter modos et ens (non mutua).

b) *Pure mentalis:* sine fundamento in re ad distinctionem partium. Proinde datur compositio logica inter conceptus qui se explicite dicunt, sed diverso nomine v. c. inter hominem et animal rationale; inter essentiam et exsistentiam in Deo.

**587.** SIMPLEX est quod caret partibus actu et potentia; unde est ens actu indivisum et indivisibile. Sub eo igitur respectu sub quo est simplex pluralitatem internam et distinctionem partium excludit.

*Pars* est unum ex pluribus ex quibus totum coalescit. De essentia partis est ut una pars non sit alia nec contineat perfectionem alius partis aut totius.

**588.** SIMPLICITAS est carentia compositionis. Potest esse:

*S. praecisiva* est illa quae habetur in ordine logico ex remotione determinationis obiectivae. Inde a compositione praescindit, non autem eam negat. Sic ratio entis ut sic, quae est ultimus terminus resolutionis conceptuum. *S. negativa* est illa quae habetur in ordine physico ex remotione realitatis; unde quo

maior est haec simplicitas eo minor est perfectio entis: talis unitas est in parte respectu totius, in substantia carente accidentibus. *S. positiva* est illa quae habetur in ordine reali ex remotione divisibilitatis et compositionis. Quamvis negative exprimatur in se simplicitas positiva est perfectio positiva siquidem est realiter identificata cum ente simplici eique nihil addit nisi negationem compositionis et consequenter etiam negationem imperfectionis. Unde ceteris paribus et si in eodem ordine accipiatur praecellit compositioni, quae ex sua ratione imperfectionem importat.

**589.** Simplicitas positiva potest esse:

*In ratione substantiali* est carentia compositionis substantialis v. c. anima humana est substantialiter et physice simplex;

*in ordine accidentali* est carentia compositionis accidentalis. Sic Deus.

**590.** *Essentialis* est carentia compositionis essentialis. Sic spiritus est essentialiter physice simplex.

*Integralis* est carentia compositionis integralis. Sic spiritus est integraliter simplex.

**591.** *Physica* est carentia compositionis physicae seu componentium realiter distinctorum in ratione sive essentiae, sive integritatis, sive complementi substantialis et accidentalis. Sic spiritus est physice simplex in ratione essentiae et integritatis. *Metaphysica* est carentia compositionis metaphysicae seu componentium distinctorum re et ratione cum fundamento in re ita ut ab invicem praescindant. Sic Deus est metaphysice simplex. *Logica* est carentia compositionis logicae seu illa quae excludit omnem distinctionem conceptuum. Sic Deus pro intellectu qui eum videat sicuti est.

## 592. STATUS QUAESTIONIS.

1. Iam probavimus Deum habere omnes et singulas perfectiones. Nunc quaeritur: habetne illas iuxta pluralitatem an iuxta summam unitatem et simplicitatem?

2. Asserimus Deum esse simplicissimum omnem compositionem sive physicam sive metaphysicam excludentem. Unde excludimus a Deo omnem compositionem ex veris partibus.

3. In thesi non excluditur compositio logica pure mentalis nec logica non pure mentalis cum fundamento imperfecto in re.

4. Proprie quaestio est hic de compositione ex rationibus absolutis. Relinquimus theologis explicandum quomodo relationes reales ad intra in Trinitate non obstant simplicitati Dei.

5. Relationes vero Dei ad creaturas vel etiam illae quas non possumus fingere (similitudinis vel dissimilitudinis) in Deo aut inter diversa attributa, non obstant divinae simplicitati siquidem omnes sunt relationes rationis, quae nihil ponunt in Deo.

## 593. ADVERSARII.

1. MATERIALISTAE, qui non admittunt nisi materiam absoluta necessitate sese evolventem.

PANTHEISTAE pro quibus Deus est mundus uno vel alio modo iuxta diversas sententias.

SPINOZIANI tenent Deum constare ex substantia et ex innumeris attributis, quorum duo sunt nobis cognita, extensio nempe et cogitatio.

2. ANTHROPOMORPHISTAE (monachi aegiptii saec. IV et V) attribuentes Deo corpus humanum. Simile quid docuerunt quidam Arabes.

3. GILBERTUS PORRETANUS (1076-1154) tenet proprietates absolutas Dei ut subsistentiam seu personalitatem realiter distingui ab essentia, inde ponit in Deo compositionem ex natura physica et personalitate seu ratione subsistentia.

4. QUIDAM MAHUMETANI videntur admisisse compositionem realem ex substantia et accidentibus.

5. NOMINALES quidam cum aliquibus scholasticis (Arriaga, Izquierdo...) posuerunt in Deo compositionem metaphysicam, affirmantes ipsum esse compositum ex genere et differentia: ex genere substantiae et differentia asseitatis. Forsam lis sit de nomine cum illis scholasticis.

6. P. VÁZQUEZ admittit in Deo compositionem rationis ex substantia et attributis divinis.

## CENSURA.

Certa in Philosophia. In Theologia simplicitas realis absoluta est de fide definita. DB. 1782.

## 594. PROBATUR.

I. Deus est omniperfectus. Atqui compositum est essentialiter imperfectum. Ergo Deus non est compositus.

*Maior.* Iam probata est.

*Minor.* Compositum constat partibus sive physicis sive metaphysicis. Pars ut talis est imperfecta siquidem involvit potentialitatem et dependentiam respectu alterius partis et respectu totius: pars enim perficit alias partes et perficitur ab eis. Item compositum completur et determinatur et dependet intrinsece a partibus sine quibus nihil est et dicit dissolubilitatem, potentialitatem. Tandem totus complexus per vim causae efficientis de potentia transit in actum, cum partes ex se ipsis nullam sufficientem habent determinationem sive exsistendi sive componendi.

595. II. Deus est simpliciter infinitus. Atqui compositum non potest esse simpliciter infinitum. Ergo Deus non est compositus.

*Maior.* Iam probata est.

*Minor.* In composito una pars stricte talis sive physica sive metaphysica est aliquo carens... i. e. caret perfectione partis partiumque ad quas est in potentia; sic et omnes partes, proinde sunt necessario finitae. Atqui ex finitis infinitum simpliciter exsurgere nequit. Ergo compositum non potest esse simpliciter infinitum.

**596.** III. Deus est actus purissimus. Atqui actus purissimus est absolute simplex. Ergo Deus est absolute simplex.

*Maior.* Iam probata est in praecedentibus.

*Minor.* Quia secus haberet partes sive physicas sive metaphysicas, quae essent in potentia ad invicem ut se perficiant et ad totum constituendum. Ergo actus purissimus est absolute simplex.

**597.** IV. Compositiones in Deo in concreto essent: ex materia et forma, ex partibus integrantibus, ex natura et personalitate, ex substantia et accidente, ex genere et differentia, ex natura et individuatione, ex essentia et exsistentia. Iam vero hae compositiones constant partibus sive physicis sive metaphysicis inde dicentibus potentialitatem, finitudinem, mutuam dependentiam et contingentiam. Atqui Deus essentialiter excludit omnes illas imperfectiones. Ergo etiam excludit omnes illas compositiones.

N. B. Ex hoc argumento sequitur etiam Deum non posse venire in compositionem ut partem cum aliis partibus, quia tum Deus esset vel materia vel forma vel pars integrans, quae important multiplicem imperfectionem in argumento assignatam et Deo omnino repugnantem.

**598. SCHOLIUM I. Solus Deus est omnino simplex.**

Solus Deus excludit omnem compositionem; omnis autem creatura est capax alicuius compositionis. Ergo solus Deus est omnino simplex. Omnis creatura componitur ex essentia et exsistentia quae in creatis distinguuntur saltem distinctione rationis ratiocinatae maioris. Item omnis creatura componitur ex genere et differentia sive specifica (sunt enim multiplicabiles in species) sive individuali (individua possunt multiplicari intra eamdem speciem); ex natura et individuatione. Corpus est multipliciter compositum: ex materia et forma, ex partibus integrantibus, ex substantia et accidentibus. Spiritus componitur ex substantia et ex facultatibus vel saltem ex facultatibus et ex actibus intelligendi et volendi et capax est recipiendi multa dona supernaturalia.

**599. SCHOLIUM II. De relationibus Dei ad intra.**

Hae relationes non obstant divinae simplicitati:

In Deo enim dantur tres personae realiter distinctae et una numerice natura. Iam vero tres personalitates ex qua parte distinguuntur non uniuntur, sed manent tres personae simplices. Ex qua parte uniuntur, nempe in una numerice natura absolute simplici non distinguuntur. Unde nec personalitates inter se faciunt veram compositionem, quae exigit plura distincta, intrinsece unita et incompleta; nec faciunt compositionem cum essentia, nam inter naturam divinam et personalitates datur solummodo distinctio rationis non mutua, i. e. conceptus naturae divinae pro explicito non includit conceptum personalitatis, personalitas vero includit etiam explicite naturam divinam et inde unum ex extremis iam est identicum etiam ratione cum alio et sic non datur ulla compositio ex veris partibus.

Item unaquaeque personalitas est perfectio simplex (non simpliciter simplex) opposita aliis personalitatibus, sed omnino aequalis; unaquaeque est infinita et aequatur ab alia pariter infinita per eamdem numerice infinitatem ratione unius eiusdemque numerice naturae divinae.

**600. SCHOLIUM III. De relationibus Dei ad extra** (70).

Hae relationes Dei ad extra (ad creaturas) cum respectu libero temporali, ut sunt ratio creatoris, conservatoris, cooperatoris, domini... non obstant divinae simplicitati.

*Relatio* est habitudo seu respectus unius ad aliud. Est talis respicientia ut unum non possit esse aut concipi sine alio in quantum sub relatione concipitur.

*Elementa relationis.* In exemplo. Petrus est similis Paulo in virtute: *Subiectum* est res relata seu id quod refertur: Petrus.

*Terminus* est res ad quam refertur subiectum: Paulus.

*Fundamentum* est causa unde oritur intrinsece relatio: virtus.

*Relatio:* est ipsa respicientia.

Ratio fundandi etiam aliquando requiritur: est requisitum aliquod ut relatio exsurgat v. c. generatio ut pater sit pater et filius sit filius.

**601.** Relatio realis et rationis.

*Realis* est illa quae datur in rebus independenter a mentis consideratione v. c. homo est similis alteri homini in humanitate.

Ad relationem realem requiruntur: *Subiectum reale* et exsistens et realiter distinctum a termino. *Fundamentum reale:* ut autem fundamentum sit reale hoc debet consistere vel in aliqua dependentia subiecti a termino ut a causa efficienti aut exemplari aut finali; vel in aliqua forma univoca et commensurabili cum forma termini. Sic filius refertur ad patrem quia ab eo ut a causa recipit naturam humanam. Et pater refertur ad filium quia potestas eius generativa ordinatur ad filios generandos ut ad finem propter quem est talis potentia. Et unus paries refertur ad alium relatione similitudinis in albedine, quia forma in qua conveniunt est univoca et commensurabilis in utroque. *Terminus realis* et exsistens (ad praedicamentalem) realiter distinctus a subiecto.

*Rationis* est illa quae datur in rebus dependenter a mentis consideratione v. c. relatio generis ad speciem. Ut adsit relatio rationis debet dari distinctio saltem rationis (etiam si sit minima) inter subiectum et terminum. Debet deficere aliquod ex requisitis ad relationem realem. Relatio rationis *fundata* est illa quae habet aliquod fundamentum reale. Relatio rationis *non fundata:* si nullum adest fundamentum ad fingendam illam relationem ut cum comparantur tenebrae ad pannum nigrum et dicuntur similes illi.

**602.** *Relatio transcendentalis* est illa quae rei essentialis est ac proinde posito subiecto cum quo identificatur repugnat metaphysice ut relatio non sit v. c. relatio creaturae ad Deum. Unde subiectum habet aliquod munus praeter munus faciendi ut respiciat terminum v. c. ut dependeat a termino ut a causa vel ut a fine. Talis est relatio accidentis ad substantiam.

*Relatio praedicamentalis* est illa quae accidentalis (accidens metaphysicum) et adventitia est rei relatae; potest esse vel abesse salva essentia rei v. c. similitudo inter duos parietes albos. Constituit quartum praedicamentum.

**603.** *1.ª sententia* tenet dari in Deo relationes reales transcendentales et praedicamentales.

*2.ª sententia. Nominales* et alii (ARRIAGA, LOSADA...) tenent illas perfectiones importare in Deo relationes reales non transcendentales, sed praedicamentales, quae licet accedant in tempore, non inferunt aliquam intrinsecam additionem, nec veram dependentiam a rebus, sed meram denominationem Creatoris, Domini, Redemptoris...

*3.ª sententia.* S. BONAVENTURA, AL. HALENSIS, S. THOMAS et *thomistae*, multi *scotistae*, *nostrates* frequentissime cum MOLINA, TOLETO, SUÁREZ... dicunt illas perfectiones importare in

---

(70) SUÁREZ, DM 47, 15, 15-28.—URRABURU, *Theod.*, 1, p. 259 ss.—LOINAZ, *Prael. e Theol. Nat.*, p. 125 ss.—FRANZELIN, B., *Quaestiones selectae ex philosophia...*, p. 206 ss.—DELMAS, *Ontologia*, p. 571 ss.—CUESTA, *Ontologia*, p. 380 ss.—HELLÍN, *Theol. Nat.*, p. 542 ss.

Deo connotationes, denominationes reales; relationes rationis, non vero relationes reales nec transcendentales nec praedicamentales, sed posito v. c. mundo oritur relatio realis mundi ad Deum et relatio rationis Dei ad mundum.

**604.** N. B.—Si ad relationem realem praedicamentalem non plus postulatur, quam ut subiectum vere agat in terminum quocumque modo vel ut habeat cum illo quamlibet convenientiam etiam analogam affirmandum est dictas relationes esse reales. Si vero requiritur ut adsit—; vel aliqua dependentia subiecti a termino ut a causa efficiente et exemplari—; vel ordinatio subiecti ad terminum quatenus illud per hunc aliquo modo perficiatur—; vel forma eiusdem ordinis in utroque extremo, unde possit esse proportio aliqua aequalitatis vel excessus determinati unius supra aliud, tum negandum est dictas relationes esse reales. Haec est sententia communior. Unde omnes qui negant Deo relationes reales ad extra requirunt ad relationem realem aliquam ex tribus conditionibus praedictis.

*Censura.* Certa, habitis prae oculis explicationibus praecedentibus.

**605.** *Assertum 1. Non dantur in Deo relationes reales.*

Ad relationem realem (sive transcendentalem sive praedicamentalem) requiritur ut subiectum a termino aliqualiter dependeat; vel ordinetur ad illum; vel ut fundamentum sit univocum in utroque extremo. Atqui Deus nullo modo a creatura pendet, nec ad illam ordinatur, nec datur ulla forma univoca respectu Dei et creaturae. Ergo non dantur in Deo relationes reales.

*Maior.* Constat ex notionibus.

*Minor.* Patet ex dictis de ente absolute necessario. Certe datur connexio Dei cum creaturis sive actualibus sive possibilibus, sed talis connexio non est dependentiae aut proportionis praedictae, sed redundantiae, per quam ex abundantia divina habentur illi termini ideoque habentur sine ulla relatione reali in Deo.

**606.** *Assertum 2. Dantur in Deo relationes rationis.*

Dantur in Deo relationes ad creaturas v. c. relatio Creatoris, Domini, Redemptoris... Atqui tales relationes non sunt reales, ut constat ex parte praecedenti. Ergo sunt relationes rationis. Et tales relationes ponuntur a nobis per solam simplicem apprehensionem, sed per iudicium fatemur esse fictas. Unde etsi Deus connotet creaturas quia ut legislator, ut Creator non potest esse aut concipi sine illis, tamen nulla datur in eo relatio nisi rationis, quia desunt conditiones ad relationem realem.

## 607. SCHOLIUM IV. De realibus Dei connotationibus ad extra.

Dantur in Deo multae denominationes reales connotativae sine relatione reali, immo sine ulla relatione rationis in qua conciperetur vera ordinatio aut dependentia Dei a creaturis.

*Denominatio extrinseca* est praedicatum aliquod, quod alicui convenit rei eo quod sit obiectum tendentiae vel ex modo quo alia res se habet respectu illius: sic cognitum est denominatio extrinseca in re cognita; creator est denominatio extrinseca in Deo. Iam vero si denominatio extrinseca est vere talis et positiva entitatem sive essentialem sive accidentalem sive modalem entis denominati importat.

*Connotatio* est de aliquo obiecto consideratio, quae necessaria est ad explicandam naturam alterius obiecti absoluti. Hoc obiectum absolutum vocatur: *Connotativum*, quod est res absoluta significata simul cum alio notato et explicata per respectum ad aliud seu ad modum habentis habitudinem ad aliud (Connotatum).

Unde illa res absoluta solummodo nomine relativa est, non enim datur nec relatio realis (quae in sua entitate habitudinem realem includit) nec relatio rationis, quae quamvis non includat in sua entitate veram habitudinem, tamen per mentem concipitur inesse. Insuper relatio intelligitur resultare posito subiecto, termino et fundamento; sed connotatio est simul cum absoluto connotante terminum. Sic omnipotentia divina est in se res absoluta, aliquid omnino intrinsecum Deo, nullam relationem revera talem sive realem (in qua datur dependentia vel ordinatio ad terminum) sive rationis (quae exprimat aliquam dependentiam) dicens; tamen a nobis non nisi ad modum relativae concipitur et declaratur per connotationem ad possibilia: Deus est potens facere omnia possibilia et sic est omnipotens.

Item Deus dicitur creator, creans per connotationem ad res creatas. Potentia creandi est

aliquid intrinsecum Deo et absolutum sine ulla relatione reali, dependentia aut ordinatione ad res creatas; tamen Deus ut creans, ut creator cum denominatione creatoris a nobis intelligi nequit sine alio, ad quod dicit connotationem. Haec vero connotatio est realis et eius occasione oriri potest relatio aliqua rationis sine ulla dependentia ex parte Dei aut relatio secundum dici.

Sic attributa entis unum, verum, bonum... quae realiter identificantur cum entitate absoluta, formaliter declarantur per connotationem ad aliud.

## 608. OBIECTIONES.

1. In Deo datur multitudo omnium perfectionum. Atqui ubi multitudo ibi compositio ex partibus. Ergo Deus est compositus.

Resp. Disting. mai. iuxta summam unitatem C.; iuxta pluritatem N.
Contr. min.

Atqui perfectiones sunt in Deo iuxta pluralitatem. Ergo...

2. Homo factus est ad similitudinem Dei. Atqui homo constat pluribus partibus. Ergo etiam Deus.

Resp. Disting. mai. perfectam seu univocationis N.; imperfectam seu analogiae C.
Conc. min. et disting. pariter cons.

Atqui Deus habet veras partes. Ergo...

3. Perfectiones creaturarum non solum sunt multae sed etiam oppositae. Atqui perfectiones oppositae inferunt multitudinem partium. Ergo Deus habet veras partes.

Resp. Disting. mai. sunt oppositae prout sunt formaliter in creaturis C.; prout inveniuntur in Deo sive formaliter, sive eminenter et virtualiter N.
Contrd. min.

Atqui etiam prout sunt in Deo sunt oppositae. Ergo...

4. Substantia et accidens inter se opponuntur. Atqui dantur in Deo substantia et accidens. Ergo tales perfectiones etiam prout sunt in Deo sunt oppositae.

Resp. Conc. mai. et nego minorem.

5. Quod in uno est accidens in alio nequit esse substantia. Atqui multae perfectiones sunt accidentia in creaturis. Ergo etiam in Deo.

Resp. Disting. mai. si sermo sit de rebus eiusdem ordinis et praedicamenti Tr.; si sermo sit de rebus in nullo praedicato univoce convenientibus, quales sunt Deus et creatura N.
Conc. min. et disting. pariter cons.

Explicatio. Deus non est in praedicamento; nulla enim ratio esse vel concipi potest in Deo quin alia in ipsa formaliter et implicite concipiatur. Contra in rationibus praedicamentalibus alia non dicit aliam formaliter, perfecte ab invicem praescindunt.

Atqui etiam in Deo sunt vere accidentia. Ergo...

6. Ubi est quantitas et qualitas ibi est accidens. Atqui in Deo dantur quantitas et qualitas. Ergo etiam in Deo dantur accidentia.

Disting. mai. ubi est quantitas et qualitas formaliter ibi est accidens C.; ubi est quantitas et qualitas solum eminenter ibi est accidens N.
Contrd. min.

7. Illud sine quo res concipi potest pro illa re accidens erit. Atqui possum concipere Deum sine intellectione, volitione, bonitate... Ergo illae perfectiones sunt accidentia pro Deo.

Resp. Dist. mai. si adaequate concipi potest sine illis C.; si solum inadaequate N.
Contrd. min.

8. Ubi adest compositio metaphysica ibi potest concipi adaequate una ratio non concepta alia. Atqui in Deo datur compositio metaphysica. Ergo possumus concipere Deum adaequate sine aliquibus perfectionibus.

Resp. Conc. mai. et nego minorem.

9. Inter entitates, quae sunt in aliquo genere datur compositio metaphysica. Atqui Deus est in genere. Ergo in Deo datur compositio metaphysica.

Resp. Disting. mai. si sunt in genere proprie dicto C.; si in genere late dicto N.
Contrd. min.

10. Illud quod differt ab alio est in genere proprie dicto. Atqui Deus differt a creaturis. Ergo Deus est in genere.

Resp. Disting. mai. Si differt proprie C.; si diversificatur N.
Contrd. min.

Atqui Deus differt proprie a creaturis. Ergo...

11. Deus habet suam propriam definitionem sicut creaturae habent etiam suas. Atqui definitio fit per genus proximum et ultimam differentiam. Ergo Deus differt proprie a creaturis.

Resp. Disting. mai. definitionem propriam et strictam N.; impropriam C.
Contrad. min.

Atqui definitio Dei est stricta definitio. Ergo...

12. Deus definitur ens a se. Atqui ens est genus et a se est differentia. Ergo definitio Dei est propria et stricta.

Resp. Conc. mai. et nego minorem.

13. Genus est pars determinabilis et differentia est pars determinans. Atqui ita se habent ens et a se. Ergo definitio Dei est propria et stricta.

Resp. Disting. mai. cum praecisione perfecta C.; cum praecisione imperfecta N.
Contrad. min.

Atqui ens est pars determinabilis stricto sensu. Ergo...

14. Quod praedicatur de rebus essentialiter diversis est ratio determinabilis per differentiam stricto sensu. Atqui ens praedicatur de rebus essentialiter diversis (De Deo et de creaturis). Ergo ens est ratio determinabilis per differentiam stricto sensu.

Resp. Disting. mai. eodem modo univoce C. partim eodem modo partim diverso seu analogice N.
Contrad. min.

Atqui ens praedicatur univoce de Deo et de creaturis. Ergo...

15. Quod praedicatur in quid et de pluribus est vel genus vel species. Atqui ratio entis praedicatur in quid et de pluribus. Ergo ratio entis est genus et inde praedicatur eodem modo de Deo et de creaturis.

Resp. Disting. mai. si praedicatur eodem modo de illis C.; secus N.
Contrad. min.

Atqui ratio entis praedicatur de pluribus eodem modo. Ergo...

16. Ratio entis est simplicissima. Atqui ratio simplicissima debet praedicari tota et non partim et partim. Ergo ratio entis de Deo et de aliis univoce praedicatur.

Resp. Conc. mai.
Disting. min. tota et eodem modo N.; tota et partim eodem modo partim diverso modo C.
Contrad. min.

17. Si cognoscimus aliquid de ente simplicissimo, cognoscimus totum. Atqui cognoscimus aliquid de Deo et non cognoscimus totum. Ergo Deus non est simplicissimus.

Resp. Dist. mai. Si cognoscimus aliquid cognoscimus totum utcumque, analogice, imperfecte C.; cognoscimus totum perfecte, quidditative aut comprehensive Subd. si illud aliquid ita perfectissime cognoscitur C.; secus N.

Contrad. min. Cognoscimus aliquid de Deo et non cognoscimus totum utcumque, analogice, imperfecte N. Cognoscimus aliquid de Deo et non cognoscimus totum perfecte, quidditative aut comprehensive Subd., quia illud aliquid non cognoscimus ita perfectissime C.; si ita cognosceretur N.

18. Simplicitas non importat perfectionem; sic v. c. homo, qui est compositus est perfectior quam anima, quae est simplex. Ergo Deus non est simplex.

Resp. Disting. antec. simplicitas negativa, quae oritur simul ex remotione realitatis et compositionis C.; simplicitas positiva, quae oritur unice ex remotione compositionis et divisibilitatis et inde ex remotione imperfectionis N.

Disting. consequens.

Explicatio. Absolute loquendo non semper ens quod est simplex est melius quam ens compositum, sed ceteris paribus est melius simplex quam compositum, nam hoc dicit semper imperfectionem potentialitatis; illud caret imperfectione dissolubilitatis, quam habet compositum.

19. Deo tribuendum est quod est melius. Atqui apud nos compositum est melius quam ens simplex. Ergo Deus est compositus.

Resp. Conc. mai.

Disting. min. in mundo corporeo C., quia simplex in eo ordine oritur ex remotione realitatis; absolute loquendo et ceteris paribus N., quia simplicitas positiva oritur ex remotione compositionis et inde ex remotione imperfectionis.

## ARTICULUS II

### De immutabilitate Dei.

**THESIS 26. Deus est intrinsece immutabilis physice, logice et moraliter.**

609. **Bibliographia.**—S. Th., 1, q. 9, a. 1 et 2.—Suárez, DM 30, 8 et 9; *De Deo uno*, l. 2, c. 3.—Urráburu, *Theod.* 1, p. 519-536.—Hontheim, *Inst. Theod.*, p. 550.—Brosnan, *Theol. Nat.*, p. 168 ss.—Hellín, *Theol. Nat.*, p. 511 ss.—Dalmau, *De Deo uno et Trino* (BAC, 1952), p. 85.

610. **Nexus.** Radix immutabilitatis Dei est eius infinita et simplicissima entitas: quod enim mutatur, simplex absolute esse nequit. Probata igitur in thesi praecedenti absoluta Dei simplicitate absolutam pariter divinam immutabilitatem in hac thesi stabilire intendimus.

### 611. NOTIONES.

Deus est ens absolute necessarium et a se.

**Immutabile** est illud quod est incapax suae mutationis.

Immutabilitas est incapacitas subeundi mutationem.

Mutatio est transitus rei ab uno modo se habendi ad alium novum.

612. Mutatio potest esse extrinseca et intrinseca.

*Extrinseca* est transitus rei ab uno modo se habendi ad alium novum provenientem ex forma extrinseca rei, quam aliquo modo extrinsece denominat v. c. transitus rei ex non cognita ad cognitam per nostros actus, qui sunt extrinseci rei.

*Intrinseca* est transitus rei ab uno modo se habendi ad alium novum provenientem ex aliqua realitate acquisita vel amissa.

613. Mutatio intrinseca potest esse impropria et propria.

*Intrinseca impropria* est transitus rei ab uno se habendi ad alium novum provenientem ex aliqua realitate acquisita vel amissa ita ut in transitu nihil physice idem maneat in utroque termino, ut in creatione et annihilatione.

N. B. Tamen aliquid metaphysice idem concipitur mutationi obnoxium, nempe quidditas rei, quae a possibili transit in actualem vel vicissim.

*Intrinseca propria* est transitus rei ab uno se habendi ad alium novum provenientem ex aliqua realitate acquisita vel amissa ita ut in transitu aliquid

physice idem maneat in utroque termino: sic eadem substantia in mutationibus accidentalibus; eadem materia prima in mutationibus substantialibus.

N. B. Elementa ad omnem mutationem propriam v. c. transitus terrae ex arida in humidam.

1) Terminus a quo: *a)* Formalis est ariditas terrae. *b)* Concretus est terra arida.
2) Terminus ad quem: *a)* Formalis est humiditas terrae. *b)* Concretus est terra humida.
3) Subiectum idem, i. e. aliquid realiter identicum in utroque termino: terra eadem.
4) Ipsa mutatio.

**614.** Mutatio propria potest esse intellectualis, moralis et physica.

*Logica seu intellectualis* est transitus intellectus de uno statu in alium i. e. cum ex non intelligente aut cognoscente fit intelligens aut cognoscens; aut cum ex uno actu (vel iudicio) transit ad alium sive haec mutatio ferat secum mutationem physicam sive solum terminationem actus prioris necessarii et interni sine ulla mutatione physica.

*Moralis* est transitus voluntatis de uno statu ad alium i. e. cum ex non volente fit volens vel vicissim; aut quatenus ab una in aliam transit volitionem etiam in casu quo nullam secum physicam afferat mutationem, sed per solam terminationem actus prioris.

*Physica* est transitus rei ab uno modo se habendi ad alium novum provenientem ex aliqua realitate physica acquisita vel amissa.

**615.** Mutatio propria physica potest esse substantialis et accidentalis.

*Physica substantialis* est transitus rei ab uno modo se habendi ad alium novum provenientem ex realitate physica substantiali (forma substantialis) acquisita vel amissa v. c. in generationibus et corruptionibus.

*Physica accidentalis* est transitus rei ab uno modo se habendi ad alium novum provenientem ex acquisitione vel amissione alicuius realitatis physicae accidentalis v. c. cum paries ex albo fit niger.

## 616. STATUS QUAESTIONIS.

Quaeritur utrum Deus sit absolute immutabilis necne. Thesis habet tres partes.

*1.ª pars* excludit a Deo possibilitatem transeundi ab uno statu physico in alium i. e. excludit a Deo omnem mutationem intrinsecam propriam, physicam sive substantialem sive accidentalem; hinc repugnat quod Deus potuerit aliquando habere alium statum physicum quam illum, quem hic et nunc habet, secus praesens status physicus non esset neccessarius, sed contingens.

*2.ª et 3.ª pars* excludunt a Deo omnem mutationem logicam et moralem, in quibus transitus consideratur prout respicit, non entitatem physicam, sed respectum intentionalem facultatum intellectus et voluntatis in sua obiecta.

Excluditur ergo a Deo possibilitas transeundi ab uno statu semel habito tendentiae intentionalis sive intellectus sive voluntatis in alium, licet compossibilis concipiatur cum immutabilitate physica. Non vero prohibetur in Deo quod sive intellectus sive voluntas potuerint esse

in alio statu tendentiae intentionalis quoad aliqua obiecta, nempe quoad obiecta finita, quae, utpote libere volita a Deo, potuerunt esse alia, et sic etiam cognitio ab hac actuali diversa esse potuit.

AGIMUS de mutatione physica et morali seorsim, quia quamvis moralis aut logica mutatio in creatis non contingat sine physica, forsam aliquis dicat de Deo aliter dicendum cum tota mutatio moralis in Deo videatur ex parte termini i. e. mutatio extrinseca.

## 617. ADVERSARII.

ETHNICI admittebant numina obnoxia mutationibus omnis generis in ordine physico et morali.

PANTHEISTAE asserunt Deum continuo sese evolvere sive physice sive moraliter.

ALIQUI admittebant ut sententiam probabilem Deum posse mutare voluntatem suam. Inter patronos huius sententiae Mastrius citat aliquos antiquiores: LICHET, ANTONIUM DELPHINUM et CILLIUM.

## CENSURA.

Certa in philosophia. In Theologia immutabilitas physica Dei est de Fide definita (DB 1782).

## PROBATUR.

**618. 1.ª Pars.** I. Deus est actus purissimus expers omnis potentialitatis. Atqui actus purissimus nequit esse aliquid physice mutabile, quod constat actu et potentia. Ergo Deus non est physice mutabilis.

*Maior.* Constat ex thesi 15.

*Minor.* Eatenus enim intelligitur aliquid physice mutabile, quatenus potest recipere aut amittere aliquid seu quatenus est in potentia ad recipiendum vel amittendum aliquid physicum. Ergo ens physice mutabile constat actu et potentia.

**619.** II. Deus est omniperfectus et simpliciter infinitus. Atqui non esset omniperfectus et simpliciter infinitus si physice mutari possit. Ergo Deus est physice immutabilis.

*Maior.* Probata manet in thesibus 16 et 19.

*Minor.* Si Deus esset physice mutabilis posset aut recipere aut amittere aliquid physicum. Atqui si posset recipere aliquid haberemus infinitum superatum; si posset amittere aliquid haberemus infinitum minoratum i. e. non esset simpliciter infinitum. Ergo Deus non esset simpliciter infinitus, si physice mutari posset.

**620.** III. Deus est simplicissimus quamlibet excludens compositionem sive physicam sive metaphysicam Atqui ens physice mutabile vel est vel potest esse compositum. Ergo Deus non potest esse physice mutabilis.

*Maior.* Constat ex thesi 25.

*Minor.* Quod mutatur intrinsece proprie et physice quoad aliquid est idem ac prius et quoad aliquid non idem. Ergo in ipso datur aliud et aliud physicum intrinsece unitum et proinde compositio.

**621. 2.ª Pars.** Mutatio logica seu intellectualis Deo contingere posset: *a)* Aut per transitum de statu ignorantiae ad statum scientiae vel viceversa. *b)* Aut per transitum ab uno statu scientiae ad alium novum diversum. Atqui utrumque repugnat. Ergo Deus est logice seu intellectualiter immutabilis.

*Maior.* Non datur tertium.

*Minor.* *a)* Repugnat, nam Deus utpote infinite cognoscitivus, ab aeterno cognoscit omnia cognoscibilia et omni modo quo cognoscibilia sunt; insuper non potest amittere cognitionem ullam semel habitam, secus non esset infinitus in cognoscendo.

*b)* Repugnat etiam, ut patet, quia Deus ab aeterno est infinite cognoscitivus et ab aeterno est determinatus ex sua essentia ad cognoscendum quidquid cognoscibile; item quamvis res mutentur in tempore, veritas earum ab aeterno est omnino determinata, nullatenus variatur. Ergo ab aeterno Deus illam invariabiliter cognoscit.

**622. 3.ª Pars.** Mutatio moralis in Deo contingere posset:

*a)* Aut per transitum ab statu nolitionis ad statum volitionis.

*b)* Aut per transitum ab una volitione ad aliam novam diversam vel oppositam. Atqui utrumque repugnat. Ergo Deus est moraliter immutabilis.

*Maior.* Non datur tertium.

*Minor.* *a)* Repugnat: supposita enim scientia divina infinita ab aeterno, Deus iam scit quid tandem faciet, et suspensio arbitraria volitionis in talibus adiunctis nullam rationem aut aspectum habet bonitatis, quae est ultima ratio volendi. Nec valet recurrere ad exercitium libertatis; nam agere solum propter usum libertatis est imperfectio etiam in creaturis. Ergo a fortiori in Deo omniperfecto.

*b)* Repugnat. Quia Deus mutaret propositum: aut quia nunc incipit ei esse bonum, quoad antea erat malum vel vicissim ita ut physice mutetur, quod repugnat quia Deus est physice immutabilis ut constat ex parte praecedente; aut ex parte cognitionis quatenus cognoscendo quod prius ignoraverat consilium mutet; et hoc etiam repugnat infinitae sapientiae Dei; aut ex parte voluntatis, quia Deus esset inconstans; inconstantia vero est vitium infinitae perfectioni Dei repugnans.

Tandem ex mutatione morali sequeretur, saltem mediate, mutatio physica in Deo. Nam praedictae imperfectiones inferrent voluntatem divinam esse finitam et non rectam per essentiam et inde etiam physice mutabilem. Unde non solum in creaturis sed etiam in Deo mutatio moralis non contingit sine physica.

## 623. OBIECTIONES.

1. Deus movet se ipsum. Atqui quod movetur mutatur. Ergo Deus mutatur.
Resp. Dist. mai. motu stricte sumpto N.; latissimo sensu C.
Contr. min.
Atqui Deus movetur motu stricte sumpto. Ergo...

2. Deus est vita. Atqui vita in motu consistit. Ergo Deus mutatur motu stricto sensu.
Dist. mai. Est vita subsistens C.; vita sicuti verificatur in organismis N.
Contrad. minorem.
Atqui etiam vita subsistens consistit in motu. Ergo...

3. Deus, vita subsistens, intelligit et vult. Atqui intellectio et volitio sunt motus. Ergo etiam vita subsistens consistit in motu.
Resp. Dis. mai. Deus est ipsum intelligere et ipsum velle subsistens C.; est intelligere humanum N.
Contr. min.
Atqui Deus seu intelligere et velle subsistens movetur. Ergo...

4. Deus ex non creante factus est creans. Atqui actus creativus est aliqua mutatio. Ergo Deus mutatur.
Resp. Dist. mai. Hoc dicitur per denominationem extrinsecam, i. e. per exsistentiam alicuius termini novi extra Deum C.; hoc valet intrinsece de Deo suscipiendo actum, quem semper non habuerit N.
Contrad. min.
Atqui etiam intrinsece mutatur Deus. Ergo...

5. Si Deus accipit aliquid in tempore, mutatur. Atqui accedit Deo in tempore quod sit creator. Ergo Deus mutatur.
Respond. Dist. mai. Si accipit novam perfectionem C.; si recipit meram denominationem extrinsecam N.
Contrad. min.
Atqui etiam accipit novam perfectionem. Ergo...

6. Si accedit nova denominatio realis, etiam perfectio nova. Atqui accedit nova denominatio realis. Ergo etiam perfectio.
Resp. Dist. mai. Si sermo sit de denominatione absoluta C.; si de relativa N.; Hoc accidit in creaturis, dantur relationes reales quae nihil ponunt in fundamento.
Contrad. min.
Atqui tunc actus creativus potuit abesse a Deo et sic mutari. Ergo...

7. Actus creativus est liber. Atqui actus liber est ille, qui potuit esse et non esse. Ergo actus creativus potuit abesse a Deo.
Resp. Conc. mai.
Dist. minorem. In creatis C.; in Deo N.

8. Procesus in argumentatione videtur ferre secum circulum vitiosum.
Nam: Probatur immutabilitas ex eo quod Deus sit actus purissimus, omniperfectus et simpliciter infinitus, simplicissimus. Et haec omnia attributa probantur ex eo quod Deus sit penitus immobilis seu immutabilis utpote ens absolute necessarium et a se.
Resp. Nego quod detur circulus vitiosus; potius datur demonstratio regressiva.

**624.** Explicatio. Duplex datur via iuxta diversa argumenta quibus praedicta attributa probantur.

*1.ª via:* Probo exsistere ens absolute necessarium de cuius essentia est absoluta immutabilitas seu immobilitas: deinde ex absoluta immutabilitate seu immobilitate deduco omnia illa attributa. Etiam iterum ex his attributis possum probare immutabilitatem, quae ex ente absolute necessario probatur. Unde hic omitto thesim de immutabilitate vel pono illam, sed repe-

tendo eamdem argumentationem positam in thesi de ente absolute necessario vel probando illam ex attributis dictis. Sic apparet explicite in hoc loco thesis de immutabilitate, quae est maximi momenti.

*2.ª via.* Probo exsistere ens absolute necessariorum et a se (quod quamvis sit absolute immutabile hic et nunc non considero explicite talem aspectum): eius essentia est esse et solum esse, est omne esse seu omniperfectum, est esse simpliciter infinitum, quia limitari non potest; inde excludit omnem potentialitatem sive substantialem sive accidentalem.

Ergo est absolute immutabilis.

Haec secunda via adhibetur ab auctoribus si ponitur thesis de immutabilitate in hoc loco. Quoniam est thesis magni momenti oportet ut explicite appareat hic. Praeterea hic considerari solet ab auctoribus modus conciliandi libertatem cum immutabilitate.

## ARTICULUS III

### De aeternitate Dei

**THESIS 27. Deus est aeternus, immo ipse solus proprie aeternus est et ipsa aeternitas.**

625 **Bibliographia.**—S. Th., 1, q. 10, a. 1-6; I Sent. dist. 8, q. 2, a. 1; 1 CG, c. 5.—Suárez, DM 30, 8; d. 50, s. 3 et 4; *De Deo uno*, l. 1, c. 4.—Hontheim, *Inst. Theod.*, p. 547 ss.—Urraburu, *Theod.*, 1, p. 603.—Boedder, *Theol. Nat.*, p. 153.—Brosnan, *Theol. Nat.*, p. 193.—Loinaz, *Prael. e Theol. Nat.*, p. 176.—Donát, *Theod.*, n. 187.—Rast, *Theol. Nat.*, p. 130.—Hellín, *Theol. Nat.*, p. 529.

**626. Nexus.** In thesi praecedenti egimus de absoluta immutabilitate Dei ex qua logice immediate fluit aeternitas. Aeternitas enim excludit essentialiter initium, successionem et finem; et ratio cur aeternitas Dei excludat sucessionem est eius absoluta immutabilitas. Ergo nostro modo concipiendi prius est Deum esse immutabilem quam aeternum.

### 627. NOTIONES.

*Aeternitas* in linea durationis reperitur.

Duratio est perseverantia seu permanentia rei in exsistendo.

Opponitur igitur instanti, quod se habet ad durationem sicut punctum ad extensionem. Iam vero duratio, exsistentia et essentia seu natura physica rerum est una eademque realitas a parte rei et tantum distinguuntur ratione. Exsistentia dicit esse rei seu formalem positionem extra causas, sed nihil dicit de anterioritate durationis. Duratio vero dicit esse rei seu exsistentiam cum connotatione quod antea exstiterit, seu prioris exsistentiae. Si igitur duratio identificatur cum exsistentia et essentia et hae diversae sunt in diversis, iuxta harum diversitatem dantur diversae species durationis.

**628.** Divisiones durationis.

*Duratio creata* est perseverantia in exsistendo rei creatae, quae admittit mutationem. Res creata licet supponatur creata ab aeterno et duratura sit in aeternum, est capax ut habeat initium et finem suae exsistentiae ex libera voluntate Dei.

*Duratio increata* est perseverantia in exsistendo rei increatae, absolute immutabilis. Est aeternitas simpliciter dicta.

Duratio creata potest esse: succesiva seu fluens et permanens seu stans.

*Successiva* est perseverantia in exsistendo rei formaliter successivae seu

possidentis suum esse per partes continuo succedentes. In hac duratione esse rei successivae proprie non permanet, sed continuo mutatur successive amittendo vel acquirendo aliquid.

Duratio successiva potest esse spiritualis et materialis.

*D. s. spiritualis* est perseverantia in exsistendo propria alicuius rei spiritualis suo modo formaliter successivae. Sic angelus potest mutari de uno in alium locum motu successivo translationis (qui motus spiritualis est).

**629.** *D. s. materialis* seu **TEMPUS** est perseverantia in exsistendo rerum materialium possidentium suum esse per partes continuo succedentes sive in quantitate sive in qualitate sive in motu locali, in quo maxime fundatur tempus.

*Definitio aristotelica.* Est numerus motus secundum prius et posterius, i. e. motus prout numeratus seu mente distinctus in partes quatenus exsistentes non simul ut partes continui, sed successive aliae prius aliae posterius.

Sic, ut exemplis utar, duratio organismi crescentis, quae est perseverantia incrementi organici habens partes incrementi unam post aliam continuo succedentes; duratio calefactionis gradatim et continuo crescentis, quae est perseverantia incrementi caloris habens partes incrementi unam post aliam continuo succedentes; duratio motus localis habens partes motus unam post aliam continuo succedentes. Unde non existimetur repugnare in terminis perseverantiam successivam, permanet v. c. idem motus, partes vero non sunt omnes simul, sed continuo succedentes.

*Tempus dicit:* de facto initium, essentialiter successionem, et habebit de facto finem vel potest habere.

**630.** *Duratio creata permanens* seu stans est perseverantia in exsistendo rerum, quae permanent in suo esse toto simul absque partium successione. Haec duratio potest esse instans permanens et aevum.

INSTANS PERMANENS (71) est perseverantia in exsistendo rerum permanentium corruptibilium. Multiplex esse potest, nempe perseverantia in exsistendo rerum permanentium corruptibilium:

—*sive substantialium*, uti sunt substantiae corporeae corruptibiles (instans permanens substantiale);

—*sive accidentalium*, tum *materialium* ut sunt quantitas, albedo... (Instans permanens accidentale materiale); tum etiam *spiritualium* ut sunt actus spirituales intellectus et voluntatis..., qui sunt defectibiles et transmutabiles in esse per intrinsecam potentiam et capacitatem suae causae, quae pro sua libertate potest magis vel minus in huiusmodi operationibus durare vel ab una in aliam transire (instans permanens accidentale spirituale).

(71) *Loculio instans permanens* venit a DURANDO, qui prae oculis instantibus angelicis habitis, omnes durationes quodammodo similes in praedicta communi ratione instantia vocavit. Dicitur *instans* propter indivisibilitatem quoad extensiones durandi, non enim durat per partes continuo succedentes, et quia non permanet, sed transit. Dicitur *permanens* quia non indivisibiliter transit sicut instans nostri temporis, sed diu permanere potest. Sic aurum, lapis, vivens, corruptibile..., quamvis corrumpantur, habuerunt esse permanens.

AEVUM est perseverantia in exsistendo rerum permanentium incorruptibilium possidentium suum esse non fluenter seu per partes continuo succedentes, sed totum simul. Multiplex esse potest perseverantia praedicta:

—*sive rerum materialium*, qualis est materia prima (aevum materiale); *sive rerum spiritualium*, tum *substantialium*, ut sunt angeli, animae humanae (aevum spirituale substantiale); tum *accidentalium*, ut sunt facultates intellectus et voluntatis... (aevum spirituale accidentale).

Aevum dicit de facto initium; habet quamdam successionem secundum esse accidentale rei; immo et durationem virtualiter successivam secundum esse substantiale, quia singulis momentis desinere potest; non habebit de facto finem, sed potest habere.

## 631. AETERNITAS.

a) *Late sumpta* idem est ac sempiternitas seu duratio initio et fine vel saltem alterutro carens. Ita loquimur de aeterno caelo, de aeterno inferno.

b) *Stricte sumpta* est duratio permanens propria entis absolute immutabilis. Seu perseverantia in exsistendo rei absolute immutabilis i. e. possidentis suum esse totum simul tum de facto tum de iure. Est nunc stans seu praesens immutabile.

*Definitio* BOETII. Interminabilis vitae tota simul et perfecta possessio. La posesion total simultánea y perfecta de una vida interminable.

EXPLICATIO.

*Possessio* in genere dicit aliquid firmiter et quiete habere; hic vero significat indefectibilem et quietam fruitionem rei aeternae.

*Tota simul:* excludit enim partes actu siquidem ens aeternum est simplicissimum; et insuper excludit omnem successionem partium i. e. possesionem succesivam sive continuam sive non continuam unius partis sui esse, deinde alius partis, etc...

*Perfecta:* illa enim exclusio omnis successionis est quoad totum sui esse tum de facto tum de iure. Inde hic et nunc habet totum quod debet habere ad fruitionem plene quietam rei aeternae, nempe omnem possibilem perfectionem in gradu nobilissimo.

*Vitae.* Ens enim cui competit aeternitas stricte dicta (soli Deo) non quomodolibet exsistit, sed exsistentia vitali est praeditum, si enim alicui competit vita, prae primis enti increato perfectissimo competit.

*Interminabilis:* nam ens quod est stricte aeternum excludit essentialiter initium et finem.

Unde vere aeternum excludit essentialiter initium, omnem successionem et finem.

## 632. STATUS QUAESTIONIS.

1. *In prima parte* probamus Deum esse aeternum aeternitate stricte dicta.

Quamvis nos concipiamus aeternitatem quasi quamdam durationem extra Deum, in qua Deus durat, sed haec est vana imaginatio, quia aeternitas non est nisi Deus ipse durans seu permanens in esse.

2. *In secunda parte* probamus Ipsum esse solum proprie aeternum in oppositione ad alias res, quae etiam aeternae appellantur, sed lato sensu v. c. aliquae res creatae propter diuturnam durationem ut angeli, animae humanae, quia de facto non habebunt finem; essentiae metaphysicae rerum. Res creata ab aeterno facta v. c. angelus duraret ex aeternitate per aeternitatem, sed non est proprie aeterna sed sempiterna.

3. *In tertia parte* dicimus Deum esse ipsam aeternitatem seu aeternitatem per essentiam.

### 633. ADVERSARII.

1. Veteres gentiles natos in tempore deos admisserunt.

2. Evolutionistae et pantheistae, qui unam substantiam absurdissime ponunt perpetuo sese evolventem per successivas transformationes.

### CENSURA.

Certa in Philosophia. De fide catholica et definita in Theologia. D. 1782.

### 634. PROBATUR.

**1.ª Pars.** Aeternum est illud ens, quod in actu essendi excludit essentialiter initium, omnem succesionem et finem Atqui Deus excludit essentialiter initium, omnem successionem et finem. Ergo Deus est aeternus.

*Maior.* Est definitio entis aeterni.

*Minor.* 1) *Non incepit existere*, quia est ens a se formaliter.
2) *Est absolute immutabilis.* Ergo excludit omnem successionem.
3) *Exsistit vi essentiae suae* neccessario absoluta neccessitate. Ergo non potest unquam exsistentia privari.

Ergo Deus excludit essentialiter initium, omnem successionem et finem.

**635. 2.ª Pars.** Reliqua praeter Deum:

1) libere facta sunt a Deo in tempore. Ergo habent initium et potuerunt non exsistere; 2) libere conservata sunt a Deo. Ergo possunt habere finem; 3) sunt perfectibilia saltem accidentaliter. Ergo habent successionem. Ergo reliqua praeter Deum non sunt aeterna, sed solus Deus proprie aeternus est.

**636. 3.ª Pars.** Si Deus est aeternus a se ipso et se ipso est ipsa aeternitas. Atqui Deus est ens aeternum a se ipso et se ipso. Ergo Deus est ipsa aeternitas.

*Maior.* Patet, quia tum Deus non est aeternus per ullam formam superadditam essentiae, sed per essentiam suam.

*Minor.* Deus, ut probatum est in thesi 15, est ens per essentiam i. e. a se ipso et se ipso. Ergo etiam est aeternus per essentiam suam, quia aeternitas non distinguitur ab essentia aut ab exsistentia divina nisi distinctione rationis ratiocinatae minima.

**637. SCHOLIUM I. Quaenam sunt in tempore.**

*Quandocatio* est illud quo aliquid determinatur ut sit in tempore. In tempore autem sicut in loco potest aliquid esse stricte et minus stricte.

*Stricte* in tempore sunt quae habent suum esse per partes continuo succedentes, durationem successivam formaliter eamque veluti coextendunt homogenee cum tempore sicut res quantae suas partes coextendunt loco. Eiusmodi sunt entia materialia et corruptibilia:

a) *Imprimis* quoad aliquas proprietates v. c. quantitatem, qualitatem, motum localem...; unde accidentia corporea proprie sunt in tempore et duratio temporis est proprie horum accidentium in quibus dantur mutationes continuae et inde successio formalis.

b) *Minori gradu* quoad esse substantiale..., quatenus hoc paulatim mutatur crescendo, etc. Sed substantia numquam constituitur perpetuo fluxu partium realiter distinctarum.

c) *Nullo modo* entia corruptibilia sunt in tempore quoad mutationes essentiales seu substantiales quae instantaneae sunt et sic quoad has non coextenduntur tempori. Proinde substantia minus proprie est in tempore et duratio temporis non est tam proprie substantiae.

*Minus stricte* in tempore sunt quae habent suum esse totum simul, non habent durationem successivam quaeque secundum esse suum tantum tempori coexistunt, sed non coextendunt suam durationem cum tempore. Eiusmodi sunt entia incorruptibilia.

Unde tempus potest esse mensura directe solum durationis successivae. Indirecte vero potest esse etiam mensura rei permanentis, quae sit subiectum materiale accidentis successivi.

**638. SCHOLIUM II. Num Deus actu fuerit in temporibus ante creationem.**

Distinguenda est praesentia Dei absoluta et relativa.

*Praesentia absoluta* est ex parte solius Dei et est perfectio divina qua creaturae, si aliquando exsisterent, ad Deum sine ulla eius mutatione, ut exsistentem referrentur.

*Praesentia relativa* est etiam ex parte creaturarum et est relatio rationis, quae in Deo oritur ex ipsa actuali earum relatione reali ad eum ut coexsistentem. Praesentia igitur relativa est cum habitudine ad aliquid reale exsistens tunc; praesentia absoluta sine tali habitudine.

Iam vides Deum fuisse actu in temporibus, quae ante mundum cum fundamento in re concipiuntur, praesentia absoluta, non relativa.

Simpliciter igitur dicendum est Deum actu fuisse in illis temporibus, quia eiusmodi simplicem assertionem nemo hominum intelligit nisi de praesentia absoluta (72).

**639. SCHOLIUM III. De relatione aeternitatis ad tempus (73).**

1. *Aeternitas* est nunc stans, sine ulla successione. Formaliter intrinsece in illa non datur fuit et erit, antea et postea, sed perpetuum Nunc et est.

*Tempus* successive fluit, multa et plurima sunt nunc unum post aliud sequens et quidem continuo, quod est essentiale tempori. In tempore datur formaliter fuit, est, et erit; unum saeculum v. c. 19 fuit; saeculum vicessimum est; saeculum 21 erit.

2. *Aeternitas* est infinita et infinite excedit omne tempus; qualicumque enim tempore finito cogitato, qualicumque mensura determinata durationis cogitata adhuc novum tempus sine fine cogitari potest quin aeternitas exhauriri possit. Ita etiam esse infinitum Dei exhauriri non potest per quamcumque mensuram determinatam perfectionis.

---

(72) HONTHEIM, *Inst. Theod.*, p. 555.
(73) DONAT, *Theod.*, n. 192.

*Tempus* vero est finitum; nullum est tempus, nulla pars, nullus annus, nullum saeculum, cui Deus per aeternitatem suam non perfecte et eminenter aequivaleat.

Coexistentia aeternitatis cum tempore semper manet finita. Tempus quodcumque eminenter contentum est in aeternitate; sicut omne esse creaturae eminenter contentum est in infinitate Dei.

3. *Aeternitas* est simplicissima et indivissibilis, in ea non dantur partes et partes formaliter. Si esset composita esset mutabilis quod repugnat ut ex definitione liquet.

*Tempus* est compositum et divisibile, in eo dantur partes et partes formaliter una post aliam.

4. *Aeternitas* numquam crescit, non maior est in saeculo 20 quam in saeculo 19; cresceret si haberet partes, sed nec habet nec potest habere partes utpote infinita et simplicissima.

*Tempus* crescit, maius est in saeculo 21 quam in saeculo 19.

Coexistentia aeternitatis cum tempore, utpote relativa supponens tempus, est capax incrementi, maior vel minor.

5. *Aeternitas* tota sed non totaliter coexsistit omnibus et singulis temporibus et singulis eorum partibus, quia aeternitas excedit omnia tempora eaque continet eminenter sine successione.

*Tempora* (eventus, res) coexsistunt aeternitati toti, sed non totaliter, quia eam non adaequant; sed pars A temporis coexsistit aeternitati solummodo secundum tempus A eminenter contentum in aeternitate; pars temporis B solummodo secundum tempus B eminenter contentum in aeternitate, proinde pars temporis A et pars temporis B non coexsistunt simul inter se.

6. *Aeternitas* ratione sui coexsistit simul sine successione interna omnibus et singulis temporibus et eventibus v. c. saeculo 19, 20, 21. Unde aeternitas tota indivisibilis, non fluens, solum extrinsece ratione temporis singulis partibus temporis successive coexsistit.

*Tempus* (eventus...) ratione sui coexsistit successive formaliter per successionem internam aeternitati: tempora enim vel partes temporis non sunt simul, sed successive fluunt saeculum post saeculum 19, 20, 21... unde ad invicem dicuntur praeteritum, praesens, futurum. Unde saeculum 19 coexsistebat Deo, saeculum 20 coexistit, saeculum 21 cocxsistet Deo.

## 640. OBIECTIONES.

**Praenotandum ad solvendas difficultates.**

*Denominationes relativae* quae de Deo dicuntur, includunt duplex elementum: alterum intrinsecum, extrinsecum alterum.

*Elementum intrinsecum* est in Deo hodie et ab aeterno, necessario et immutabiliter: *UNICUS ACTUS DEI.* Unde Deus est hodie et ab aeterno in aeternum creator, iudex mundi, amans, odium habens, durans..., et sic ex sola sua aeternitate loquens tantum dicere potest: nunc creo mundum, iudico, amo, odium habeo...

*Elementum extrinsecum* est temporaneum, contingens, mutabile: mundus, iudicium, Petrus bonus, Petrus peccator, tempus... Iam prout adfuit, adsit vel aderit elementum extrinsecum et iuxta differentias temporis in quibus verificantur, de Deo per denominationem extrinsecam unum vel aliud dicitur: creavit mundum, hodie non creat; hodie non iudicat mundum sed iudicabit; hodie amat Petrum, postea odium habebit; Deus fuit, est, erit..., Deus longius vixit hodie quam heri...

1) Si aeternitas est nunc stans sequitur creaturas ab aeterno Deo coexsistere. Atqui hoc est falsum. Ergo aeternitas non est nunc stans.

Resp. Dist. mai. Sequitur creaturas realiter et physice ab aeterno Deo coexsistere Nego. Obiective pracsentes ab aeterno scientiae divinac tum in actu secundo tum in actu primo Conc.

Contr. min.

Explicatio. Cfr. Thesim 37 ubi de cognitione divina futurorum ad mentem thomistarum.

2) Si duo entia cocxsistunt in sua duratione eidem tertiae durationi etiam inter se coexsistunt. Atqui si aeternitas est nunc stans, homincs practeriti (v. c. Adamus) praesentes (v. c. Pius XII), et futuri in sua duratione coexsistunt cum duratione simplicissima divina aeterna. Ergo etiam coexsistunt inter se, quod est absurdum, inde aeternitas non est nunc stans.

Resp. Dist. mai. Si coexsistunt alicui tertiae durationi homogeneae C.; secus N.

Cont. min. et duratio divina aeterna est homogenea cum duratione illorum N.; non cst homogenca C. Unde unusquisque, dum cxsistit, cocxsistit, cum aeternitate secundum tempus aequivalenter contentum in aeternitate, proinde non simul.

3) Aeternitas est duratio tota simul nunc stans. Atqui duratio affirmat permanentiam; nunc stans, tota simul cam negat. Ergo aeternitas non est nunc stans.

Resp. Conc. maior. et nego minorem, quoad secundum membrum.

Explicatio. Tota simul non negat permanentiam, sed successionem unde in se immutabiliter permanens pergit in csse et sic coexsistit omnibus partibus successive fluentibus.

4) Res creatae coexsistunt toti aeternitati, quae est nunc stans.

Atqui si coexsistunt toti aeternitati erunt etiam aeternae, quod non est verum. Ergo aeternitas non est nunc stans.

Resp. Dist. mai. Coexsistunt dum exsistunt toti aeternitati realiter spectatae seu formaliter C.; toti aeternitati totaliter i. e. formaliter et virtualiter seu prout cum omnibus durationibus conduranti N.

Explicatio. Creaturae coexsistunt toti aeternitati, sed non totaliter i. e. eam adaequando et ab aeterno, sed aliae secundum aliud tempus aequivalenter et eminenter contentum in aeternitate. Propterea inter se non sunt simul quamvis omnes complectatur eadem infinita aeternitas, cui omnes res coexsistunt, sed aliae secundum aliud tempus. Aliud est exsistere quando exsistit aeternitas et aliud exsistere cum duratione aeternitatis; primum cuilibet competit dum exsistit; alterum nulli nisi Deo.

5) Si aeternitas Dei esset nunc stans, perpetuum nunc, Deus videret nunc exsistere Adamum. Atqui hoc absurdum est. Ergo aeternitas Dei non est nunc stans.

Resp. Dist. mai. Videret Adamum exsistere nunc, i. e. hoc praesenti saeculo N.; nunc videret exsistentiam Adami Subd. in suo Nunc aeternitatis C.; in nostro nunc saeculi 20, i. e. Deus videret eum quatenus saeculo huic coexsistit N.

6) Ergo in eodem nunc videret Adamum et Pium XII. Atqui hoc fieri nequit quia videret utrumque simul. Ergo aeternitas non est nunc stans.

Resp. Dist. mai. In eodem Nunc stante aeternitatis videret utrumque, sed pro diverso tempore C.; pro eodem tempore N.

Contra Min. et disting. rationem additam: utrumque videre simul est in Deo C. Deus videret obiecta simul esse in eadem differentia temporis N.

7) Ubi habetur prius et posterius ibi sunt partes in duratione. Atqui potuisset Deus mundum prius creare. Ergo habentur partes in duratione Dei.

Resp. Dist. mai. Ubi habetur prius et posterius intrinsece in duratione C.; si tantum extrinsece ex parte termini N.

Contr. min. Prius relate ad durationem divinam N.; relate ad tempus in quo mundus apparuit C.

8) Deus heri praesens fuit hesterno diei, hodie eidem praesens non est. Atqui transitus ab esse ad non esse est aliqua mutatio et successio. Ergo duratio Dei est successiva non est nunc stans.

Resp. Conc. mai.

Dist. min. Ita ut mutatio sit ex parte temporis seu ex parte diei C.; ex parte Dei N.

Explicatio. Nam heri externus dies exsistebat et Deo coexsistebat, hodie non exsistit neque consequenter coexsistit. Sed Deus sine mutatione sui omnibus, quando sunt, coexsistit, et illi omnia, quando sunt, coexsistunt.

9) Deus erat antequam mundus creatus est. Atqui prius indicat successionem. Ergo duratio Dei est successiva.

Resp. Dist. mai. Illa locutio est vera quantum ad rem significatam C.; quantum ad modum significandi, quasi aliquid exsistentiae Dei praeterivit ante mundum, quod non est amplius N.

Explicatio. Dicendo Deum fuisse ante mundum significare volumus Dei exsistentiam initio carentem in oppositione ad mundum, qui habet initium et hoc est verum. Non autem volumus dicere aliam esse partem durationis, qua praeteritis coexistebat, aliam qua praesentibus coexsistit; sed a quaestione num istae partes sint diversae an eadem, in isto sermone prorsus abstrahitur et tantum coexsistentia Dei cum rebus praeteritis asseritur, quae assertio est vera.

10) Deus hodie non amat peccatorem, postea peccato deleto amaturus est. Atqui hodie et postea successionem indicant. Ergo in duratione Dei datur successio.

Resp. Dist. mai. et haec mutatio et successio est ex parte Dei N.; est ex parte termini relate ad tempus C.

Explicatio. Quamquam entitative actus amoris et odii in Deo aeternus est, tamen terminative amor respicit aliud tempus, odium aliud et ideo secundum diversa tempora de Deo praedicantur. Itaque in Deo neque actus amoris et odii sibi succedunt neque est ulla in Deo mutatio, sed tempora, ad quae illi actus terminantur, mutantur et homo cum illis. Unde est duplex elementum: alterum intrinsecum, i. e. unicus actus Dei qui prorsus immutabilis manet in utroque termino: alterum extrinsecum, i. e. diversi termini qui variantur iuxta diversa tempora.

11) Deus hodiernum diem heri vidit ut futurum; hodie videt ut praesentem; cras videbit ut praeteritum. Ergo datur successio et mutatio in duratione divina.

Resp. Dist. ant. et hoc dicitur de actu Dei relate ad tempus quo res erit, est, fuit C.; ex parte ipsius actus Dei N.

Explicatio. Nam Deus ab aeterno in aeternum actum scientiae habet, quo rem pro tempore exsistentiae eius ut praesentem videt. Hic actus si ad tempus refertur, quo res exsistit, est visio rei ut praesentis; si ad futura tempora est visio rei ut futurae; si ad priora, est visio rei ut praeteritae. Itaque actus quo Deus rem ut futuram aut praesentem aut praeteritam videt, unus et idem est non tantum entitative id quod per se patet, sed etiam terminative; idem enim est terminus scientiae et praescientiae.

12) Deus creavit mundum, hodie non creat nec postea. Hodie non iudicat mundum sed iudicabit. Ergo differentiae temporis valent etiam pro Deo.

Resp. Dist. ant. et hoc dicitur ex parte Dei N.; dicitur ex parte termini C.

Contr. Conseq. eodem modo. Quidquid igitur in Deo est ab aeterno in aeternum est ideoque etiam omnis actio divina, quatenus Deo interna, aeterna est.

13) Deus fuit, est et erit. Atqui hoc indicat successionem. Ergo in aeternitate datur successio.

Resp. Dist. mai. Et hoc significat Deum durare immutabiliter cum tempus praeteritum fuit, praesens est, futurum erit C.; aliter N.

Explicatio. In aeternitate non est fuisse neque futurum esse, non antea neque postea, nulla successio aeternitati interna.

In tempore autem est fuisse et futurum esse, antea et postea, continua successio tempori essentialis. Quia igitur partes temporis non sunt simul, sed successive aeternitati coexistunt, etiam Deus iis successive coexsistit. Hac ratione eaque sola dicitur Deum fuisse saeculo 19, futurum esse saeculo 21, non ratione sui vel per successionem internam, sed per externam ratione temporis.

14) Deus hodie longius vixit quam heri. Ergo datur successio.

Resp. Dist. ant. Et hoc significat efluxisse plus temporis quam heri sc. tempus devenire, praeterire, augeri; et eodem modo coexsistentia Dei cum duratione creata C.; ipse Deus ratione suae internae durationis N.

Explicatio. Duratio substantiarum spiritualium v. c. angeli de facto non est maior hodie quam heri, nam substantia angeli et eius exsistentia non crescit. De iure et virtualiter substantia angeli potest admittere magis et minus ex eo quod sit contingens et singulis momentis desinere esse possit. Si vero duratio angelica consideratur per comparationem ad tempus tum potest dici maior vel minor, ut liquet.

Similiter in aeternitate seu in duratione Dei formaliter considerata non datur magis et minus, dicit enim aliquid intrinsecum Deo et indivisibile. Sed per comparationem ad tempus i. e. extrinsece, aequivalenter seu virtualiter potest Deus dici durare magis hodie quam heri eo sensu quod hodie plus temporis clapsum est et ideo hodie Deus coexistit longiori tempori quam heri. Sed duratio divina in se eadem semper manet tum de facto tum de iure.

15) Si per hypothesim Deus nunc cessaret exsistere, minus duraret quam si non cessaret. Ergo in aeternitate est magis et minus.

Resp. Hypothesis est absurda; ad essentiam enim aeternitatis pertinet non posse cessare.

## ARTICULUS IV

### De immensitate Dei

**THESIS 28. Deus est immensus et omnipraesens seu praesens rebus locisque omnibus de facto exsistentibus.**

641. **Bibliographia.**—S. Th., 1, q. 8, a. 1-4.—Suárez, DM 30, 7; D. 51, s. 3-6; *De Deo uno*, l. 2, c. 2.—Caiet, in III, q. 75 et 76.—Joannes a S. Thoma, in I, q. 8, d. 8, a. 4.—Billuart, *De Deo*, diss. 3, a. 6, p. 3.—Palmieri, *Theol. Nat.*, p. 146.—Hontheim, *Inst. Theod.*, p. 561.—Franzelin, J. B., *De Deo uno*, p. 361.—Boedder, *Theol. Nat.* p. 155.—Garrigou-Lagrange, *De Deo* (1938), p. 120.—Urraburu, *Theod.*, 1, p. 470 ss.—Brosnan, *Theol Nat.*, p. 188.—Loinaz, *Prael. e Theol. N.*, p. 157-171.—Mz. del Campo, *Theol. Nat.*, p. 257 ss.—Hellín, *Theol. Nat.*, p. 492; EstEcles, 5 (1926), 272-283; 390-405; item 22 (1948), p. 226-263.—Gisquière, *Prael. Theol. Nat.*, 2. p. 357 ss.—Dalmau, *De Deo uno et Trino* (BAC, 1952), p. 100.—Arnou, *Theol. Nat.*, p. 165.

642. **Nexus.** Aeternitas et immensitas sunt diversi aspectus entitatis divinae infinitae, simplicissimae et immutabilis. Aeternitas enim est infinitas secundum durationem; immensitas vero est infinitas secundum ubicationem. Probata igitur in thesi praecedenti aeternitate divina nunc Deo perfectio immensitatis vindicanda est.

### 643. NOTIONES.

**Immensitas** *vi vocis* significat sine mensura:

—*aut relate ad esse* et tunc immensum confunditur cum infinito simpliciter nempe quod caret limitibus in ipsa realitate entis et haec realitas est inexhauribilis per quamcumque mensuram determinatam perfectionis;

—*aut relate ad locum* et spatium et tum immensum est illud, quod caret limitibus in linea praesentialitatis et haec praesentialitas est inexhauribilis per quamcumque mensuram determinatam praesentialitatis. Unde

*Immensitas hoc sensu et realiter:* est determinatio essentiae divinae, quae exigit ut sit praesens ubicumque res aliqua est vel esse potest absque ulla ubicationis limitatione.

Explicatio. *Est determinatio* i. e. perfectio absoluta seu modus exsistendi divinae essentiae consequens infinitatem et simplicitatem Dei.

*Quae exigit:*

—Unde non dicit ex suo conceptu praesentiam et coexistentiam cum nulla re exsistente, sed solum exigentiam essendi ubi res aliqua est vel esse potest;

—nec tamen illa exigentia dicit aliquam potentialitatem in Deo quasi posset acquirere maiorem ubicationem si plures res crearentur. Talis exigentia ex

parte Dei iam est expleta ab aeterno, quia Deus habet ex sua essentia actualiter quidquid requiritur ex parte sua ut sit ubicumque res aliqua ponatur.

*Absque ulla ubicationis limitatione.* Haec verba indicant infinitudinem secundum praesentialitatem, ita ut nullis excogitabilis sit numerus creaturarum exsistentium per quas praesentialitas Dei exhauriatur. Sed quantum est ex se et eodem modo permanens possit esse intime praesens omnibus rebus et corporibus non solum praesentibus sed etiam possibilibus etiamsi in infinitum in multitudine et magnitudine augeantur.

Unde immensitas est attributum intrinsecum Deo, necessarium et absolutum seu independens ab actuali exsistentia rerum; infinitum, immutabile.

**644.** **Ubiquitas** seu **omnipraesentia** est actualis et immediata praesentia substantiae divinae in rebus locisque omnibus de facto exsistentibus. Haec praesentia Dei in omnibus et singulis rebus vocatur:

*per essentiam* i. e. indistantia divinae substantiae ab omnibus et singulis rebus ita ut inter rem et substantiam Dei nullum spatium intercedat.

Insuper omissis aliis modis, quae ad quaestionem nostram non pertinent, Deus est etiam in rebus;

*per praesentiam* (per cognitionem) in quantum omnes res cognoscuntur a Deo et sic sunt praesentes eius menti;

*per potentiam* in quantum per potentiam suam operatur in omnibus rebus eas conservando et concurrendo ad omnes et singulas operationes: unde omnia quoad esse et operari a potentia divina pendent.

Attributum Omnipraesentiae est extrinsecum Deo, est enim denominatio extrinseca proveniens ex rebus creatis; contingens, quia de facto non convenisset Deo si nihil creatum esset; tamen necessario convenit Deo in hypothesi quod exsistant aliquae res extra Deum; finitum seu de facto limitatum sicut ipse mundus, qui limitatus censetur; temporaneum, quia incepit cum mundo in tempore; relativum seu dicens relationem ad res creatas sine quibus dari non potest; haec relatio in Deo est relatio rationis, sed in creaturis est relatio realis.

**645.** Praesentia per essentiam seu per substantiam in genere est indistantia alicuius rei ab alia re, spacio aut loco. Triplex distinguitur:

a) *Circunscriptiva* (dimensive, quantitative, localiter): Datur

1) quando res tota tangitur secundum superficiem a toto receptaculo, pars a parte; sic v. c. vinum est in lagena, frumentum vel farina in sacco; cadaver in ferctro; sic sunt res in loco extrinseco et tunc res dicitur circunscribi a loco;

2) quando res tota est in toto spatio, pars in parte spatii coextendendo partes partibus spatii; sic sunt corpora extensa in spatio absoluto. Haec igitur diffusio involvit compositionem physicam et similiter se habet in ordine ubicationis atque duratio, quae tempus dicitur, in ordine quandocationis.

b) *Definitiva* (limitate) quando res est tota in toto et tota in singulis partibus spatii, sed intra aliquod spatium determinatum a quo res dicitur definiri; sic spiritus sunt in loco, anima humana in corpore. Haec diffusio compositionem quamdam refert cum spiritus possit ex una parte sui spatii recedere quin recedat ex altera. Datur igitur compositio metaphysica. Haec diffusio definita respondet durationi aeviternae.

c) *Repletiva* (illimitate) cum res est tota in toto, tota in singulis partibus et non intra aliquod spatium determinatum seu quin a loco spatiove definiatur aut circunscribatur unquam. Sic solus Deus.

**646. STATUS QUAESTIONIS.**

QUAERITUR utrum Deus sit immensus et omnipraesens titulo saltem indistantiae ab omni ente.

AGITAMUS quaestionem de facto; an sit Deus immensus et omnipraesens, non vero quid sit, in quo formaliter consistat immensitas et omnipraesentia; omnes enim debent concedere etiam sine operatione haberi posse praesentiam merae indistantiae.

Thesis habet duas partes:

*In 1.ª parte* probatur Deum esse stricte immensum.

*In 2.ª parte* probabimus esse ubique i. e. praesentem omnibus rebus locisque de facto exsistentibus non praesentia circumscriptiva, nec praesentia definitiva, sed repletiva.

**647. ADVERSARII.**

1 PLATO et ARISTOTELES, qui iuxta plures, Deum putabant exsistere seorsim extra mundum.

2. IUDAEI illi qui unice praesentiam Dei admittebant in caelo et in templo hierosolimitano (forsam tantum sit opinio vulgi).

3. GNOSTICI distantiam infinitam ponebant inter Deum et res creatas.

MANICHAEI, qui dividebant Deum bonum a Deo malo. Deus bonus est illimitatus, sed per tres solum partes diffunditur. In quarta parte eius praesentia est limitata a principio malo.

4. EUGUBINUS (Augustinus Steuchus † 1594, monachus Congreg. S. S.) et VORSTIUS calvianianus docuerunt Deum ubique praesentem esse per scientiam et potentiam, at per substantiam solum in summo caelo.

5. NEWTON et CLARKE S. veram Dei immensitatem, quae est indivisibilis, destruxerunt, ipsam cum absoluto spatio identificantes.

**CENSURA.**

Certa in philosophia. De fide definita in Theologia (DB 1792).

**PROBATUR.**

**648. 1.ª Pars.** I. Deus est omniperfectus et simpliciter infinitus et continet perfectiones simpliciter simplices etiam formaliter. Atqui immensitas est perfectio simpliciter simplex. Ergo Deus est stricte immensus.

*Maior.* Manet probata in praecedentibus.

*Minor.* Exigentia, capacitas rei ut sit praesens alicubi, seu ipsa praesentia aut ubicatio: *est perfectio* quaedam positiva (etiam ubicatio absoluta intrinseca)

non est pura negatio; *et in suo conceptu praecisivo* nullam dicit imperfectionem aut limitationem ut constat ex evidentia obiectiva.

Certe praesentia apud creaturas dicit perfectionem i. e. esse alicubi; sed simul habet admixtam imperfectionem i. e. non esse alibi. Sic capacitas ad praesentiam *circumscriptivam* seu ipsa praesentia circumscriptiva dicit perfectionem admixtam imperfectioni, quia corpus spatium non occupat nisi per partes diffusum ita ut in nulla parte totum corpus sit: unde datur in hac praesentia multiplex potentialitas in unaquaque parte rei et in tota. *Praesentia definitiva* dicit perfectionem admixtam imperfectioni, siquidem est limitata; spiritus enim in parte loci solum est, unde datur etiam potentialitas.

Sed hae imperfectiones seu limitationes non sunt de conceptu praesentiae ut sic, cum haec tantum dicat esse ibi ubi alia res est aut esse potest, in quo nulla imperfectio aut limitatio cernitur. Ergo exigentia essendi ubique praesens per substantiam sine ulla limitatione (in quo consistit immensitas) est maxima perfectio, perfectio simpliciter simplex positive excludens imperfectionem.

**649.** II. Praesentia est modus exsistentiae seu illud quo aliquid exsistit iuxta aliud. Atqui exsistentia in Deo est infinita. Ergo etiam praesentia est infinita quoad intrinsecum, quoad exigentiam essendi ubique. Atqui praesentia infinita ex parte Dei est immensitas. Ergo Deus est immensus.

*Maior.* Patet ex definitione praesentiae.

*Minor.* Quia Deus est infinitus in suo esse et in omnibus et singulis perfectionibus.

*Conseq.* Nam secus: —*aut maneret* Deus *fixus* in uno loco ita ut possit alio abire et tum esset limitatus, siquidem careret perfectione adstandi in aliis locis, quod repugnat infinitae Dei perfectioni;

—*aut est in uno loco ita ut possit alio abire* et tum transiret a potentia in actum, eo quod subiret mutationem localem, quod etiam repugnat actui purissimo; *aut eius praesentia est infinita*, nihil enim aliud remanet. Insuper in nulla Dei perfectione limes dari potest, ergo nec in perfectione praesentiae.

*Minor. subsumpta:* patet ex definitione immensitatis.

**650. 2.ª Pars.** DEUS EST OMNIPRAESENS.

I. Si exsistunt de facto res, Deus debet esse praesens de facto omnibus rebus extra ipsum. Atqui de facto dantur res extra Deum. Ergo Deus est praesens omnibus illis seu est omnipraesens.

*Maior.* Deus vi suae immensitatis exigit absoluta necessitate esse secundum suam substantiam ubicumque res aliqua est vel esse potest absque ulla ubicationis limitatione. Ergo si de facto exsistunt res et loca actualia extra ipsum, Deus erit praesens rebus locisque omnibus de facto exsistentibus secundum suam essentiam seu substantiam absque ulla ubicationis limitatione.

*Minor.* Patet ex experientia.

651. II. Praesentia relativa est relatio indistantiae inter res. Atqui haec relatio adest inter Deum et res et loca de facto exsistentia. Ergo Deus est praesens rebus locisque omnibus de facto exsistentibus.

*Maior.* Est definitio praesentiae relativae.

*Minor.* Nam Deus per immensitatem exigit esse ubicumque res aliqua est vel esse potest; inde ab aeterno Deus ex parte sua est cum dispositione absoluta et intrinseca tali ut si creetur aliqua res statim sine mutatione sua exsurgat in eo relatio distantiae vel indistantiae. Atqui res exsistunt iam de facto. Ergo iam adest de facto relatio indistantiae inter Deum et omnes res et loca de facto exsistentia.

**652. SCHOLIUM I. De argumento pro immensitate ex operatione.**

Deus actu esse debet ubicumque aliquid immediate per se ipsum operatur et operari potest. Atqui Deus per se immediate *a)* operatur in omnibus rebus actu exsistentibus et *b)* operari potest ubicumque res esse aut fieri possunt, nempe in omni possibili spatio et assignabili ubicatione. Ergo Deus est immensus.

*Maior.* Actio in distans ne Deo quidem concedi potest; repugnantia enim actionis in distans oriri videtur, non praecise ex limitatione virtutis activae, sed ex generali notione causalitatis et effectus, ex hoc nempe quod causa ibi ubi effectus nascitur non praesens, pro effectu illo esset quasi simpliciter non exsisteret.

*Minor.* *a)* Deinde probabitur cum agamus de conservatione et concursu.

*b)* Constat ex omnipotentia divina. Sicut enim omnes res exsistentes creavit, sic in toto spatio possibili novas res creare potest et in illis omnibus per se ipsum immediate operaretur.

**653.** CRISIS HUIUS ARGUMENTI.

*Thomistae frequenter* contendunt argumentum esse efficacissimum et a priori, quia Deus non est alicubi nisi quatenus ibi operatur.

*Suárez et alii* v. c. MOLINA, CONIMBRICENSES, RUBIUS, SCHIFFINI, MENDIVE, HONTHEIM... censent argumentum esse efficax et a posteriori, quia operatio supponit praesentiam secundum locum.

*Scotistae et alii* ut OCKAM, BIEL, VALENTIA, TOLETUS, PALMIERI... vim argumenti negant, quia actio in distans vel omnino non est impossibilis vel saltem in Deo est possibilis, cum intellectu et voluntate operetur. Unde

Necessitas praesentiae agentis ad suum effectum valet pro agente finito, non autem pro agente infinito. Immo inter agentia finita solum valet pro corporibus, non autem pro spiritibus, saltem certo. Nam non est impossibile spiritum agere solum per actum intellectus et voluntatis, qui sunt immanentes, actus autem immanentes non indigent sua obiecta esse proxima: *a)* Non ex parte actionis, quia actio immanens non est necesse ut sit in obiecto, sed solum in subiecto. *b)* Non ex parte obiecti, quia obiectum intellectus et voluntatis possunt esse procul.

**654. SCHOLIUM II. De ratione formali praesentiae Dei in rebus locisque omnibus.**

*Praesentia* Dei in rebus est quaedam relatio indistantiae substantiae divinae a rebus exsistentibus. Haec relatio ex parte Dei est relatio rationis ad creaturas; et relatio realis ad Deum ex parte creaturarum.

*Ratio formalis in genere* est illud quo posito ponitur formaliter res, et quo deficiente res non ponitur formaliter.

*Ratio formalis praesentiae divinae* in rebus est illud quo posito sine alio, Deus per substantiam suam rebus formaliter praesens sit, quo deficiente non sit formaliter praesens; uno verbo est fundamentum ex quo oritur formaliter relatio rationis ex parte Dei.

**655.** His positis *quaeritur* in quo reponenda sit ratio formalis praesentiae Dei in rebus.—Quaestio est de mera praesentia Dei in re et loco per contactum merae indistantiae; non de praesentia Dei in loco ut in loco seu de imitatione praesentiae corporeae: omnes enim concedunt eiusmodi praesentiam formaliter dari non posse sine contactu virtutis seu sine operatione.—Item per contactum quantitativum corpus est plenius alicubi, quia tum non est tantum in spatio, sed etiam in alio corpore.—Concedimus etiam per contactum virtutis spiritum plenius alicubi esse, quia non est tantum in spatio, sed etiam in corpore tanquam in termino operationis.

Omnes etiam concedunt operationem esse saltem conditionem sine qua non praesentiae formalis Dei in rebus. Nam praesentia ad res sine rebus dari non potest; res autem sine operatione divina creativa non dabuntur. Ergo operatio divina requiritur ad praesentiam Dei in rebus.

**656.** *Thomistae communiter* affirmant rationem praesentiae Dei in rebus formaliter consistere in operatione transeunte creativa, conservativa, cooperatrice, ita ut esse substantialiter praesentem in rebus et operari in res formaliter idem sit. Unde si per impossibile nihil Deus in rebus operaretur, eis non esset praesens: esset nec praesens nec absens, esset nullibi.

**657.** Molina, Suárez, Kleutgen, Franzelin, Pesch, Mendive, De San, Liberatore, Tongiorgi, Palmieri, Hontheim, Urraburu, Schaaf, Loinaz *et multi alii* sustinent rationem praesentiae in rebus consistere formaliter in immensitate per quam determinatur essentia divina ut sit ubicumque res aliqua est vel esse potest. Unde si per impossibile Deus nihil in rebus operetur, praesens eis esset. Unde essentia divina et immensitas non sunt ipsa relatio rationis praesentiae, sed sunt fundamentum (aliquid absolutum) praesentiae et relationis rationis Dei ad creaturas. Fundamentum vero relationis realis creaturarum ad Deum est earum exsistentia et ubicatio.

Praedicta praesentia explicatur per indistantiam seu per carentiam distantiae et spatii intermedii inter ipsam substantiam Dei, quae praesens esse dicitur, et rem cui substantia Dei est praesens.

**658.** *Reicitur sententia thomistica.*

*a)* Iuxta thomistas prius natura ad operationem, substantia divina non esset ullo pacto formaliter praesens rebus. Ergo nec post operationem erit formaliter praesens, quia operatio Dei ad extra non attingit substantiam divinam, sed tantum facit ut res extra Deum exsistant...

*b)* Substantia divina est realiter et formaliter praesens et indistans a rebus exsistentibus. Actio vero divina ad extra est forma extrinseca Deo, et, ut liquet, nulla res potest esse formaliter praesens aliis rebus per formam extrinsecam ipsi rei. Unde quamvis detur praesentia Dei in rebus per contactum virtutis, negamus illum esse rationem formalem talis praesentiae.

*c)* Formalitas praesentiae pertinens ad praedicamentum—ubi—explicaretur et constitueretur per formalitatem operationis pertinentem ad praedicamentum actionis aut qualitatis, quod non licet.

*d)* Tandem independenter a quacumque actione Dei ad extra, Deus est immensus (ut probatum est in thesi) et per solam immensitatem Dei essentialiter determinatus est ut habeat quamcumque ubicationem. Ergo posito quod res sint, ubicumque et a quocumque et quomodocumque producantur, non possent non esse ubi Deus est, si Deus est immensus (74).

**659. SCHOLIUM III. De praesentia Dei in spatiis imaginariis.**

*Spatium.* In genere est extensio vel expansio in trinam dimensionem, occupata vel occupabilis per corpus et sic considerata ut receptaculum corporum.

*Spatium absolutum* est extensio (partim occupata, partim occupabilis) illimitata (soluta a limitibus) capax recipiendi in se quaelibet corpora. Est unum, homogeneum, continuum, aeternum, necessarium (negative). *Imaginarum* vocari solet spatium absolutum, quia huic conceptui solet associari phantasma, molis sc. tenuissimae ut palpabilis et coloratae (nigrae). *Spatium*

---

(74) Apud Loinaz, *Prael. e Theol. Nat.*, p. 163 plures difficultates optime expositas et solutas invenies.

*imaginarium* est extensio illimitata, vacua, extra spatium reale. Seu est ipsum spatium absolutum dempta parte ab universo occupata et quasi absoluto arrepta. *Spatium relativum* est pars spatii absoluti apta ut corpore repleatur et limitibus determinata vel realiter vel designatione mentis v. c. spatium intra quod domus construitur.

**660.** *Locus intrinsecus* est intervallum contentum intra superficies corporis locati, considerati ut immobilis. De se convenit corpori locato sine respectu ad alias res circundantes. *Locus extrinsecus* seu locus stricte aut simpliciter: est corpus aut superficies corporis aliud ambientis.

Potest esse immediatus et mediatus. *Immediatus* est superficies ultima et immobilis alicuius corporis ambientis. Unde non totum corpus ambiens, sed illa eius superficies, quae corpus locatum tangit v. c. interna superficies vasis aqua pleni est locus illius aquae. *Mediatus* est totum corpus ambiens v. c. vas aqua plenum, schola, seminarium...

**661.** *Ubicatio in genere* est id vi cuius res dicitur esse hic. *Intrinseca* est id vi cuius res dicitur esse in hoc loco intrinseco potius quam in alio. Est formalis ultima determinatio qua res est in hoc loco intrinseco potius quam in alio; sive exsistant res cum quibus coexsistat et ad quas dicat relationem indistantiae vel praesentiae sive non exsistant.

**662.** Explicatio. In creatis probabilius est:

*Modus absolutus* (accidens modale) seu independens ab ulla alia re, quamvis a nobis concipiatur per quamdam relationem ad spatium absolutum.

*Intrinsecus rei locatae* et ab illa absolute inseparabilis.

*Distinctus* re vel ratione ab illa.

*Est determinatio ultima*, quia per hoc ubi tollitur indiferentia corporis respectu loci intrinseci, quae non aufertur per corpus, quod idem ubique identicum est.

*Formalis*, i. e. per hoc ubi indifferentia illa tollitur formaliter; non efficienter, quod fit per causam efficientem aut motricem.

*Ubicatio extrinseca* est id vi cuius res dicitur esse in hoc loco extrinseco potius quam in alio. Haec denominatio ubicati adaequate constituitur per ubicationes utriusque rei praesentis; est denominatio partim intrinseca, partim extrinseca et in creatis importat relationem realem rei locatae ad aliam rem realiter distinctam.

**663.** *Praesentia* est indistantia (late vel stricte) entis ab hoc loco sive intrinseco sive extrinseco. *Absoluta* seu intransitiva est praesentia (non proprie indistantia) rei in spatio absoluto sive in eo sint etiam res aliae creatae sive non sint. Res intramundana v. c. A habet praesentiam absolutam i. e. posita est hic, in hac parte spatii absoluti. Habet etiam praesentiam relativam, est enim praesens ad B; sed ideo A habet hanc relationem ad B quia prius natura A est in hac parte spatii absoluti.

**664.** *Praesentia relativa* seu transitiva est indistantia (relatio realis vel rationis) a rebus realiter distinctis a re locata. Hic vero modus essendi alicubi vocatur esse in loco (extrinseco) quod tripliciter accidere potest:

1) *Esse seu praesentia in loco localiter* seu per contactum quantitativum (circumscriptive, quantitative, dimensive, mensurative) dicitur de corpore, quod circumdatur ab alio corpore. Sic v. c. est cadaver in feretro, vinum in lagena...

2) *Esse seu praesentia in loco illocaliter* dicitur de rebus, maxime de spiritibus, quae sunt praesentes in aliquo corpore seu spatio reali licet in illo nullam actionem exerceant. Unde sunt praesentes per merum inesse entitatis spiritualis, per contactum mere staticum, vel simplicis indistantiae, quod aequivalet contactui quantitativo; spiritus enim sic entitative indistans eos iam obtinet effectus praesentiae ad aliud, informando aliud... quos corpus (vel corporeum) suis partibus alteri coextensis obtinet contactu quantitativo. Sic sunt angeli in corporibus quando in eis nullam operationem exercent et animae beatae in loco beatitudinis. Deus autem hoc modo in corporibus esse non potest siquidem circa omnes exercet suam operationem conservativam et operativam.

3) *Esse seu praesentia in loco quodammodo ut in loco* seu per contactum virtutis, dicitur

de spiritibus qui sunt praesentes in aliquo corpore exercentes in eo aliquam operationem transeuntem. Sic sunt in loco Deus et etiam angeli quando movent aliquo modo corpora.

**665.** His positis quaeritur utrum et quonam sensu dici possit et debeat Deum esse in spatiis imaginariis. Duplex datur sententia.

*Thomistae* negant Deum esse in spatiis imaginariis (75). Nam

*a)* Ad ubicationem iuxta ipsos requiritur contactus quantitativus aut virtutis. Iam vero Deus nullibi potest esse contactu quantitativo; contactus vero virtutis seu operatio externa in spatiis imaginariis deest. Ergo nullo pacto potest Deus esse in spatiis imaginariis. *b)* Praeterea ubicatio (sicut aliae denominationes v. c. esse cognitum, vestitum...) est denominatio extrinseca postulans essentialiter rem externam ad quam dicat relationem praesentiae. Iam vero in spatiis imaginariis nulla res externa est. Ergo nec Deus est in spatiis imaginariis. Proinde iuxta hanc sententiam ante creationem mundi Deus nullibi erat et acquisivit praesentiam ad mundum per mutationem mundi, non per mutationem suam.

Negant etiam Deum esse in spatiis imaginariis scotistae et multi ex nostris.

**666.** P. Suárez *cum pluribus aliis:* iuxta quos Deus per suam immensitatem est, non modo in rebus exsistentibus, sed etiam in spatiis imaginariis modo illimitato; non autem est in illis praesentia respectiva aut transitiva, sed praesentia absoluta et intransitiva, quae non dicit relationem ad alia, sed talem dispositionem entitativam in Deo ut si creetur aliquod corpus statim sine mutatione sui exurgat in eo relatio distantiae aut indistantiae ab illa re nova creata.

**667.** *Reicitur sententia thomistica.*

*a)* Exsistentia Dei est infinita. Ergo etiam praesentia, quae est modus exsistentiae, est infinita. Atqui si Deus solum esset in spatiis realibus haberet praesentiam finitam. Ergo etiam est in spatiis imaginariis, non praesentia relativa, sed praesentia absoluta.

*b)* Si Deus res omnes annihilaret, omnipraesentiam amitteret, non vero ubi intrinsecum in ea parte spatii absoluti in qua mundus nunc exsistit, quia omne ens habet ubi intrinsecum, alicubi est, ut probatum est in Ontologia. Ergo etiam in omnibus spatii partibus habet etiam ubi intrinsecum immutabiliter, tum quia eadem ratio datur pro omnibus partibus, tum quia si conservaret ubi intrinsecum solummodo in ea parte spatii in qua mundus exsistit, tale ubi esset limitatum, quod repugnat in Deo.

**668.** N. B. Per hoc—ubi—res non est alicubi hoc sensu quod dicat relationem realem ad aliquam rem realiter distinctam, quia spatium non est res aliqua realis et realiter distincta a re ubicata. Sed res est cum sua ubicatione, seu cum tali dispositione intrinseca et absoluta ut si creetur quodlibet corpus, statim sine ulla sui mutatione exurgat in re ubicata relatio distantiae vel indistantiae ab illa re nova creata. Hic modus est forma praecipua, simpliciter necessaria et se sola sufficiens in sensu metaphysico ad denominationem praedicamenti—ubi—.

«Cognoscimus enim Deum per suam immensitatem postulare esse sine accesu ubi ens aliquod possit esse; hanc perfectionem nobis ipsis repraesentare conamur concipiendo Deum esse non tantum in spatio reali sed etiam in spatio imaginario concepto ac si esset reale» (76).

## 669. OBIECTIONES contra thesim.

1. Modus immensitatis non intelligitur. Ergo reiciendus est.
   Resp. Disting. antec. difficile phantastica repraesentatione a nobis exhibetur C.; non probatur Deum debere esse immensum N.

2. Quod est unum simplex et indivisibile non est immensum. Atqui Deus est unus simplex indivisibilis. Ergo non est immensus.

---

(75) S. Th., Quodl. 11, a. 1, c.
(76) Brosnan, *Theol. Nat.*, p. 190.

Resp. Disting. mai. Simplex et indivisibile negative C.; simplex positive non est immensum Subd. si est finitum C.; si est infinitum N.
Contrad. min.

3. Si divina immensitas est indivisibilis, singulae creaturae essent praesentes toti immensitati. Atqui hoc est falsum. Ergo immensitas non est indivisibilis.
Resp. Disting. mai. Toti et totaliter N.; toti sed non totaliter C.
Contrad. min.

4. Si Deus esset in loco esset aliquid corporale. Atqui Deus non est corporalis. Ergo neque est in loco.
Resp. Disting. mai. Si esset circumscriptive C.; si non est circumscriptive N.
Conc. min. et disting. pariter consequens.

5. Deus non est in tempore. Ergo neque est in loco.
Resp. Disting. antec. Non cst in tempore coextendendo suas partes cum partibus temporis C.; non est in tempore per solam coexistentiam N.

6. Quod est totum alicubi non potest totum esse in omni alio loco. Atqui Deus est totus alicubi v. c. in hac parte. Ergo non potest esse extra locum hunc.
Resp. Disting. mai. per aliquam realitatem secundum quam non sit in alio loco C.; per eamdem rcalitatem Subd. si est finitum C.; si est infinitum N.
Contrad. min.

7. Si Deus esset in spatiis possibilibus, illa spatia essent infinita. Atqui repugnat ut spatium sit infinitum. Ergo Deus non est ibi praesens.
Resp. Disting. mai. Si praesentia Dei esset formaliter extensa et ita occuparet spatium C.; si praesentia est inextensa et proprie non occupat locum N. Inde spatia imaginaria non fiunt realia per praesentiam Dei in illis.

8. Deus exigit esse praesentem in omnibus rebus vi suae immensitatis, sed non est. Ergo neque est immensus.
Resp. Disting. antec. Deus non est actu praesens in rebus locisque de facto exsistentibus N.; non est actu praesens in spatiis imaginariis Subd. Deus non habet ex parte sua quidquid requiritur ad hoc ut sit praesens semel ac exsistant res N.; aliter Tr.

9. Deus habet omnes perfectiones ab aeterno. Atqui si omnipraesentia esset perfectio debuisset Deus illam habere necessario et ab aeterno et sic res mundanae ab aeterno essent, quod est falsum. Ergo omnipraesentia non est perfectio.
Resp. Disting. mai... perfectiones intrinsecas ipsi Deo C.; denominationes extrinsecas N.
Contrad. min. quoad elementum intrinsecum C.; etiam quoad extrinsecum N.

Explicatio. Denominationes relativae Dei, ut est omnipraesentia, includunt duo elementa alterum intrinsecum, extrinsecum alterum; hoc deficiente deficit omnipraesentia, sed non deficit elementum intrinsecum. Unde posita exigentia Dei essendi ubique, Deus est aptus ut dicatur omnipraesens et est omnipraesens statim atque res exsistant sine ulla mutatione ex parte Dei.

## ARTICULUS V

### De invisibilitate, incomprehensibilitate et ineffabilitate Dei

**THESIS 29. Deus est pro nobis naturaliter invisibilis, incomprehensibilis et ineffabilis.**

670. **Bibliographia.**—S. Th., 1, q. 12, a. 1-4 et 7; q. 13, a. 1.—Suárez, DM 30, s. 11, n. 1-2; s. 12, n. 1-3; s. 13; *De Deo*. l. 2, c. 5-6; et 9, 29, 31, 32; *De Incarn.*, d. 26, a. 2.—Hontheim, *Inst. Theod.*, p. 511 ss.—Urraburu, *Theod.*, 1, p. 616 ss.—Munounill, *De Deo uno*, n. 338-250.—Loinaz. *Prael. e Theol. Nat.*, p. 20 ss.—Franzelin, *De Deo uno*, th. 18.—Hellín, *Theol. Nat.*, p. 550-572.—Dalmau, *De Deo uno* (BAC, 1952), p. 57.

**671. Nexus.** Egimus in praecedentibus de attributis negativis, quae removent a Deo imperfectiones creaturarum et declarant eius transcendentiam ontologicam, i. e. Deum esse id quo maius nec esse nec cogitari potest. Nunc veniunt breviter (relicta ampliori expositione ad Theologiam) tractanda illa attributa negativa, quae infinitam Dei perfectionem et eius transcendentiam tum relate ad facultatem cognoscitivam creaturarum (invisibilitas et incomprehensibilitas) tum etiam relate ad sermonem (ineffabilitas) enuntiant.

### 672. NOTIONES.

**Invisibilitas Dei** est impossibilitas videndi Deum. Potest esse corporea et intellectualis. *Corporea* est impossibilitas videndi Deum per organa corporea. *Intellectualis* seu stricto sensu est impossibilitas videndi Deum per intuitionem intellectus seu per conceptum proprium rei praesentis ut praesentis.

**673. Incomprehensibilitas** est impossibilitas Deum comprehendendi.

Comprehensio seu cognitio comprehensiva est illa quae exhaurit seu adaequat totam rei cognoscibilitatem; unde res cognoscitur tantum quantum cognoscibilis est seu tota et totaliter. Hoc autem intelligi potest:

—*sive ex parte facultatis* cognitivae, quae sit perfectissima omnium i. e. facultas infinita (sic solum facultas divina);

—*sive ex parte obiecti:*

—tum *extensive*, cum cognoscitur res secundum ea omnia quae in re sunt (formaliter, eminenter et virtualiter);

—tum *intensive* ita ut cognitio gaudeat illa claritate, intensitate, perfectione cognitiva, quam res petit (non enim requiritur aequalitas entitativa, sed sufficit aequalitas cognitiva ita ut tanta sit perfectio in linea manifestationis quanta habet obiectum in linea cognoscibilitatis).

**674.** INEFFABILITAS *lato sensu* est impossibilitas exprimendi sermone externo seu vocabulis Dei perfectionem sive abstractive sive quidditative:

—*abstractive* seu per vocabula, quae sint signa conceptuum abstractivorum; *quidditative* seu per vocabula quae sint signa conceptuum quidditativorum et inde intuitivorum et propriorum ex propriis.

*Stricto sensu* est impossibilitas exprimendi sermone externo seu vocabulis totam Dei perfectionem prouti est in se, praesertim adaequate et comprehensive. Haec ineffabilitas potest esse absoluta et relativa.

*I. absoluta:* si a nemine ullo modo sermone sensibili praedicta expressio fieri possit.

*I. relativa:* si a nobis sive iam comprehensoribus sive adhuc viatoribus naturaliter illa expressio fieri non possit:

—*sive active* (ex parte loquentis) ita ut loquens non posit exprimere Deum qualem in se est;

—*sive passive* (ex parte audientis) ita ut audiens illam expressionem ab alio loquente capere non possit.

## 675. STATUS QUAESTIONIS.

*In parte prima* quaeritur utrum Deus sit invisibilis necne. Invisibilitas Dei per organa corporea iam probata est in Psychologia et quidem impossibilitas erat essentialis unde tum naturaliter tum supernaturaliter seu absoluta. Invisibilitas Dei intellectualis naturaliter etiam probata est in Psychologia contra Ontologos. Unde negamus intellectui humano vim naturalem cognoscendi Deum intuitive.

*In secunda parte* quaeritur utrum Deus sit naturaliter incomprehensibilis necne. Et responsio est Deum naturaliter a nobis comprehendi non posse.

*In tertia parte* quaeritur utrum Deus sit ineffabilis necne. Et agimus de ineffabilitate Dei sermone sensibili, non vero sermone spirituali angelorum; et quidem naturaliter et in propria Ipsius forma pro nobis viatoribus sive loquentibus sive audientibus.

Non est quaestio de ineffabilitate late dicta per vocabula, quae sint signa conceptuum analogicorum; si enim Deum imperfecte, analogice ex creaturis cognoscere possumus, ut iam probatum est, etiam imperfecte eius naturam nominare possumus.

Inde quaestio est de ineffabilitate stricto sensu per vocabula, quae sint signa conceptuum quidditativorum, intuitivorum et propriorum ex propriis, quae repraesentent Deum prouti est in se.

## 676. SENTENTIAE.

QUOAD INVISIBILITATEM:

*Prima sententia:* asserit Deum visibilem esse:

—iuxta GENTILES naturaliter et oculis corporeis prouti est in se:

—saltem oculo glorificato ut voluerunt *Ariani* et calvinista VORSTIUS;

—intuitione intellectuali in hac vita naturaliter ad placitum *ontologorum;*
—intuitione intellectuali naturaliter saltem ab intellectu separato a corpore, quod affirmarunt BEGUINAE et BEGUARDI et BAIUS.

**677.** *Secunda sententia*, quae est communis scholasticorum, asserit Deum esse invisibilem tum oculo corporeo sive naturaliter sive supernaturalitater; tum etiam naturaliter intuitive a nostro intellectu creato (immo etiam ab intellectu creabili excellente contra RIPALDA).

**678.** QUOAD COMPREHENSIBILITATEM.

*Omnes catholici et scholastici* admittunt Deum esse incomprehensibilem. Dissentiunt vero in ulteriori explicatione:
—*alii* sustinent Deum esse incomprehensibilem omni intellectui creato et creabili absolute, etiam per omnipotentiam Dei. Sic *thomistae* et *Suareziani generatim*, qui requirunt ad cognitionem comprehensivam ut cognoscantur omnia quae continentur in re formaliter, eminenter et virtualiter. Quoad cognitionem eorum quae continentur in potentia obedientiali: alii affirmant hoc etiam requiri, alii vero negant eo quod potentia obedientialis sit extrinseca rei, unde res ipsa iam tota erat penetrata.
—*alii* dicunt Deum esse incomprehensibilem, sed non constat esse talem omni intellectui et de potentia Dei absoluta. Sic VÁZQUEZ, ARRIAGA et alii;
—*alii, Scotistae*, dicunt sufficere ad cognitionem comprehensivam ut cognoscantur ea quae formaliter et ex natura rei, non vero ea quae eminenter et virtualiter in re continentur.

QUOAD INEFFABILITATEM.

**679.** *Omnes* consentiunt Deum esse ineffabilem naturaliter pro nobis viatoribus sive loquentibus sive audientibus.

**680. CENSURA.**—*Invisibilitas corporalis absoluta* est certa in philosophia et in Theologia est proxima fidei (Suárez). Invisibilitas intellectualis naturaliter pro intellectu creato est certa in philosophia et in Theologia est Doctrina Catholica: DB 475; 1001, 1002, 1005; etiam 530.

*Incomprehensibilitas* est certa in philosophia; in Theologia est de fide definita quin descendatur ad particularia de modo intelligendi comprehensionem, utrum pro viatoribus solum an etiam pro comprehensoribus, etc...

*Ineffabilitas Dei* est certa in philosophia sensu explicato in statu quaestionis. In Theologia vero est de fide divina loquendo de ineffabilitate in genere, in aliquo sensu, quin ad particularia descendatur. Conc. Lat. IV. DB 428; Conc. Vat. DB 1782.

**PROBATUR.**

**681. 1.ª Pars.** Deus est pro nobis naturaliter invisibilis si absolute a nobis videri nequit oculis corporeis, nec naturaliter per intellectum. Atqui ita est. Ergo Deus est pro nobis simpliciter invisibilis.

*Maior.* Patet ex definitionibus.

*Minor.* Quia improportio in ordine ad cognitionem inter organum vivum cum virtute perceptiva et rem spiritualem percipiendam est absoluta ut ostensum est in Psychologia.

Intellectus noster cognoscit per species; proprias autem species in hac vita non habet nisi de quidditate rerum sensibilium; in statu separationis naturalis nonnisi de iisdem quidditatibus et de se et similibus in essentia, ut ostensum etiam est in Psychologia, non vero de obiecto prorsus novo et improportionato ut est Deus.

**682. 2.ª Pars.** Ad cognitionem comprehensivam requiritur:

*a)* Ut res cognoscatur *tota* i. e. secundum ea omnia quae in ea continentur formaliter, eminenter et virtualiter;

*b)* et *totaliter* i. e. cum ea claritate, intensitate et perfectione, quam ipsa res petit. Atqui relate ad Deum infinitum talis cognitio saltem naturaliter (immo et supernaturaliter omni intellectui creato et creabili) est nobis impossibilis. Ergo Deus est nobis naturaliter incomprehensibilis.

*Maior.* Patet ex definitione comprehensionis.

*Minor.* Quia Deus infinitus est infinite cognoscibilis tum extensive tum intensive, tum in ratione entitatis tum in ratione cognitionis. Atqui intellectus finitus est incapax cognitionis modo obiectivo infinitae, quia secus cognitio creata aequaret cognitionem divinam in ipsa ratione cognitionis, quod repugnat. Ergo relate ad Deum infinitum, cognitio comprehensiva nobis impossibilis est.

**683. 3.ª Pars.** Deus nec ullo modo comprehendi ab ulla creatura, nec a nobis naturaliter sive intueri sive conceptu proprio ex propriis cognosci potest. Atqui vocabula nostra sunt signa conceptus. Ergo Deus est absolute ineffabilis sermone comprehensivo et pro nobis naturaliter ineffabilis tum active tum passive.

*Maior.* Patet ex prima et secunda parte huius theseos et ex thesi 21.

*Minor.* Vocabula, ut sunt loquela nostra, sunt manifestatio nostrorum propriorum conceptuum.

**684. SCHOLIUM. De ineffabilitate Dei in specie.**

Prae oculis habe verba esse signa, quae sensum loquentis audienti manifestant. Unde vis significativa eorum tum ex loquente tum ex audiente pendet. Si enim loquens non intelligit verba ab ipso prolata quamvis ea audiens capiat, non est vera loqutio respectu ipsius loquentis; item si audiens verba a loquente prolata ignoret, talia verba pro audiente rationem sermonis non habent. His positis sequentes quaestiones proponuntur:

**685.** *a)* Utrum Deus Ipse, qui se comprehendit, possit nomen sensibile imponere comprehensive significans aliis suam naturam. Disputatur, sed videtur negandum, quia nulla creatura est capax huius comprehensionis. Unde Deus comprehensive sumptus est ineffabilis absolute.

**686.** *b)* Utrum creatura possit nomen eligere, ut signum arbitrarium, in intellectu divino notitiam comprehensivam quasi excitans. Disputatur, sed negative respondendum videtur,

quia usus verbi pendet etiam ex notitia ipsius loquentis, in casu, creaturae, quae non est capax comprehensionis.

**687.** *c)* Utrum comprehensores (ita dicuntur beati in quantum Deum possident, quem in via insequuntur) inter se possint exprimere externe vocibus ac nominibus essentiam Dei prouti est in se et quidditative Eum significantibus. Multum disputatur: alii affirmative respondent ut S. Thomas, Urraburu...; alii vero negative ut Suárez, Báñez, Hellín...

**688.** *d)* Utrum Deus possit nominari quidditative a viatoribus loquentibus cum comprehensoribus. Disputatur, sed negandum videtur cum sententia communiori.

# PARS QUARTA

## DE ATTRIBUTIS DEI POSITIVIS OPERATIVIS

Pertractatis in parte praecedente attributis Dei negativis, veniunt nunc tractanda attributa positiva operativa seu illa, quae a nobis instar potentiarum operandi concipiuntur, quae relate ad Deum tres numerantur: intellectus, voluntas et omnipotentia.

Prius de vita Dei agendum est et primum quidem de vita in genere deinde de vita intentionali intellectivo-volitiva.

# CAPUT I

## De vita Dei in genere

**THESIS 30. Deus est vivens intentionale, perfectissimum, immo est ipsa vita.**

689. **Bibliographia.**—S. Th., 1, q. 18, a. 1-4.—Suárez, DM 30, s. 15.—Urraburu, *Theod.*, 2, p. 1-8.—Donat, *Theod.*, n. 231-237.—Sertillanges, *S. Thomas*, p. 239 ss.—Gisquière, *Prael. Theol. Nat.*, 2, p. 9-15.—Hellín, *Theol. Nat.*, p. 573.

690. **Nexus.** Ut diximus, incipimus de Dei vita agere. Iam vero antequam varias de vita divina quaestiones aggrediamur, pauca de vita Dei in genere praemittere iuvat.

### 691. NOTIONES.

**Vivens** est quod natum est movere se ipsum motu immanente.

Actio vitalis est operatio immanens, quae procedit (non praecise producitur) ab agente et cum termino (non praecise cum effectu) in agente manet v. c. intellectiones, volitiones...

*Motus* (movere se ipsum): —*latissimo sensu* est quaelibet operatio etiam si sit sine ulla mutatione; unde idem significat ac agere et in hoc sensu Deus habet vitam et se movet;

—*stricto sensu* est verus transitus de potentia in actum. Unde includit substantiam (principium quod operationum, vita in actu primo); facultatem immanenter agendi (principium quo operationum, vita in actu primo); actionem seu effectionem formae, qua vivens actu vivit et formam productam, quae actuat vivens (vita in actu secundo).

692. Intentionale dicitur illud, quod ad ordinem cognitionis et appetitionis pertinet. Per cognitionem enim intellectus intendit obiectum ut illud in se velut in imagine referat; et per volitionem voluntas intendit obiectum ut illud possideat.

## 693. STATUS QUAESTIONIS.

Thesis habet quattuor partes.

*In prima parte* quaeritur utrum Deus sit vivens formaliter. Et affirmamus esse in Deo vitam formaliter sumptam eo quod vita sit perfectio simpliciter simplex.

*In secunda parte* asseritur Deum gaudere solum vita intentionali intellectivo-volitiva, non vero vita sensitiva et vegetativa.

*In tertia parte* vitam Dei esse perfectissimam docetur.

*In quarta parte* dicimus Deum esse ipsam vitam.

## 694. SENTENTIAE.

*1.ª sententia:* Omnes qui Deum admittunt etiam asserunt Illum vita gaudere.

*2.ª sententia:* Agnostici dogmatici tribuunt Deo vitam non proprie dictam, sed metaphoricam.

**CENSURA.** Certa.

## PROBATUR.

**695. 1.ª Pars.** Deus est causa entium formaliter viventium. Atqui causa entium formaliter viventium debet esse formaliter vivens. Ergo Deus est vivens formaliter.

*Maior.* Deus est causa prima incausata et unica omnium rerum.

*Minor.* Causa enim debet continere perfectionem effectus et quidem formaliter si perfectio est simpliciter simplex, ut est vita in actu secundo. Et quidem vita est: *perfectio,* quia est aliquid positivum, non est mera negatio; *in suo conceptu praecisivo nullam dicit imperfectionem,* nam habere in se principium suarum operationum, ut determinari aut moveri ad agendum non indigeat, est pura perfectio ut ex evidentia obiectiva constat et ab omnibus admittitur.

Certe vita, quae implicat movere se ipsum ad perfectionem adquirendam dicit perfectionem admixtam imperfectioni. Item vita, quae fert secum compositionem ex principio materiali de se inerti et ex altero principio animante primum dicit perfectionem admixtam imperfectioni. Sed tales imperfectiones sunt de conceptu talis vitae, non vero de conceptu vitae ut sic.

**696. 2.ª Pars.** Vita vel est vegetativa vel sensitiva vel intellectivo-volitiva. Atqui prima et secunda non possunt dari in Deo. Ergo solum datur tertia i. e. Deus gaudet solum vita intentionali seu intellectivo-volitiva.

*Maior.* Divisio est adaequata, non datur alia.

*Minor.* Vita vegetativa et sensitiva sunt perfectiones mixtae, quae non possunt exerceri nisi ab ente corporeo. Atqui Deus est actus et spiritus purissimus. Ergo nequit habere vitam vegetativam et sensitivam. Quod autem eius vita sit intellectivo-volitiva patet exclusione et praeterea statim a nobis probabitur.

**697. 3.ª Pars.** Deus, omniperfectus et simpliciter infinitus, continet omnes perfectiones simpliciter simplices formaliter in gradu nobilissimo. Atqui vita est perfectio simpliciter simplex. Ergo Deus est vivens perfectissimum.

*Maior.* Probata manet in thes. 16, 17, 18.

*Minor.* Constat ex praecedentibus.

*Conseq.* declaratur: Nam Deus seu divina substantia vivens, potentiae operandi, actio vitalis, eius terminus seu actus, verum et bonum ut obiectum formale (verum infinitum et bonum infinitum) sunt unum idemque; unde Deus habet in se et a se cum absoluta sufficientia et independentia ab agente externo in omni genere causalitatis, quidquid ad operationem spectat immanentem, quam vitae ratio importat.

**698. 4.ª Pars.** Si Deus est Ipsum esse seu ens por essentiam etiam est ipsa vita seu vita per essentiam. Atqui Deus est Ipsum esse, ens per essentiam i. e. a se ipso non ab alio et se ipso per essentiam suam et non per ullam formam superadditam re aut ratione distinctam ab essentia. Ergo Deus est Ipsa vita.

*Maior.* Quia vita seu operari, vivere in actu secundo in Deo non distinguitur ab essentia aut ab exsistentia nisi ratione ratiocinata minima.

*Minor.* Probata manet in thesi 15.

# CAPUT II

## De vita Dei intentionali intellectiva: de scientia speculativa

## ARTICULUS I

### De intellectu et scientia Dei subiective spectata

**THESIS 31. Datur in Deo intellectus et scientia proprie dicta et perfectissima.**

699. **Bibliographia.**—S. Th., 1, q. 14, aa. 1, 4, 7, 15.—Suárez, DM 30, s. 15, n. 1-9; 34-40; D. 35, s. 3, n. 18; *De Deo uno*, l. 3, c. 1, n. 1-5.—Hontheim, *Inst. Theod.*, p. 574-588.—Urraburu, *Theod.*, II, p. 10-28.—Boedder, *Theol. Nat.*, p. 186.—Franzelin, *De Deo uno*, th. 36-37.—Muncunill, *De Deo uno*, n. 260-275; 293-307.—Loinaz, *Praet.e Theol. Nat.*, p. 215.—Hellín, *Theot. Nat.*, p. 575 ss.—Gisquière, *Praet. Theol. Nat*, 2, p. 293.

**700. Nexus.** Egimus in thesi praecedenti de vita Dei in genere. Nunc de vita intellectuali seu de scientia Dei agendum est.

### 701. NOTIONES.

Intellectus est facultas seu potentia cognoscitiva spiritualis.

Potentia cognoscitiva intellectiva potest esse physica, metaphysica et logica.

*Potentia physica* est principium efficiens et receptivum intellectionis v. c. intellectus humanus. *Potentia metaphysica* est virtus cognoscitiva intellectiva attingens quamcumque veritatem sine receptione ullius actus ita ut praescindatur pro explicito ab actu secundo. *Potentia logica* est non repugnantia activitatis intellectivae.

**702.** Scientia: —*latissime* idem est ac scire aliquid quomodolibet; est quaecumque cognitio. Vel etiam est quaelibet cognitio certa licet non sit evidens v. c. fides.

—*lato sensu* est sola cognitio rei certa et evidens (sive sit immediata v. c. cognitio principiorum; sive mediata seu discursiva, sive ordinis pure experimentalis sive rationalis);

—*stricto sensu* est cognitio rei certa et evidens discursiva seu per demonstrationem comparata; est cognitio rerum per causas sive solum per causas in cognoscendo i. e. per causas rei uti cognitae seu per causas cognitionis ipsius rei ut accidit si scientia est imperfecta, a posteriori; sive per causas in essendo et in cognoscendo i. e. per causas rei in se et per causas cognitionis ipsius rei, si demonstratio est a priori eademque perfecta.

*Scientia quia* est illa quae comparatur per discursum seu demonstrationem ex effectibus vel ex causis remotioribus. Solum ostendit quod res sit, non cur res sit et comprehendit tum omnes demonstrationes a posteriori (v. c. demonstratio exsistentiae Dei ex effectibus contingentibus) tum demonstrationes a priori ex causis remotioribus (v. c. si demonstro hominem esse capacem meriti quia est rationale).

*Scientia propter quid* est illa quae comparatur per discursum seu demonstrationem ex causa proxima. Ostendit quod res sit et cur res sit et semper est a priori v. c. si demonstro hominem esse risibile ex admirativo.

*Scientia actualis* (in actu secundo) est ipsa actualis cognitio.

*Scientia habitualis* est habitus mentis ac facilitas inclinans intellectum ad assensus certos et evidentes eliciendos.

**703.** Divisiones scientiae divinae actualis. Scientia divina, quae unico actu absolvitur, attentis diversis obiectis et diversis muneribus secundum nostrum modum concipiendi multiplex esse potest.

**704.** *a)* Necessaria et libera.

*Necessaria* est illa quae versatur circa res, quae ita repraesentantur ut non potuerint non repraesentari vel aliter repraesentari v. c. cognitio essentiae divinae et possibilium.

*Libera* est illa quae versatur circa res quae ita repraesentantur de facto ut potuerint etiam non repraesentari vel aliter repraesentari v. c. cognitio huius mundi actualis.

**705.** *b)* Scientia simplicis intelligentiae, visionis et mediae.

*S. simplicis intelligentiae* est ea quae versatur circa res possibiles ut tales.

*S. visionis* est ea quae versatur circa res quaslibet existentes in qualibet differentia temporis vel in aeternitate. Hac scientia Deus cognoscit se ipsum, praeterita, praesentia et futura.

*S. media* est illa quae versatur circa actus liberos creaturae, qui exsisterent si ponerentur quaedam circunstantiae ex parte creaturarum vel ex parte Dei. Hac scientia Deus cognoscit futura libera conditionata.

Scientia media in genere (spectatis certa scientia futuribilium in Deo, distinctione futuribilium a pure possibilibus, re cognita et nudo facto cognitionis; praccisis determinata terminologia et medio vel modo cognoscendi futuribilia) ab omnibus admitti debet.

**706.** *c)* Intuitiva et abstractiva.

*S. intuitiva* est illa quae versatur circa res exsistentes in qualibet temporis differentia vel in aeternitate. Unde omnis scientia visionis est intuitiva.

*S. abstractiva* est ea quae versatur circa res non exsistentes, vel saltem in signo priori ad earum futuram exsistentiam. Sic scientia simplicis intelligentiae, quae ex communissima sententia cum scientia abstractiva identificatur. Ad hanc pertinet etiam scientia media.

**707.** *d)* Speculativa et practica.

*Speculativa* est illa quae sistit in mera rerum contemplatione.

Haec potest esse:

*simpliciter speculativa* si versatur circa res nullo modo factibiles, ut est cognitio Dei de se ipso;

*speculativa secundum quid*, est illa quae versatur circa res factibiles solum, vel circa res factibiles et circa modum faciendi eas sine ulla tamen intentione faciendi eas. Sic cognitio pure possibilium.

*Practica* est illa quae considerat res in ordine ad praxim. Haec potest esse:

*proxime practica*, quae considerat seu versatur circa res factibiles, circa modum faciendi eas et cum proposito eas producendi aut saltem concurrendi cum creaturis. Sic scientia de rebus creandis et de concursu eis prebendo. Item scientia fabri lignarii, qui considerat mensam et modum illam faciendi et cum intentione illam faciendi; *remote practica* seu secundum quid, si versatur circa res factibiles solum, aut circa res factibiles et circa modum faciendi eas sed sine intentione eas producendi. Talis est cognitio pure possibilium. Item scientia fabri lignarii, qui considerat mensam solummodo, aut etiam considerat illam et modum faciendi sine intentione illam fabricandi.

**708.** *e)* Scientia approbationis et simplicis notitiae.

*S. approbationis* est illa quae versatur circa bona, quae Deus non potest non approbare seu ut bona habere. Talis est scientia visionis bonorum et scientia simplicis intelligentiae, quatenus adiunctum habet iam decretum producendi ea; non autem est talis scientia simplicis intelligentiae.

*S. simplicis notitiae* est ea quae versatur circa res sive exsistentes sive possibiles, quas Deus non potest probare v. c. peccata. Vel etiam scientia simplicis intelligentiae in genere.

## 709. STATUS QUAESTIONIS.

Quaeritur an sit in Deo intellectus et scientia et qualis sit.

Agimus de scientia in actu secundo et consideramus illam in sensu lato seu pro notitia certa et evidenti, quam tribuimus Deo.

*Potentia intellectiva logica* procul dubio datur in Deo, *non* vero potentia *physica. Quoad* potentiam *metaphysicam:* communior sententia est dari in Deo virtutem intellectivam per modum actus primi ita ut saltem implicite includat ipsum actum secundum. Alii vero affirmant nos debere concipere explicite in actu talem potentiam secus intellectus divinus explicite non conciperetur (77).

**710.** Thesis habet tres partes:

*In prima parte* probatur esse in Deo intellectum et scientiam in genere. Si probamus Deum habere intellectum capacem notitiae certae et evidentis (omnis natura intellectualis est capax talis cognitionis) eo ipso probatum manet habere de facto scientiam, siquidem Deus est actus purissimus. Si autem probamus Deum habere scientiam eo ipso tribuimus ipsi intellectum sensu explicato.

*In secunda parte* probatur talem scientiam esse proprie dictam.

*In tertia parte* probatur talem scientiam esse perfectissimam.

## 711. SENTENTIAE.

*Prima.* Gentiles admittebant suos deos multa ignorantes, nova discentes et alia coniecturaliter scientes.

*Secunda.* Ut adversarii, ab auctoribus numerantur Averroes, qui dixit

(77) Urraburu, *Theod.*, 2. p. 28.

Deum cognoscere res in confuso quatenus sunt entia non vero ut talia entia. AUREOLUS, qui dixit Deum non cognoscere res secundum propriam formam.

*Tertia.* AGNOSTICI DOGMATICI tribuebant Deo scientia metaphorice sumptam.

*Quarta* est illa quae enuntiatur in carmine theseos et est communis inter catholicos et scholasticos.

## CENSURA.

Certa in philosophia; de fide catholica definita in Theologia. DB 1782.

## PROBATUR.

**712. 1.ª Pars.** I. Deus continet formaliter omnes perfectiones simpliciter simplices. Atqui intellectus et scientia sunt perfectiones simpliciter simplices. Ergo datur in Deo intellectus et scientia.

*Maior.* Manet probata in praecedentibus.

*Minor.* Intellectus et scientia:

*a)* Sunt perfectiones, quia sunt actualitas aliqua, aliqua realitas positiva.

*b)* In suo conceptu praecisivo nullam dicunt imperfectionem ut constat ex evidentia obiectiva. Unde carere intellectu et scientia esset magna imperfectio, quae in omniperfecto adesse nequit.

**713.** II. Deus est causa entium formaliter intelligentium. Atqui si est causa entium formaliter intelligentium debet esse formaliter intelligens. Ergo Deus est formaliter intelligens (et eo ipso capax cognitionis certae et evidentis et eo ipso datur in Eo cognitio certa et evidens seu scientia).

*Maior.* Deus est causa prima et adaequata omnium rerum.

*Minor.* Quia Deus debet continere effectum meliori modo possibili ut iam probatum est; et melius est habere intelligentiam et scientiam, quae sunt perfectiones simpliciter simplices, formaliter quam eminenter.

**714.** III. Deus est causa ordinis mundani. Atqui causa ordinis mundani debet esse formaliter intelligens. Ergo Deus est formaliter intelligens.

*Maior.* Probata manet in 5.ª via S. Thomae.

*Minor.* Ibi etiam manet probata. Et quidem Deus est formaliter intelligens, quia carere intellectu formaliter sumpto est imperfectio, quae in omniperfecto adesse nequit.

**715. 2.ª Pars.** Perfectiones simpliciter simplices proprie de Deo praedicantur. Atqui scientia est perfectio simpliciter simplex. Ergo scientia proprie et sine metaphora de Deo praedicatur.

*Maior.* Patet ex thesi 17.

*Minor.* Patet ex argumentis praecedentibus.

**716. 3.ª Pars.** I. Scientia Dei tum ut est entitas quaedam tum ut est scientia re et ratione saltem secundum implicitum identificantur cum essentia divina. Atqui essentia divina est infinite perfecta. Ergo scientia Dei est etiam infinite perfecta.

*Maior.* In Deo: substantia infinita et simplicissima, facultas seu intellectus, intellectio, principium formale intellectionis seu species intelligibilis, obiectum quasi formale et primarium sunt unum idemque; et sic Deus est intellectio subsistens vel ipsa intellectio quae continet omnes perfectiones.

*Minor.* Probata est in thesi 18.

**717.** II. Scientia Dei est perfectissima:

a) *In suis veluti proprietatibus:*

*extensive*, quia cognitio divina ad omnia se extendit, ad se Ipsum et ad alia a se distincta sc. possibilia, praetcrita, praesentia, futura et futuribilia ut deinde probabitur: unde nulla veritas ei latet;

*intensive:* omnia enim cognoscit perfectissime, et inde est

*comprehensiva*, siquidem cognoscit non solum omnia, quae in singulis rebus continentur formaliter, eminenter et virtualiter, sed omnia in particulari et perfectissime; *infallibilis*, quia metaphysice incomposibilis est cum errore; *certa*, non probabilis; *evidens*, non obscura; *immediata*, non discursiva; *aeterna*, non temporanea, nam si inciperet in tempore Deus mutaretur; *invariabilis*, quia licet res varietur, Deus tamen has variationes ab aeterno novit sine ulla variatione.

**718** b) *Caret omni imperfectione scientiae creatae.* Inde

*non est actus accidentalis*, sed identificatur cum divina essentia re et ratione saltem secundum implicitum; *nec habitus*, quia habitus est qualitas accidentalis addita potentiae ut eam roboret et determinet, quod in Deo locum habere non potest; *nec simplex apprehensio*, siquidem haec excludit perfectionem iudicii; *nec iudicium* quatenus supponit varias simplices apprehensiones, sed est perfecte iudicativa absque ullo formali iudicio; *nec est discursiva*, quia discursus importat multiplicitatem actus; *nec est abstractiva* a singularitatibus, quia haec est scientia inadaequata; neque est singularis ad modum cognitionis sensitivae; sed est eminentissime singularis et universalis sine abstractione; tamen scientia in Deo de obiecto mere abstracto admitti potest.

**719.** *c) Habet omnes virtutes intellectuales scientiae creatae.* Unde

*est intellectus principiorum*, nam illi aequivalet siquidem principia omnia sine ullo discursu intelligit; *scientia*, quia cognoscit omnes res per suas causas, i. e. sciendo res esse per causas suas, sed non habendo scientiam adquisitam per causas rerum; *scientia propter quid*, quia res necessarias cognoscit in suis causis proximis a priori, nullam vero a posteriori; actus vero contingentes cognoscit in se ipsis ut videbimus; est *sapientia*, quia omnia cognoscit et aestimat per suas causas ultimas; causa autem suprema et ultima est Deus, quem comprehensive cognoscit; *prudentia*, quia optime callet ordinem mediorum ad quoslibet fines, et rectissime iudicat de agendis; *est ars*, quia continet ideas exemplares omnium factibilium et modorum quibus fieri possunt; *aequivalet* omnibus scientiis, quae ratione obiectorum distingui possunt, quarum praecipuae iam enumeratae sunt in definitionibus.

**720. SCHOLIUM. De invariabilitate scientiae divinae.**

*Invariabilitas* est necessitas manendi semper in eodem statu.

Invariabilitas in scientia divina est conditio vel perfectio scientiae divinae, quae semel determinata semper immutabiliter perseverat ita ut nec augeri nec minui, nec uno modo nunc, alio deinde modo haberi queat, sed uno modo semel exsistens semper sic exsistat.

Invariabilitas potest esse:

a) *Entitativa*, i. e. in scientia in se ipsa secundum esse quod habet in Deo; est ipse Deus.

b) *Terminativa*, i. e. secundum quod est repraesentatio rerum scibilium; seu est scientia considerata in obiectis circa quae versatur seu in terminationibus, quas habet, sive primariis sive secundariis.

Invariabilitas terminativa potest esse:

a) *Extensive*, i. e. si non possunt sciri nunc pauciora, postea plura.

b) *Intensive*, i. e. si non possunt sciri res primo probabiliter, deinde certo, nunc obscure, postea clare.

**721.** 1) Quod scientia omnis in Deo sit prorsus invariabilis entitative indubium est: est enim ipse Deus.

2) Quod scientia divina sit etiam prorsus invariabilis terminative quoad obiectum primarium (Deus) et quoad secundarium (possibilia) per se patet; de variabilitate scientiae simplicis intelligentiae quaerere non licet; est omnino necessaria.

3) Difficultas est in scientia visionis terminative sumpta.

—Scientia enim visionis huius mundi ab aeterno alia esse potuit, inde variabilis et contingens sine iactura entitatis divinae. Nam Deus libere creavit mundum et loco harum rerum nunc exsistentium alias res liberrime potuit creare.

—Sed scientia visionis huius mundi, quae semel ab aeterno fuit eadem prorsus invariabilis semper manebit. Variatio terminativa in ipsa scientia semel ab aeterno habita, secum ferre videtur mutationem entitativam in Deo.

4) Unde omnis scientia in Deo entitative ac terminative, extensive ac intensive, quoad terminationes sive absolute necessarias sive absolute contingentes, quae semel fuit eadem semper manebit.

N. B. *Contingens* infert mutationem impropriam a non-esse ad esse, sed praescindit a mutatione esse realis semel positi; proin potest esse invariabilis de facto quamvis non de iure.

*Variabile* contra, infert talem mutabilitatem esse actualis semel positi.

**722.** Scientia Dei terminative sumpta est omnino invariabilis si est talis extensive. Atqui ita est. Ergo scientia Dei est omnino invariabilis.

*Minor.* a) *Extensive:* Variatio a paucis ad plura cognita, quamvis sine entitativa Dei mutatione dari posset, actualem diceret ignorantiam. Atqui ignorare, quae absolute scibilia sunt est imperfectio. Ergo scientia Dei extensive non variatur.

b) *Intensive:* Variatio quoad haec supponeret sive in facultate sive in actu anteriorem imperfectionem. Atqui scientia undequaque perfectissima est essentialiter ideoque semper. Ergo scientia Dei etiam intensive invariabilis est.

**723. OBIECTIONES.**

1. Deus est in potentia ad creandum. Atqui si est in potentia ad creandum a pari potest esse in potentia ad sciendum. Ergo scientia Dei non est in actu sed in potentia.

Resp. Conc. mai.

Nego minorem et paritatem, quia creatio est actio transiens; scientia vero est actio immanens identificata cum essentia divina.

Atqui datur in Deo scientia per modum potentiae. Ergo...

2. Intellectus definitur: facultas seu potentia cognoscitiva spiritualis. Atqui haec definitio convenit Deo. Ergo etiam scientia per modum potentiae.

Resp. Conc. mai.

Disting. min. ita ut saltem implicite includat ipsum actum secundum C.; secus N. et Disting. pariter cons.

Atqui convenit Deo vere et proprie scientia in actu primo. Ergo...

3. Actui secundo semper respondet actus primus. Atqui intellectio divina est actus secundus. Ergo etiam in Deo actui secundo respondet actus primus.

Resp. Disting. mai. in creatis C.; in Deo subd. includens implicite actum secundum C.; secus N.
Contrad. min.

Atqui etiam in Deo respondet actus primus praescindens adaequate ab actu secundo. Ergo...

4. Intellectio divina est operatio aliqua realis. Atqui operationi reali respondet potentia praescindens adaequate ab actu. Ergo etiam in Deo respondet actus primus praescindens adaequate ab actu 2.°

Resp. Disting. mai. operatio producta N.; actualis cognitio improducta C.
Contrad. min.

Atqui intellectio divina esset producta. Ergo...

5. Actus vitalis a potentia producitur. Atqui intellectio divina est actus vitalis. Ergo intellectio divina esset producta.

Resp Conc. mai.
Disting. min. productus N.; actus improductus C.
Disting. pariter cons.

Atqui cognitio actualis rerum creatarum repugnat in Deo. Ergo...

6. Cognitio est perfectio cognoscentis. Atqui Deus non potest perfici ab aliis rebus. Ergo nec potest cognoscere illas.

Resp. Disting. mai. subiective spectata (re vel ratione distincta a substantia) C.; obiective spectata, i. e. ipsum obiectum Sub. in se consideratum N.; ratione speciei intelligibilis productae et receptae in cognoscente C.
Conc. Min. et disting. pariter cons. In Deo unica quasi species impressa est ipsa essentia divina; species expressa est actualis intellectio etiam identificata cum essentia divina.

Atqui Deus non potest habere cognitionem rerum creaturarum. Ergo...

7. Si Deus cognoscit actu res, res causant cognitionem divinam. Atqui hoc in Deo repugnat. Ergo etiam scientia rerum in actu.

Resp. Disting. mai. Res terminant cognitionem divinam C.; determinant illam N.
Contrad. min.

Atqui res creatae causarent cognitionem divinam. Ergo...

8. Ab obiecto et cognoscente producitur cognitio. Atqui obiectum in casu sunt res creatae. Ergo res creatae determinant cognitionem divinam.

Resp. Disting. mai. si obiectum determinat vel causat cognitionem producendo speciem impressam C.; si solum est terminus cognitionis N. et Contrad. min.

Atqui res creatae determinarent et facerent dependentem cognitionem divinam. Ergo...

9. Cognitio, scientia est assimilatio scientis ad scitum, a quo pendet scientia. Atqui scitum in casu sunt res creatae. Ergo cognitio divina ab illis dependeret.

Resp. Disting. mai. assimilatio physica N.; intentionalis Subd. et datur dependentia in scientia creata C.; in increata N.
Conc. min. et disting. pariter cons.

Atqui etiam scientia increata penderet a rebus creatis. Ergo...

10. Cognitio semper est similitudo obiecti repraesentati. Atqui similitudo obiecti est imago obiecti, specificatur ab obiecto. Ergo cognitio divina dependeret ab obiectis creatis.

Resp. Disting. mai. entitativa N.; repraesentativa ita ut species sit imago formalis desumpta ex ipsa re Subd. in creatis C.; in Deo N.
Contrad. min.

Explicatio. In Deo est imago eminentialis simplicissima aequivalens formali, quae *et* sit plena sufficientia capax praebendi similitudinem formalem ipsius obiecti; *et* determinatio ad cognoscendum omnia. Cognitio divina de se Ipso habet similitudinem metaphysicam identitatis cum obiecto.

Atqui scientia divina esset imago obiecti desumpta ex ipso obiecto. Ergo...

11. Scientia commensuratur obiectis et eis conformatur. Atqui illa configuratio est imago formalis ex ipso obiecto desumpta. Ergo scientia divina esset imago obiecti desumpta ex ipso obiecto.

Resp. Disting. mai. scientia creata C.; increata Subd, quoad obiectum materiale secundarium N.; quoad obiectum quasi formale iter. Subd. per plenam identitatem C.; cum aliqua distinctione N.

Explicatio. Mensuratur scientia ab obiecto.

—proprie cum formaliter datur aequalitas intentionalis inter cognitionem et res cognitas ut accidit in cognitione creata;

—improprie cum datur repraesentatio rei secundum notas proprias, sed nullo modo formaliter datur aequalitas inter cognitionem et res cognitas. Hoc accidit in cognitione divina relate ad res creatas.

## ARTICULUS II

### De obiecto intellectus et scientiae Dei

**THESIS 32. Deus se ipsum comprehensive cognoscit ita ut pro divino intellectu obiectum quasi formale specificum sit divina essentia, materiale autem primarium Deus. Omnia alia a se distincta etiam comprehensive cognoscit, at solum ut obiectum materiale secundarium.**

724. **Bibliographia.**—S. Th., 1, q. 14, a. 2-6; 1 CG, c. 47.—Suárez, DM 30, 15, 19-27; *De Deo*, l. 3, c. 1-2; *Prolegom.* 2 *de Gratia*, c. 9.—Urraburu, *Theod.*, 2, p. 103-139; *Psychol.*, I, p. 204 ss.—Hontheim, *Instit. Theod.*, p. 588.—Loinaz, *Prael. e Theol. Nat.*, p. 220 ss.—Brosnan, *Theol. Nat.*, p. 205.—Donat, *Theod.*, n. 239 ss.—Hellín, *Theol. Nat.*, p. 603.—Gisquière, *Prael. Theol. Nat.*, 2, p. 23.

725. **Nexus.** Egimus in thesi praecedenti de exsistentia intellectus et scientiae Dei in genere et subiective consideratae. Nunc de eius obiecto agendum est.

### 726. NOTIONES.

*Deus* est ens a se et absolute necessarium.

*Cognitio* est quaedam assimilatio vitalis alicuius obiecti. Unde per cognitionem subiectum cognoscens aliquod obiectum intentionaliter in se suscipit.

Comprehensio est cognitio qua res cognoscitur tantum quantum cognoscibilis est; seu cognitio quae exhaurit aut adaequat totam rei cognoscibilitatem; seu cognitio qua res cognoscitur tota et totaliter (i. e. extensive et intensive).

727. **Obiectum** in genere alicuius facultatis est illud circa quod facultas versatur, quod a facultate attingitur.

*Obiectum adaequatum* intellectus est totum illud ad quod terminari potest intellectus per omnes suos actus sc. omne ens.

Obiectum adaequatum intellectus potest considerari seu esse materiale et formale. *Materiale* seu extensivum intellectus sunt omnia et singula entia quae ab illo attingi possunt. *Formale* seu sub ratione attingibilitatis pro intellectu est ratio illa sub qua vel ratione cuius obiectum materiale attingitur.

**728.** Obiectum formale seu sub ratione attingibilitatis potest esse formale genericum et formale specificum.

*Formale genericum* intellectus est ratio illa quae facit aptum obiectum materiale ut attingatur ab intellectu, quem certe specificat, eum separans ab aliis potentiis diversis seu non intellectivis.

Unde in omnibus et singulis obiectis materialibus intellectus includi debet ut singula a facultate attingi possint. Aeque extensum est ac obiectum adaequatum, adhuc dicitur unum quia v. c. ratio entis abstracta una est.

Ens verum seu ratio entis ut veri, ratio entis ut talis, est obiectum formale genericum pro omni intellectum. Hoc obiectum formale genericum specificat intellectum ut talem seu potentiam intellectivam eam separans a potentiis non intellectivis v. c. a voluntate, a sensu, sed non magis.

N. B. Sufficit ut ratio communis entis, ut veri sit ratio attingibilitatis, licet ipsa hic et nunc explicite non cognoscatur, sed res quae sub ente continentur.

*Formale specificum* seu stricte formale intellectus (vocatur etiam obiectum proprium et proportionatum) est illud quod primo et per se attingitur ab intellectu et ratione cuius illa facultas attingit quaecumque attingit. Hoc obiectum specificat intellectum eum separans a potentiis similibus intellectivis.

Explicatio. Dicitur *primo:* quia est quod primo attingitur non praecise tempore aut natura aut nobilitate, sed praesupositive, primaria exigentia. Unde obiectum cognoscitur prouti est in se et non per dependentiam aut connexionem cum alio prius cognito, aut per synthesim plurium conceptuum aliunde sumptorum aut per negationes aut connotationes ad alia.

N. B. Deus cognoscit omnes res creatas prouti sunt in se, sed non primo, sed propter connexionem aut perfectionem actus divini...

Dicitur *per se* quia ratione sui movet facultatem ut haec transeat de non actu ad actum et ad talem praecise actum quem specificat ei suam formam seu perfectionem obiectivam specificam tribuens.

Dicitur *ratione cuius...* facultas attingit quaecumque attingit, sed non suis quasi coloribus sed per synthesim, abstractionem, negationes, etc... aut si res cognoscitur prout est in se non primo et per se, sed per connexionem cum obiecto formali prius cognito.

Obiectum formale specificum: proportionatum: = pro intellectu divino est quidditas seu essentia divina (obiectum quasi formale). Pro intellectu humano: quidditas rei sensibilis seu experimentalis, i. e. quaecumque res experimentalis cognita in universali (nec adaequate cum obiecto materiali primario identificata). Pro intellectu angelico: formae separatae creatae.

**729.** *QUASI FORMALE* est illud quod est ratio cur exsistat actus et quidem talis perfectionis obiectivae. Pro intellectu divino est solum essentia divina (non est ratio efficiens aut finalis, sed mere formalis intrinseca), quae est formaliter implicite ipsa scientia divina.

**730.** Item obiectum materiale potest esse materiale primarium et secundarium. *Materiale primarium* est illud quod inter diversa obiecta materialia primo ratione obiecti formalis a facultate attingitur. Seu est illud in quo reperitur obiectum formale specificum (et a fortiori formale genericum).

Obiectum materiale primarium pro intellectu divino est Deus. Exactius dicitur Deus quam essentia licet utrumque contingat esse idem. Pro intellectu humano: sunt res sensibiles seu sin-

gularia experientiae nostrae externae et internae et omnia quae per abstractionem potest obtineri ab his singularibus, i. e. universalia immediate abstracta ab illis, quae quoad id quod non sunt realiter distincta ab universalibus et proinde non supponunt aliud obiectum materiale prius cognitum.

*Materiale secundarium* est illud quod inter diversa obiecta materialia quae attinguntur ratione obiecti formalis non primo sed secundario a facultate attingitur. Seu est illud in quo non invenitur obiectum formale specificum sed solum obiectum formale genericum.

Pro intellectu divino: obiectum materiale secundarium seu pure terminativum sunt entia distincta a Deo. Pro intellectus humano: sunt obiecta insensibilia.

**731.** *Obiectum determinativum* dicitur quatenus obiectum omnis potentiae ex se rationem termini habet, qui potentiae obiectivae praesens sistitur ut est.

*Obiectum motivum* dicitur quatenus in multis rebus obiectum simul habet rationem causae, quae una cum potentia cognitionem efficit.

Omne obiectum motivum, quatenus obiectum, est etiam terminativum, sed non contra.

## 732. STATUS QUAESTIONIS.

Thesis habet quattuor partes:

*In prima parte* quaeritur utrum Deus se ipsum cognoscat necne.

*In secunda parte* quaeritur quodnam sit obiectum quasi formale et materiale primarium pro cognitione divina. Et dicimus solam essentiam divinam esse obiectum quasi formale divinae intellectionis (eo quod cognitio divina dependentiam quoad exsistentiam et specificationem ab ullo alio extra Deum habere nequeat) et Deum esse obiectum materiale primarium non solum quia nobilitate est primum, sed etiam quia est primum quod cognoscitur sensu explicato ratione obiecti formalis.

*In tertia parte* quaeritur utrum Deus etiam alia a se distincta cognoscat necne: affirmative respondemus. Sed

*in quarta parte* asserimus ea omnia cognoscere solummodo ut obiectum secundarium.

## 733. SENTENTIAE.

*Prima sententia: pantheistae, pesimistae...* asserunt Deum inconscium sui esse tenetur quousque in hominem se evolverit.

*Secunda sententia.* GABRIEL et OCKAM affirmarunt primarium obiectum pro intellectu divino potius esse ens communissime sumptum quam solam divinam essentiam quae est aliquid particulare contentum sub ente universali.

*Tertia sententia.* Numerantur ab auctoribus inter adversarios tertiae partis

AUREOLUS et AVERROES. Iuxta AUREOLUM Deus non cognoscit alia a se distincta formaliter sed tantum denominative, i. e. quia videt essentiam in qua illa eminenter continentur. AVERROES autem affirmavit Deum cognoscere res in confuso in quantum sunt entia, non vero secundum propriam formam earum. GABRIEL et OCKAM docuerunt Deum cognoscere alia a se distincta in particulari, naturali rationis lumine probari evidenter non posse.

*Quarta sententia.* Est ea quae enuntiatur in carmine theseos et est comunis inter scholasticos.

**CENSURA.** Certa.

**734. PROBATUR.**

**1.ª Pars.** I. Ut intellectus divinus infinite cognoscitivus actu Deum cognoscat requiritur et sufficit ut Deus sit intelligibilis actu et sit praesens intellectui in ratione obiecti proportionati. Atqui Deus est summe intelligibilis et summe unitus intellectui in ratione obiecti proportionati. Ergo intellectus divinus actu Deum cognoscit.

*Maior.* Patet.

*Minor.* Nam Deus est summe intelligibilis, quia est summe immaterialis utpote actus purissimus. Et insuper est summe unitus intellectui in ratione obiecti proportionati, quia Deus intelligibilis actu est unum idemque ac intellectus divinus intelligens actu pro quo unica veluti species est essentia divina.

**735.** II. Cognitio comprehensiva est illa quae exhaurit totam rei cognoscibilitatem. Atqui Deus habet hanc cognitionem sui ipsius. Ergo Deus se ipsum comprehensive cognoscit et inde perfectissime.

*Maior* est definitio comprehensionis.

*Minor.* Cognitio divina est infinite perfecta tam in ratione entitatis quam in ratione scientiae ut alibi demostratum est. Ergo cognoscit Deum quantum cognoscibilis est seu totum et totaliter seu comprehensive.

**736. 2.ª Pars.** I. Obiectum quasi formale est illud quod est ratio exsistentiae et specificationis actus. Atqui illud quod est ratio exsistentiae et specificationis pro cognitione divina solummodo potest esse essentia divina. Ergo obiectum quasi formale cognitionis divinae est sola divina essentia.

*Maior.* Est definitio obiecti quasi formalis.

*Minor.* Nam omnis cognitio etiam divina debet habere rationem sufficientem suae exsistentiae et specificationis obiectivae in obiccto, siquidem cognitio tota quanta est, refertur ut obiecto coaptetur et commensuretur in suo esse repraesentativo aut notificativo.

Atqui nullum obiectum extra essentiam divinam potest esse rationem sufficientem exsistentiae et specificationis, quia dependeret a rebus creatis, quod repugnat. Ergo sola essentia divina est ratio exsistentiac et specificationis actus cognitivi Dei.

**737.** II. *Deus est obiectum materiale primarium.*

Obiectum materiale primarium est illud, quod inter diversa obiecta materialia primo a facultate attingitur, seu est illud in quo invenitur obiectum formale specificum et inde cognoscitur per propriam speciem, quae adaequate illud repraesentet. Atqui quod primo ab intellectu divino attingitur et in quo invenitur obiectum formale specificum est solus Deus. Ergo obiectum materiale primarium divinae intellectionis est solus Deus.

*Maior.* Est definitio obiecti materialis primaıii.

*Minor.* Illud primo ab omni intellectu cognoscitur cuius specie intelligit. Atqui unica quasi species pro Deo est essentia divina (quia species intelligibilis est principium formale intellectualis operationis; operatio autem intellectualis in Deo est eius essentia. Ergo si Deus intelligeret alia specie intelligibili, quam sua essentia, haec haberet principium et causam, quod repugnat).

Ergo Deus primo intelligit se ipsum per essentiam suam instar speciei intelligibilis. Item obiectum quasi formale specificum est sola essentia divina, ergo ibi, in Deo, invenitur obiectum materiale primaıium.

**738. 3.ª Pars.** I. Deus est infinite intelligens. Atqui ens infinite intelligens debet cognoscere perfectissime omnia quae sunt cognoscibilia. Ergo Deus omnia alia a se distincta perfectissime et distinctissime cognoscit.

**739.** II. Comprehensio est cognitio perfectissima et tam penetrativa rerum ut attingat non solum ea quae sunt formaliter in obiecto, sed etiam omnia quae continentur in potentia activa et pasiva singulorum et quidem in particulari, non confuse et in universali. Atqui Deus habet illam cognitionem perfectissimam et penetrativam. Ergo Deus alia a se distincta comprehensive cognoscit.

*Maior.* Est definitio cognitionis comprehensivae.

*Minor.* Siquidem est infinita in ratione scientiae ut demostratum est antea. Ergo Deus cognoscit alia a se distincta comprehensive et inde perfectissime.

**740. 4.ª Pars.** Obiectum materiale secundarium est illud in quo solum invenitur obiectum formale genericum, non vero formale specificum. Atqui in omnibus rebus distinctis a Deo invenitur solummodo obiectum formale genericum, non vero formale specificum. Ergo omnia alia a se distincta Deus cognoscit solum ut obiectum materiale secundarium.

*Maior.* Est definitio obiecti materialis secundarii.

*Minor.* Nam obiecta distincta a Deo non possunt esse ratio exsistentiae et specificationis actus cognitivi Dei; sed cognoscuntur a Deo solummodo vel propter connexionem cum prius cognitis (sic possibilia omnia) vel propter perfectionem actus divini, qui specificatus ab essentia divina ut per obiectum quasi formale, iam est determinatus ad cognoscendum quidquid cognoscibile est.

**741. SCHOLIUM. De mediis cognoscendi in Deo.**

**Bibliographia.**—S. TH., 1, q. 14, aa. 2, 5, 6; 1 CG, c. 45-46; *De Verit.*, q. 2, a. 3 ad 6; a. 4 ad 7.—SUÁREZ, DM 30, 15, 11; *De Deo*, l. 3, c. 2, n. 11 ss.—URRABURU, *Theod.*, 2, p. 91-103.—HONTHEIM, *Inst. Theod.*, p. 583; 611.—BOEDDER, *Theol.*

*Nat.*, p. 191.—DONAT. *Theod.*, n. 256.—BROSNAN. *Theol. Nat.*, p. 202; 270.—LOINAZ. *Prael. e Theol. Nat.*, p. 228.—HELLÍN, *Theol. Nat.*, p. 599.

**742.** MEDIUM: —*vi vocis* est quidquid inter duo extrema est. *Realiter et lato sensu* est quod est inter duo extrema ita ut haec aliquo modo coniungat. STRICTIORI SENSU est illud quod unum suo influxu ad alterum efficiendum aut consequendum iuvat. Unde medium cognitionis intellectivae est aliquid intellectui supperadditum, quod illum ad cognitionem alterius iuvat. Dividitur in obiectivum et subiectivum.

**743.** *Medium obiectivum* est illud quod in se cognitum est ratio cur intellectus intelligat aliud cum ipso connexum. Hoc potest esse medium ex quo et in quo. *M. o. ex quo, per quod, quod:* est illud quod prius cognitum uno actu ducit ope discursus in cognitionem alterius, sed novo actu v. c. ex antecedente cognito ad consequens. Obiectum sic cognitum mediate cognoscitur. *M. o. in quo proprie dictum* est illud obiectum cuius cognitio est ratio cur sine discursu et eodem actu aliud obiectum necessario cognoscitur eo quod inter utrumque datur nexus necessarius causalitatis aut repraesentationis. Sic essentia divina est proprie dictum medium in quo intellectus divinus necessario cognoscit omnia possibilia eo quod inter essentiam divinam et possibilia detur nexus necessarius; non praecise ex eo quod essentia divina semper sit unicum obiectum quasi formale specificum pro intellectu divino.

Nam essentia divina est etiam obiectum formale specificum pro omni cognitione: est enim illud quod primo et per se cognoscitur et ratione cuius cetera attinguntur; et sic revera omnia obiecta creata attinguntur ab intellectu divino ratione obiecti formalis seu ratione essentiae uno eodemque actu. Et tamen relate ad cognitionem futurorum liberorum et futuribilium essentia divina non est medium in quo proprie dictum, siquidem non datur illa connexio necessaria nec necessaria cognitio eorum in essentia: posita enim essentia illa obiecta possunt esse et non esse. Unde ex eo quod essentia divina sit semper obicctum quasi formale specificum (hoc sensu medium capacitans) non sequitur semper esse etiam medium in quo proprie dictum relate ad cognitionem obiectorum a Deo distinctorum.

**744.** *Medium subiectivum* (ex parte subiecti) seu formale est aliquid supperadditum potentiae per modum formae, quae, quin cognoscatur, ducit intellectum ad directam cognitionem obiecti. Hoc medium potest esse triplex: sub quo, quo formaliter, quo efficienter.

*Medium sub quo* est illud supperadditum potentiae, quod res idoneas reddit ut a facultate attingi possint et proinde eam iuvat ad cognoscenda omnia generatim, non hoc aut illud determinatum v. c. intellectus agens, lux pro oculo corporeo. *Medium quo formaliter* seu ut formalis cognitio est aliquid additum facultati constituens eam actu cognoscentem hoc aut illud determinate: est actus ipse cognoscendi seu species expressa. *Medium quo efficienter* seu ut determinativum cognitionis est aliquid additum potentiae per modum formae determinans eam ad cognoscendum hoc aut illud determinate mere ut concausa efficiens cognitionis: talis est species impressa facultatem informans et concurrens ad cognitionem formalem. Obiectum sic cognitum immediate cognoscitur.

**745.** Expositis his notionibus, quid in cognitione divina correspondet?

a) *Quoad media obiectiva* evidens est Deum non posse habere medium ex quo cognoscendi, quia inferret pluralitatem actuum et unum causari ab alio. Medium vero in quo dari potes relate ad aliqua obiecta, non vero relate ad omnia.

**746.** b) *Quoad media subiectiva:* —si *stricto sensu* sumantur in Deo dari non possunt, nam medium subiectivum est aliquid additum potentiae, unde daretur in Deo potentialitas, compositio, multiplex imperfectio. Si vero *lato sensu* accipiantur pro ratione sufficienti formali per quam sua essentia sufficiens est ad cognoscenda quaelibet, tunc:

—*medium sub quo* est lumen divinum intellectuale seu eminentia divinae essentiae capacitantis intellectum ad omnia generatim intelligenda:

—*medium quo ut formalis cognitio* est essentia divina, quae identificatur cum scientia seu cum cognitione actuali. Essentia enim divina est cognitio actualis infinite perfecta, plene ex se determinata ab intrinseco ad cognoscendum quidquid cognoscibile est. Obiecta vero a Deo dis-

tincta requiruntur per modum conditionis sine qua non (quacvis cognitio obiecta sua praesupponit) inde terminant cognitionem divinam, sed illam non determinant.

—*medium quo determinativum* cognitionis est ipsa essentia divina quae ad instar speciei intelligibilis Deus subiective determinatur ad cognoscendum quidquid cognoscibile est. Haec oportet aliquantulum amplius explicare.

**747.** *Species impressa stricte dicta* est forma supperaddita intellectui eum determinans ad cognoscendum aliquod obiectum determinatum ut principium seu causa cognitionis (speciei expressae) simul cum intellectu.

Haec species impressa, quae est virtualis obiecti raepraesentatio intentionalis, ab intellectu agente ut a causa principali et ab obiecto mediante phantasmate ut a causa subordinata in intellectu possibili producitur; et eo ipso intellectus possibilis capax redditur producendi et producit speciem expressam; unde intellectus humanus tum ad actum primum tum ad actum secundum praedictis speciebus vere determinatur.

Tamen non est de conceptu speciei impressae seu intelligibilis ut sit accidens a facultate distinctum, aut efficienter intellectionem producat, sufficit ut per illam intellectus ideoneum principium intellectionis evadat. Inde potest admitti in Deo.

**748.** Species impressa formaliter *lato sensu* est plena sufficientia et determinatio intellectus divini ad cognoscendam omnem veritatem determinatam absque dependentia ab obiecto extrinseco. Et vere:

*a)* Cognitionem enim divinam per comparationem cum nostra cognitione intellectiva explicamus et illam praedictam plenam sufficientiam in Deo ad modum speciei intelligibilis iure concipimus. Tamen

**749.** *b)* iuxta Suárez, Hellín et alios essentia divina est quasi species impressa solummodo ut Deus se ipsum, non vero ut alias res extra ipsum cognoscat, quia in hoc casu aeque immediate et directe cognosceret Deum et alias res, vel cognosceret res non praesupposita cognitione essentiae divinae et actus divinus specificaretur ab obiectis.

**750.** *c)* Iuxta S. Thomam, Urraburu, Hontheim, Donat, Brosnan, Loinaz, Pesch *et alios* essentia divina est quasi species impressa pro omni cognitione divina. Haec quidem species divina unica est species propria relate ad cognitionem sui ipsius; quoad cognitionem obiectorum a Deo distinctorum non est species propria neque his formaliter assimilatur; tamen propter suam infinitatem eminenter habet vim repraesentandi omnes res finitas cognitione propria, secundum propriam formam uniuscuiusque, nullo modo per species desumptas ex ipsis rebus.

Unde cognitio divina rerum finitarum nullatenus potest esse formalis adaequatio intentionalis divini intellectus cum rebus istis sed est assimilatio quaedam eminentialis, quatenus species infinita virtute eminenti praedicta res omnes a Deo distinctas prouti sunt in se repraesentare potest. Cognitio vero quem Deus habet de se ipso est formalis adaequatio intellectus divini cum ipso Deo; inter speciem intelligibilem et obiectum primarium, quod est Deus, datur identitas seu perfecta adaequatio.

## 751. OBIECTIONES.

1. Deus solum optimum cognoscere potest. Atqui optimum est solus Deus. Ergo Deus alia a se distincta non cognoscit.

   Resp. Disting. mai. ut obiectum quasi formale et primarium C.; ut obiectum unicum N. Conc. min. et disting. pariter cons.

2. Deus non potest cognoscere quod opponitur simplicitati divinae. Atqui cognitio aliarum rerum obstat simplicitati divinae. Ergo Deus non potest cognoscere alia distincta a Deo.

   Respond. Conc. mai.

   Disting. min. Si cognosceret novo actu aut specie accepta ab illis C.; secus N.

3. Propria cognitio adest si res per propriam speciem cognoscitur. Atqui iuxta te nequit esse cognitio creaturarum per speciem propriam. Ergo neque propria cognitio daretur in Deo.

Resp. Disting. mai. Per propriam speciem, i. e. per speciem repraesentantem res secundum proprium eius esse C.; per speciem desumptam ex illa re et repraesentantem unice illam rem Subd. in creatis C.; in Deo N.

Explicatio. Tum solum non habetur cognitio propria ex propriis, sed analoga, cum species ad cognitionem inserviens apta non est ad repraesentandam rem prouti est in se, sed tantum per comparationem ad illud unde sumitur analogia. Sed species divina capax est praebendi similitudinem obiecti prouti est in se.

4. Idem nequit repraesentare plura. Atqui essentia divina est unica quasi species pro cognitione divina. Ergo nequit repraesentare plura.

Resp. Disting. mai. Si est species stricto sensu C.; si est species impressa lato sensu, ut explicatum est, N.

Contrad. min.

5. Si essentia divina est species impressa omnium rerum, tum directe et immediate ad omnes res determinabitur. Atqui hoc repugnat, ut saepe diximus. Ergo essentia divina non est species impressa.

Resp. Disting. mai. Si esset species impressa stricto sensu C.; si est species impressa tantum lato sensu N.

Conc. min. disting. pariter cons.

## ARTICULUS III

### DE COGNITIONE POSSIBILIUM SEU DE SCIENTIA SIMPLICIS INTELLIGENTIAE

**THESIS 33. Deus omnia possibilia cognoscit in se ipso et in se ipsis.**

752. **Bibliographia.**—S. TH., 1. q. 14. a. 5; 1 CG. c. 48 ss.—SUÁREZ, DM 30, 15, 22-27; *De Deo uno*, l. 3, c. 2.—URRABURU, *Theod.*, 2, p. 140 ss.—BROSNAN, *Theol. Nat.*, p. 205 - 239.—VÁZQUEZ, in I. S. Th., disp. 60, c. 3, n. 10.—LOINAZ, *Prael. e Theol. Nat.*, p. 246.—MARTÍNEZ DEL CAMPO, *Theol. Nat.*, p. 301.—HELLÍN, *Theol. Nat.* p. 612.

753. Nexus. Egimus in thesi praecedenti de cognitionis divinae obiecto tum quasi formali et specifico in concreto tum etiam de obiecto materiali et secundario in genere. In hac thesi de cognitione divina alicuius speciei obiecti secundarii, nempe de cognitione possibilium seu de scientia simplicis intelligentiae agendum est.

754. NOTIONES.

**POSSIBILE:** *In genere* est illud quod est aptum esse seu quod potest exsistere. *Pure seu mere* possibile est illud quod potest exsistere, sed actu non exsistit. Ex his possibilibus alia exsistent aliquando alia numquam exsistent. *Praecisive* possibile est illud quod potest exsistere sive de facto exsistat sive non.

*Intrinsece* possibile est illud quod non implicat contradictionem in suis notis constitutivis. Unde proxime constituitur per non contradictionem notarum inter quas una est exsistentia realis et physica; cum ea igitur non debet dicere contradictionem si poneretur extra nihilum. Remote autem fundatur in essentia divina et constituitur per imitationem essentiae divinae.

*Extrinsece* possibile: si ad productionem eius adest virtus sufficiens.

755. *Certo et distincte* cognoscit i. e. non tantum secundum rationem communem entis, sed secundum omnes rationes individuantes seu secundum formam, quam haberet si crearentur.

756. *Comprehensio* est cognitio quae exhaurit seu adaequat totam rei cognoscibilitatem.

757. MEDIUM IN QUO est illud obiectum, quod, ut cognitum, ducit in cognitionem alius eodem actu propter connexionem necessariam repraesentationis aut causalitatis, quae inter utrumque adest.

Unde medium in quo stricto sensu: debet cognosci; eius cognitio sit ratio cognoscendi aliud et quidem non quomodolibet, sed propter necessariam connexionem medii cum re cognita; cognitio medii debet praecedere cognitioni rei causa illius cognitae; non praecise prioritate temporis quia simul datur utraque cognitio; nec prioritate naturae siquidem actus est unicus et sic non datur unus causans (actus quo cognosco medium) et alius causatus (actus quo cognosco obiectum connexum cum medio); sed certe debet dari prioritas rationis, quasi obiective seu in subsistendi consequentia ita ut valeat illatio: cognovi rem quia cognovi medium et non vicissim.

**758.** Medium in quo duplex distingui potest in hac materia.

*Medium in quo determinans* necessitate antecedente veritatem ontologicam rerum quae in illo necessario cognoscuntur. Talia sunt essentia quoad possibilia, decretum bannezianum quoad futura et futuribilia.

*Medium in quo non determinans* necessitate antecedente veritatem ontologicam rerum, quae in illo cognoscuntur, sed praesupposita determinata veritate ontologica eorum, iam medium cum illis necessario connectitur. De huiusmodi medio loquuntur illi auctores qui asserunt Deum cognoscere futura libera et futuribilia in essentia sua praesupposita veritate illorum et inde propter nexum consequentem.

**759.** *Cognitio mediata* est illa, quae habetur de aliqua re mediante aliquo medio obiectivo prius cognito. *Cognitio immediata* est illa quae habetur de aliqua re sine ullo medio obiectivo prius cognito. Haec potest esse.

*Immediata causaliter*, determinative si obiectum habet munus causae relate ad cognitionem. *Immediata pure terminative* habetur cum obiectum solummodo munus termini relate ad cognitionem habet.

**760.** In se ipsis quadrupliciter sumi potest.

1. Prouti sunt in se ipsis seu *secundum esse formale* et proprium, quod habent in se et quo distinguuntur ab omni alio; non solum secundum esse eminentiale et virtuale. Hoc omnes de Deo admittunt. Hic sensus praescindit a medio.

2. Prouti sunt in se ipsis, sed *causaliter* seu per speciem impressam ipsorum possibilium ita ut ipsa species determinet seu causet cognitionem per influxum efficientem in facultatem. Hoc omnes de Deo negant. Hic praescinditur a medio.

3. Prouti sunt in se ipsis sed *transeundo per essentiam divinam* tamquam medium in quo stricto sensu. Hic assignatur medium obiectivum in quo stricto sensu.

4. Prouti sunt in se ipsis *directe et immediate* sine ullo medio obiectivo et quidem pure terminative. Hic excluditur omne medium obiectivum.

**761.** Scientia simplicis intelligentiae est illa, quae versatur circa pure possibilia.

## 762. STATUS QUAESTIONIS.

Thesis habet tres partes.

*In prima parte* agitur de facto cognitionis pure possibilium a Deo. Et affirmamus Deum illa omnia cognoscere certo et distincte.

**763.** *In secunda parte* quaeritur utrum Deus cognoscat possibilia in sua essentia ut in medio in quo. Supponimus Deum intrinsece connecti cum possibilibus.

*a)* Deum in se ipso seu in sua essentia et omnipotentia tamquam in medio in quo cognoscere omnia possibilia non significat possibilia formaliter esse in Deo, sed esse in essentia eminenter et in omnipotentia virtualiter et comprehendendo suam essentiam et suam omnipotentiam comprehendit quoque imitationes vel effectus possibiles et quidem secundum esse formale, quod in se ipsis habent tales imitationes vel efectus. Unde ratione connexionis necessariae Dei cum possibilibus et possibilium cum Deo, ea omnia cognoscit formaliter; visio enim in medio non vetat quominus ea secundum propriam naturam et lineamenta distincte perspiciatur, sed tantum exigit ut fiat per medium.

**764.** *b)* Unde in hac cognitione:

*a)* Essentia divina est medium quo: est enim quasi species impressa pro cognitione divina de quacumque re.

*b)* Essentia divina est etiam medium in quo stricto sensu: est enim medium obiectivum quod cognitum ducit in cognitionem possibilium et quidem unico actu propter connexionem necessariam medii cum re cognita. Unde haec cognitio est aliquo modo, i. e. obiective mediata siquidem fit per medium.

*c)* Actus cognoscitivus Dei exsistit et est specificatus a cognitione immediata essentiae divinae, quae sola est quasi obiectum formale.

*d)* Unde possibilia cognoscuntur obiective mediate, pure terminative, i. e. terminant cognitionem divinam, sed non determinant illam causaliter ullo modo.

**765.** *In tertia parte* quaeritur utrum Deus cognoscat omnia possibilia directe et immediate in se ipsis. Unde *in se ipsis* sumitur in 4.º sensu.

*Explicite affirmamus* (ut diximus de obiecto cognitionis in genere) immediate primo et per se Deum cognoscere solummodo suam essentiam. Sed trans essentiam unico et eodem actu quo cognoscit essentiam divinam etiam cognoscit possibilia directe et immediate, sed non primo et per se, sed secundario et semper ratione essentiae divinae.

**766.** Iam vero in hac cognitione directa et immediata:

*a)* Essentia divina est medium quo: est quasi species impressa pro omni cognitione.

*b)* Essentia divina non est medium in quo stricto sensu. Possibilia enim cognoscuntur in hoc quarto sensu, non propter connexionem necessariam cum essentia divina ut medio in quo, sed propter efficaciam speciei impressae et propter perfectionem infinitam actus, qui terminatur immediate ad possibilia. Unde quamvis possibilia per impossibile non connecterentur necessario cum divina essentia ut in ea tamquam in medio in quo viderentur, adhuc immediate in se ipsis a Deo cognoscerentur.

*c)* Actus cognitivus Dei specificatur a cognitione immediata essentiae divinae, quae sola est quasi obiectum formale specificum; sed no eo ipso est medium in quo stricto sensu. Certe, in subsistendi consequentia prius essentia divina cognosci debet et quidem directe immediate,

primo et per se; item divina essentia est ratio cognoscendi possibilia, sed in casu (iterum animadverto) possibilia non cognoscuntur propter necessariam connexionem inter medium et rem cognitam, quod ad medium in quo stricto sensu requirimus.

*d)* Possibilia enim cognoscuntur directe et immediate, sed secundario et ratione essentiae divinae et quidem pure terminative i. e. terminant cognitionem divinam, sed non determinant illam causaliter ullo modo: sunt enim obiecta materialia secundaria.

## 767. SENTENTIAE.

*1.ª sententia.*—Averroes et *alii arabes* affirmant Deum cognoscere res in confuso; in quantum sunt entia, non vero secundum proprias formas earum.

Aureolus, O. F. M., ait Deum non cognoscere res formaliter, sed tantum denominative, i. e. prout sunt eminenter in essentia divina. Unde scientia divina non terminatur ad creaturas ipsas formaliter, sed solum ad esse virtuale et eminentiale ipsarum. Unde Aureolus potius negat factum cognitionis possibilium. Forsam quoad factum cognitionis possibilium non dentur adversarii.

*2.ª sententia.—Nominales:* ut Gabriel Biel (1425-1495), Guillielmus Ockam, *O. F. M.* (1280-1347) aliique tenent Deum cognoscere certo omnia possibilia sed solummodo in se ipsis; non in se Ipso vel in essentia tamquam in medio in quo prius cognito. Et ratio est quia sic cognosceret ea imperfecte et quasi alienis coloribus. Sed nota bene iuxta nominales Deus videt se ipsum et alias res aeque immediate per unum eumdemque actum.

*3.ª sententia.*—P. Vázquez, S. J., docet Deum cognoscere possibilia in se Ipso seu in sua essentia non quatenus est fundamentum et causa possibilium, quia Deus est ens absolutum nullam dicens relationem nec connexionem cum possibilibus, unde cognitio essentiae divinae non perducit ad ea cognoscenda. Cognoscit possibilia in sua essentia quatenus est species expressa et idea possibilium.

**768.** *4.ª sententia* est S. Thomae, *thomistarum*, Suárez, Molina, Valentia, Lessio, Franzelin, Kleutgen, De San, Loinaz, Schaaf, Billot, Donat, Hontheim..., qui docent Deum cognoscere omnia posibilia certo et distincte, sed non posse cognoscere illa directe et immediate in se ipsis, sed omnia cognoscere in se Ipso tamquam in causa aut tamquam in fundamento possibilium. Unde essentia divina habet rationem medii cogniti in quo reliqua cognoscantur.

**769.** *5.ª sententia.* Toletus, Lugo, Arriaga, Wirceburgenses, Viva, Van der Aa, Mendive, Urraburu, Brosnan, Mz. del Campo, Hellín et *multi alii* e Societate Iesu tenent:

Deum cognoscere certo et distincte omnia possibilia tum in se Ipso tum in se ipsis directe et immediate. Unde eodem actu duplici modo cognoscit Deus possibilia.

*1. modus:* actus intellectivus Dei cognoscit essentiam divinam et comprehendit et in ea tamquam in medio in quo stricte dicto propter connexionem necessariam inter medium et possibilia, haec obiective mediate cognoscit.

*2. modus:* actus intellectivus (idem actus omnino ac antea) cognoscit essentiam divinam et propter perfectionem actus et efficaciam speciei impressae et propter cognoscibilitatem ipsorum possibilium (non propter connexionem necessariam inter essentiam ut medium in quo et possibilia) cognoscit cuncta possibilia directe et immediate, sed secundario. Illius cognitionis impossibilitas ostendi non potest, immo necessaria nobis videtur ad explicandam scientiam Dei.

**CENSURA.**

Certa quoad primam et secundam partem; quoad tertiam partem sententia 5.ª est probabilior.

**PROBATUR.**

**780. 1.ª Pars.** Deus est infinite cognoscitivus. Ergo potest et debet cognoscere certo et distincte quidquid aliquo modo cognoscibile est. Atqui pure seu mere possibilia sunt aliquo modo cognoscibilia. Ergo Deus omnia possibilia certo et distincte cognoscit.

*Antecedens* iam probatum est.

*Consequens* secus non esset infinite cognoscitivus.

*Minor.* Possibilia non habet ullum esse actuale physicum, sed habent esse metaphysicum, constant determinatis notis non contradictoriis. Ergo sunt positive intelligibilis et habent veritatem determinatam, veritatem absolute necessariam, quia metaphysice repugnat ea esse impossibilia.

**781. 2.ª Pars.** Deus: 1) Comprehendit suam essentiam et suam omnipotentiam. 2) Inde debet cognoscere certo et distincte omnia, quae eminenter et virtualiter continentur in illis attributis et quidem propter connexionem necessariam inter illa attributa ut medium in quo et terminos extrinsecos cognoscendos. Atqui possibilia formaliter sumpta continentur virtualiter in Omnipotentia divina et eminenter in essentia divina. Ergo Deus omnia possibilia secundum suum esse formale cognoscit in se ipso tamquam in medio in quo.

*Maior.* 1) Iam probatum est Deum comprehendere se ipsum, utpote infinite cognoscitivus. 2) Patet ex iis, quae requiruntur et sufficiunt ad comprehensionem. a) *Si comprehendit suam omnipotentiam* cognoscit illam quantum cognoscibilis est, inde prout potentem facere omnia, quae virtualiter continentur in illa. *Si comprehendit suam essentiam* cognoscit illa quantum cognoscibilis est, inde prout fundantem omnia, quae eminenter in illa continentur.

b) *Tamquam in medio in quo.* Siquidem uno eodemque actu cognoscit essentiam et omnipotentiam prouti sunt, inde prout fundantem possibilia et potentem ea creare secundum suum esse formale. Unde cognitio essentiae divinae est ratio cur Deus cognoscat eodem actu omnia possibilia propter necessariam connexionem, quam haec habent cum illa.

*Minor.* Probata manet in Ontologia: possibilia enim sunt factibilitates Omnipotentiae divinae et imitabilitates essentiae divinae.

**782. 3.ª Pars.** Intellectus infinite cognoscitivus debet cognoscere quidquid cognoscibile est et omni modo quo cognoscibile est, nisi hoc secum impossibilitatem afferat aut inseparabilem imperfectionem. Atqui divinus intellectus: *a)* est infinite cognoscitivus; *b)* possibilia sunt in se ipsis cognoscibilia; *c)* et immediata eorum cognitio nullam affert impossibilitatem aut necessariam et inseparabilem imperfectionem. Ergo Deus cognoscit omnia possibilia immediate et directe in se ipsis.

*Maior.* Quia secus non esset infinite cognoscitivus, infinite perfectus.

*Minor: a)* Probata manet in praecedentibus.

*b)* Quia in se ipsis prout a Deo distincta, entitatem aliquam habent ac veritatem determinatam; non habent esse actuale, habent tamen esse potentiale, esse metaphysicum.

**783.** *c) Immediata et directa eorum cognitio non est impossibilis.* 1) *Pro nobis* talis cognitio est possibilis: sic nos possibilia cognoscimus contemplando sociabilitatem notarum. 2) *Pro Deo.* Certe adest difficultas, nam ex una parte essentia est species impressa, quasi vicaria obiecti. (Nullo modo potest appellari vicaria obiecti stricto sensu quatenus ab ipso similitudinem accipiat intellectui transmittendam; tamen est capax ipsa sola praebendi similitudinem obiecti prouti est in se) et ex alia parte essentia non accipit ab obiecto similitudinem quam transmittat intellectui. Sed neque probatur positive impossibilis: potest enim concipi intellectus ope essentiae determinatus ad cognoscendum in concreto quidquid cognoscibile est, et obiectum se habere ad modum conditionis extrinsecae et termini.

Immo Deus cognoscit futura absoluta etiam immediate et directe in se ipsis; et futuribilia cognoscit Deus solummodo directe et immediate in se ipsis (haec admittuntur a multis ex illis qui negant quoad possibilia) propter perfectionem actus divini et efficaciam speciei impressae quin ulla impossibilitas aut inseparabilis imperfectio proveniat Deo. Ergo a pari loquendo de possibilibus.

**784.** *Directa et immediata eorum cognitio non importat imperfectionem.* Quia imperfectio proveniret:

1. Vel ex eo quod Deus cognosceret possibilia prouti sunt in se ipsis et in hoc nulla datur imperfectio, quia licet sint limitata suam limitationem in Deum non refundunt. 2. Vel ex eo quod deberet cognoscere illa per species proprias ipsorum possibilium; et iam ostendimus Deum nihil distinctum ab Ipso cognoscere hoc modo. 3. Vel ex eo quod cognitio possibilium directa et immediata importaret actum distinctum in Deo, quod non accidit: unus enim tantum datur in Deo actus infinitae virtutis capax repraesentandi omnia secundum omnes possibiles modos. 4. Vel ex eo quod daretur cognitio divina de aliquo obiecto non per ultimas causas. Haec autem imperfectio non datur, quia cognitio divina exhibet res secundum totalem earum cognoscibilitatem et hinc etiam secundum totalem earum dependentiam a Deo. Unde in primo modo cognoscendi

possibilia Deus videt se tamquam fundantem possibilia; in secundo casu Deus videt possibilia tamquam fundata in se Ipso.

**785. SCHOLIUM. De numero possibilium a Deo cognitorum.**

*Multitudo* est collectio unitatum. Unde multitudo constituitur ex unitatibus divisis cum aliqua reductione ad unum ope collectionis saltem mentalis.

*Numerus* est multitudo mensurata per unum; inde clausa primo et ultimo et exhauribilis unitate successive repetita.

*Multitudo actu finita*, nempe exhauribilis per unitatem successive repetitam. *Multitudo infinita* (syncategorematice infinita) est illa quae actu finita est, sed sine fine augeri potest.

*Multitudo indeterminata* sc. confuse apprehensa, maior quovis numero...

*Multitudo actu infinita* (categorematice, extensive) hic intelligitur collectio unitatum per unitatem successive repetitam numquam exhaurienda.

**786.** Age vero essentia divina est infinite imitabilis ad extra, inde eius imitabilitates seu possibilia erunt infinita. Categorematice an syncategorematice?

Item Deus omnia possibilia actu et distincte cognoscere debet, unde possibilia a Deo cognita infinita dicenda sunt. Syncategorematice an categorematice infinita?

**787.** *Alii* respondent Deum cognoscere infinita syncategorematice.

*Alii* affirmant Deum cognoscere infinita categorematice simul et actu. Haec est sententia communis et vera. Nam multitudo possibilium a Deo cognitorum:

*a)* non potest esse finita, quia possibilia uno vel alio modo sunt infinita;

*b)* nec potest esse syncategorematice infinita, quia Deus cognosceret actu finita et ignoraret actu plura, quae postea sciet;

*c)* nec potest esse multitudo indeterminata, confuse apprehensa maior quovis numero, quia Deus clare multa, plura vero confuse solum videret.

*d)* Ergo talis multitudo est categorematice infinita sensu explicato. Unde Deus certo actu cognoscit infinita possibilia et videt singula possibilia *singillatim* sumpta possibilia esse. Inde autem non sequitur Deum iudicare *collectionem* omnium possibilium totam posse produci sive simul sive successive. Hoc postremum pendet a possibilitate vel impossibilitate talis productionis de quo disputari potest.

## 788. OBIECTIONES. *a)* Contra secundam partem theseos.

1. Ut stet secunda pars theseos, essentia divina necessario cum possibilibus connecti debet. Atqui hoc est impossibile. Ergo secunda pars theseos non est vera.

Resp. Conc. mai.

Nego minorem.

Explicatio. Cum de cognitione Dei agimus, quae metaphysice certa sit oportet et aliunde certitudo cognitionis, qua aliquid cognoscitur in medio in quo, pendeat a connexione obiectiva medii cum obiecto adeo ut si haec sit metaphysica et illa metaphysica erit, si physica, physica certitudo, dicimus: necesse est ut medium in quo possibilia Deus cognoscit, metaphysice connectatur cum possibilibus.

Fundari in aliquo includit connexionem et dependentiam ab illo.

Connecti cum alio non semper includit fundari in alio. Possibilia fundantur in Deo; Deus connectitur (non fundatur) cum possibilibus. Iam vero. *a)* Certum est apud omnes Deum non connecti necessario cum creaturis exsistentibus. *b)* Certum est apud omnes Deum connecti necessario cum possibilitate extrinseca, quae ab ipso determinationem accipit.

*c)* Quaestio est de possibilitate intrinseca. Iam vero si consequentes esse volumus cum his quae in Ontologia affirmabamus, nempe possibilia fundari in essentia divina, debemus nunc

admittere intrinsecam atque metaphysicam connexionem Dei cum possibilibus et possibilium *a)* cum essentia divina et *b)* cum omnipotentia divina. Unde Deus in sua essentia est ratio, quae determinet fixe possibilitatem horum, impossibilitatem aliorum ita ut eodem semper modo connexus permansurus sit sine ullo possibili eventu vel minimae variationis.

2. Magis necessarium non potest connecti cum minus necessario. Atqui essentia divina est summe necessaria, minus vero possibilia. Ergo essentia divina non potest connecti cum possibilibus.

Resp. Trans. mai.

Disting. min. In facto necessitatis N.; in modo (Deus a se et actualiter, possibilia ab alio et in potentia) C.

Disting. pariter cons.

3. Ens absolutum non potest dependere ab alio. Atqui dependeret ab alio si connecteretur cum illo. Ergo ens absolutum, Deus, non potest connecti cum alio.

Resp. Conc. mai. et nego min.—Omne quod est dependens ab alio connectitur cum illo; sed omne quod connectitur cum alio non semper dependet ab illo.

4. Deus non scit omnia quia est omnipotens, sed e contra est omnipotens, quia omnia scit. Ergo scientia praecedit omnipotentiae et haec non potest esse medium in quo Deus cognoscat possibilia.

Resp. Nego antecedens.—Scientia non praecedit omnipotentiae relate ad possibilia, sed relate ad operationem.

5. Deus cognosceret omnia possibilia etiamsi per impossibile non esset omnipotens. Ergo omnipotentia non est medium in quo pro cognitione possibilium.

Resp. *a)* Quia dantur alia media cognoscendi possibilia.

*b)* Nego, quia essentia divina in illo casu non fundaret omnia possibilia.

6. Deus cognoscit possibilia prouti sunt in essentia sua. Atqui in essentia divina solummodo sunt eminenter. Ergo non cognoscit Deus possibilia secundum suum esse formale.

Resp. Disting. mai. etiam C.; solum Nego.

7. Medium cognoscendi debet esse formaliter simile rei cognoscendae. Atqui essentia divina non est similis formaliter possibilibus. Ergo essentia divina non potest esse medium in quo ad cognoscenda possibilia.

Resp. Nego maiorem.

8. Cognoscere rem in causa est cognoscere rem discursive. Atqui Deus non potest cognoscere aliquid discursive. Ergo nec potest cognoscere possibilia in sua essentia tamquam in causa.

Resp. Disting. mai. In causa ut in medio ex quo C.; ut in medio in quo N.

**789.** *b)* Contra tertiam partem theseos.

1. Ita se habet veritas creata ad intellectum divinum sicut bonitas creata ad divinam voluntatem. Atqui bonitas creata nequit directe et inmediate terminare actum voluntatis divinae. Ergo nec veritas creata ratione sui et immediate valet actum divini intellectus terminare.

Resp. Nego maiorem.

Explicatio. Est autem ingens disparitas inter intellectum divinum et voluntatem divinam. *a)* Intellectus est potentia necessaria, necessario intellegens quidquid est cognoscibile; voluntas Dei non amat necessario nisi se ipsum. *b)* In voluntate divina consideranda est non sola perfectio physica et entitativa operationis, sed etiam moralis perfectio in amando. At in intellectu non attenditur eiusmodi perfectio moralis, sed ad eum spectat ut intelligat necessario quidquid intelligibile est, itemque omni modo quo cognoscibile est nisi modus aliquis cognoscendi laboret ingenita imperfectione.

Atqui nec veritas creata directe et immediate valet actum divini intellectus terminare. Ergo...

2. Deus et possibilia cognoscuntur ab intellectu divino eo modo quo repraesentantur per speciem. Atqui species divina repraesentat immediate solum Deum. Ergo possibilia cognoscuntur a Deo solum mediate.

Resp. Conc. mai. et nego minorem.

EXPLICATIO. Quia essentia divina sicut quatenus essentia eminenter continet omnes possibiles essentias ita quatenus species possidet virtualitatem omnis possibilis speciei ut sufficiat ad immediate repraesentandam quamlibet possibilem naturam.

3. Species creaturarum in essentia divina continentur non formaliter sed eminenter et inde unitae et indistinctae. Atqui species indistincta non potest praebere cognitionem directam et immediatam ipsarum rerum distinguendo eas secundum proprias formas. Ergo Deus non cognoscit possibilia directe et immediate in se ipsis.

Resp. Conc. mai.

Disting. min. Si non supponitur praevia veritas formalis ipsorum possibilium C.; si supponitur talis veritas tamquam conditio N.

Disting. pariter consequens.

EXPLICATIO. Eadem difficultas potest poni agendo de futuris et futuribilibus. Unde urget illos, qui ponunt difficultatem.

4. In Deo utpote infinite perfecto non est agnoscendus duplex modus cognoscendi alter altero perfectior aut minus perfectus. Atqui modus cognoscendi possibilia in se Ipso perfectior est modo cognoscendi illa in se ipsis. Ergo Deus cognoscit possibilia solum mediate.

Resp. Disting. mai. Diversus modus proveniens ex parte subiecti C.; proveniens ex parte obiecti N.

Contrad. min.

EXPLICATIO. Creato intellectui non repugnant rationes cognitionis diversae diversitate se tenente ex parte subiecti; in Deo certe repungnant.

5. Perfectio cognitionis desumitur ex obiecto formali specifico. Atqui obiectum formale specificum in casu essent possibilia et sunt finitae perfectionis. Ergo etiam cognitio ex parte subiecti esset imperfecta et finitae perfectionis.

Resp. Conc. mai.

Nego minorem.

EXPLICATIO. Possibilia non sunt obiectum formale specificum pro cognitione divina; sunt solummodo obiecta materialia secundaria.

6. Possibilia sunt obiectum formale specificum si essentia divina est species impressa, et directa omnium possibilium. Atqui essentia divina iuxta te est quasi species impressa directa omnium possibilium. Ergo possibilia essent quasi obiectum formale et primarium.

Resp. Nego maiorem.

EXPLICATIO. Possibilia essent obiectum formale specificum pro cognitione divina si cognoscerentur a Deo primo et per se. Certe cognoscuntur directe et immediate in se ipsis, sed non aequae immediate ac essentia divina; possibilia enim cognoscuntur immediate sed secundario, non primo et per se et inde non convertuntur in obiectum quasi formale aut materiale primarium et per se attactum. Si adversarii iudicant hoc accidere probent efficacius.

7. Illud censetur esse obiectum formale specificum alicuius potentiae vel operationis, quod immediate attingitur et independenter ab alio prius attacto. Atqui possibilia iuxta te attinguntur directe et immediate et independenter a cognitione essentiae divinae. Ergo possibilia in tua sententia sunt obiectum formale specificum.

Resp. Disting. mai. Si immediate, primo et per se et cum independentia absoluta C.; si immediate quidem et non primo et per se et solum cum independentia relativa N.

Cont. min. Item primo et per se, cum independentia absoluta N.; immediate, sed non primo et per se. nec cum independentia absoluta C.

EXPLICATIO. Unde independentia in casu nostro non est absoluta sed relativa, i. e. est independens ab essentia divina tamquam a medio in quo sed non est independens ab essentia divina tamquam a medio quo et tamquam ab obiecto formali specifico: cognitio enim de obiecto secundario semper praesupponit essentialiter cognitam essentiam divinam.

8. Quando agitur de obiecto immediate cognito non est locus distinctioni inter cognitionem per speciem propriam et per speciem excedentem; quidquid enim per speciem excedentem cognoscitur impossibile est quod cognoscatur immediate. Atqui in tua sententia cognitio est immediata. Ergo etiam est per se.

Resp. Nego maiorem.

9. Difficultas solvitur quia actus divinus in signo priori ad cognitionem possibilium, iam determinatus ab essentia ut ab obiecto, terminatur directe ad possibilia propter suam infinitatem. Atqui hoc admitti non potest. Ergo cognitio directa et immediata possibilium est impossibilis.

Resp. Conc. maiorem et nego minorem.

10. Actus divinus specificatus ex immediata cognitione essentiae divinae non repraesentat possibilia, non est configuratus ad illa, siquidem ibi non sunt formaliter. Atqui ad hoc ut adquirat repraesentationem illorum quam prius non habet non sufficit terminatio, sed conformatio intellectus divini ut ea repraesentet ideoque mutationem novam. Ergo actus divinus specificatus ex cognitione essentiae divinae non potest repraesentare possibilia directe et immediate.

Resp. Conc. mai. et nego minorem.

Explicatio. Ut diximus in argumento potest concipi intellectus divinus ope essentiae determinatus ad cognoscendum in concreto quidquid cognoscibile est et obiectum se habere ad modum conditionis extrinsecae et termini et tum iam datur conformatio intellectus. Ex cognitione enim essentiae divinae intellectus divinus est configuratus, ut ita dicam, in actu primo, ex parte sua; posito obiecto ut conditione extrinseca iam datur configuratio in actu secundo quin actus divinus perficiatur ex hac cognitione.

11. Non potest argui a pari cum futuris absolutis et futuribilibus. Nam in signo priori ante cognitionem futurorum et futuribilium Deus habet repraesentationem omnium extremorum quae possunt exsistere cum omnibus suis circumstantiis realibus, lineamentis quidditativis et modis faciendi ea et cum sua exsistentia ut possibili. Iam vero ad cognoscenda futura et futuribilia non debet acquirere repraesentationem novam ullius lineamenti vel entitatis novae, sed solum determinationis ad exercitium exsistentiae talis extremi prae omni alio; et ad hoc sufficit mera terminatio actus intellectivi divini ad tale extremum sine ulla mutatione.

Sed in signo priori ad cognitionem possibilium, supponitur Deum non habere ullam repraesentationem possibilium, sed solum divinae essentiae. Et ad hoc ut cognoscat possibilia, requiritur ut adquirat repraesentationem rerum quam prius non habebat, ad quod non sufficit mera terminatio, sed conformatio intellectus divini ut ea repraesentet, ideoque mutationem novam.

Respondeo. Difficilius capitur agendo de possibilibus C.; ostenditur imposibilitas Nego.

Explicatio. Cognita essentia divina seu medio in quo et specificatus actus divinus cognitivus ex cognitione essentiae divinae, in signo priori (in subsistendi consequentia) ad cognitionem possibilium actus divinus non est configuratus ad illa siquidem possibilia non sunt formaliter in essentia divina. Iam vero ut Deus cognoscat possibilia seu ut detur talis configuratio requiritur ut acquirat repraesentationem rerum quas primum non habebat; et ad hoc non sufficit illa necessaria connexio nec mera terminatio, sed conformatio intellectus divini ut ea repraesentet ideoque mutationem novam. Unde difficultas urget etiam cum agitur de cognitione mediata possibilium, immo de omni cognitione divina quoad obiectum secundarium, quod tenetur esse pure terminativum.

Si ad eius solutionem recurrimus ad perfectionem infinitam actus divini et speciei impressae, etiam in cognitione directa et immediata possibilium ad illam solutionem possumus recurrere.

Item si adversarii praeter meram configurationem defigunt mentem in eo quod cognitio immediata possibilium specificaret cognitionem divinam, tunc iam difficultas urget illos in cognitione immediata futurorum et futuribilium quam ipsi admittunt, nec iuvat recurrere ad illud quod iam cognoscit antea ut possibilia quia iterum ponitur difficultas praecedens.

*Unde ad solvendas difficultates contra tertiam partem haec prae oculis habeantur:*

*a)* Tam essentia divina quam possibilia cognoscuntur immediate subiective (siquidem actus intellectus est unicus et unica quasi species) et obiective (sine ullo medio obiectivo).

*b)* Sed non aeque immediate. Essentia enim divina attingitur immediate primo (non praecise tempore aut natura, sed praesupositive, primaria exigentia) et per se (seu ratione sui). Possibilia autem immediate quidem, sed non primo nec per se, sed secundario et ratione essentiae divinae.

*c)* Unde sola essentia divina especificat seu est obiectum quasi formale specificum cognitionis divinae. Illa sola cognoscitur per speciem primo destinatam ad illius cognitionem.

Possibilia nec specificant, nec sunt obiectum quasi formale specificum divinae cognitionis; inde non cognoscuntur per speciem primo destinatam ad cognitionem illorum.

*d)* Duplex modus cognoscendi possibilia est diversus non ratione ipsius actus, sed ex parte obiecti.

*1. modus* in quantum cognoscit se et in se Ipso possibilia. Unde obiectum et tendentia illius actus est ut cognoscat se et in se Ipso possibilia.

*2. modus*, in quantum cognoscit Se solum et a tali cognitione specificatur actus divinus. Hoc posito, propter perfectionem actus divini, supposita ut conditione veritate determinata possibilium, talis actus terminatur directe et immediate ad possibilia quin talis cognitio immediata specificet actum divinum.

*e)* Haec cognitio rerum directe et immediate in se ipsis praesupposita cognitione essentiae divinae minus congrue vocatur cognitio omnium rerum in essentia divina, quia cognitio rerum in medio ab omnibus intelligitur cognitio rei eodem actu quo cognoscitur medium et quidem propter necessariam connexionem rei cum medio.

*f)* Unde omnis cognitio divina de obiecto secundario praesupponit essentialiter cognitam essentiam divinam et sic quamvis directe et immediate cognoscatur numquam specificat cognitionem divinam: obiectum quasi formale et specificum est sola essentia divina.

## ARTICULUS IV

### De cognitione futuribilium

**THESIS 34. Deus omnia futura libera conditionata certo ac distincte ab aeterno cognoscit.**

790. **Bibliographia.**—S. Th., 1, q. 14, a. 13; Quodl. 11, a. 3.—Suárez, *Opusc. 2, De scientia Dei futurorum contingentium*, l. 2, c. 1-7; *De Gratia, Prolegom.* 2, c. 1, n. 1; DM 30, s. 15; D. 19, s. 10, n. 11.—Ruiz de Montoya, *De scientia Dei*, disp. 61 ss.—Molina, *Concordia* (Paris, 1876), p. 337 ss.—Urraburu, *Theod.*, 2, p. 346 ss.—Hontheim, *Inst. Theod.*, p. 599.—Loinaz, *Prael. e Theol. Nat.*, p. 275.—Brosnan, *Theol. Nat.*, p. 215 ss.—Franzelin, *De Deo*, th. 45.—De San, *De Deo*, p. 183-190.—Muncunill, *De Deo uno*, n. 383-388; 393-396.—Mz. del Campo, *Theol. Nat.*, p. 309.—González Álvarez, *Teologia Natural*, p. 465.—Manyá, *Theologumena*, 1. *De Deo operante* (1946), p. 435 ss.—Hellín, *Theol. Nat.*, p. 620.—Baudry, L., *La Querelle des Futurs contingents* (Paris, 1950).—Dalmau, *De Deo uno et trino* (BAC, 1952), p. 124 ss.—Sagüés, S. J., *Ciencia de Dios y objetos futuribles:* EstEcles 23 (1949), p. 189-209.—Le Bachelet, *Dieu:* DTC, col. 1.051.

791. **Nexus.**—In thesi praecedenti egimus de cognitione possibilium et de scientia simplicis intelligentiae. Nunc de cognitione futurorum liberorum conditionatarum agendum est.

### 792. NOTIONES.

**Futurum conditionatum** seu **futuribile** est aliquod factum quod eveniret vel eveniet, si aliqua conditio verificaretur aut verificetur.

Divisiones futuri conditionati.

*F. c. necessarium* est aliquod factum, quod necessario eveniet vel eveniret sub conditione v. c. Si Deus hominem crearet vel creat esset vel erit animal rationale.

*F. c. contingens* est aliquod factum, quod quamvis de facto eveniet vel eveniret sub conditione potuisset non evenire. Et potest esse duplex:

793. *Extrinsece contingens* est factum illud, quod procederet vel procedet ab aliqua causa intrinsece necessaria, sed extrinsece contingente, quae posset non operari propter aliquod impedimentum extrinsecum, non vero quia ex se haberet potestatem cohibendi suum effectum v. c. si lapis relinquatur vel relinqueretur sibi, cadet vel caderet in terram.

*Intrinsece contingens* seu liberum est illud, quod procederet vel procedet a causa libera seu intrinsece indeterminata ad unum, quae habet dominium sui actus. Seu est actus liber, qui poneretur vel ponetur a voluntate libere agente sub conditione illam non necessitate v. c. si Petrus audiret contionem, converteretur.

**794.** *F. pure conditionatum* habetur si conditio numquam ponetur et inde exsistentiam numquam habebit v. c. si Petrus ab atrio fugeret Christum non negaret aut negaret.

*F. non pure conditionatum*, habetur si conditio aliquando ponetur et inde exsistentiam aliquando de facto habebit v. c. si Petrus ab ancilla tentaretur Christum negaret.

**795.** *Futurum divinum* est illud factum quod procederet vel procedet a Deo; seu quod solus Deus libere aliquando faceret v. c. Si Mariam in matrem Dei elegerim, eam Immaculatam faciam (conditionatum est divinum pendens a sola voluntate Dei; et eodem modo conditio); si Petrus post negationem maneat in atrio Pontificis, ei dabo gratiam conversionis (conditionatum est divinum, conditio pendet a libera voluntate creaturae); si tegula cadens e tecto Petrum vulneret ei perseverantiam concedam (conditionatum est divinum, conditio autem est necessaria).

*Futurum humanum* est illud factum quod procederet ab homine i. e. a libera voluntate creata (intelligitur cum concursu Dei) v. c. si Christus respiciat in atrio Pontificis Petrum, hic convertetur (conditionum pendet a libera voluntate Petri; conditio autem est divina); si Petrus pergat in atrio pontificis, peccabit (conditionatum pendet a libera voluntate Petri; conditio etiam est humana); si tegula cadens a tecto vulneret Petrum hic orabit (conditionatum est humanum; conditio autem est necessaria).

Futurum conditionatum enuntiatur propositione aliqua conditionali (et inde habet veritatem dependentem a conditione).

**796.** Propositio conditionalis est illa in qua aliquid affirmatur aut negatur de aliquo sub conditione v. c. si Petrus audiret concionem converteretur.

In omni propositione conditionali distinguenda sunt: antecedens, consequens, nexus et subiectum.

**797.** *Antecedens* vel *conditio* est id sub quo aliquid affirmatur aut negatur. Si futurum conditionatum est liberum per modum conditionis debet poni voluntas cum omnibus sive ex parte Dei sive ex parte creaturarum constituentibus actum primum completum v. c. si Petrus crearetur et in talibus circumstantiis (temporis, loci, status socialis, etc...) poneretur et darentur talia auxilia (naturalia vel supernaturalia... invitationes, exempla...) et ego concurrerem concurso debito (oblatio concursus ad quodcumque velit creatura in illis circumstantiis) converteretur.

**798.** *Consequens* seu *conditionatum* est id quod dependenter a conditione affirmatur aut negatur v. c. si lapis sibi relinqueretur vel relinquatur in terram caderet vel cadet; si Petrus audiret vel audiat concionem converteretur. In futuribilibus liberis est factum liberum seu actio (vel eius omissio) libera determinata, quae emaneret a duabus causis i. e. a Deo et a creatura, non a sola creatura.

**799.** *Nexus* seu *consequentia* est vinculum inter conditionem et conditionatum. Hic nexus potest esse:

*Necessarius*, si posito antecedente necessario sequeretur vel sequetur consequens et hoc triplici modo: necessitate *metaphysica* ut si Petrus currit vel curreret movetur aut moveretur; vel necessitate *physica* ut si ignis applicetur stuppae comburetur; vel necessitate *morali* stricte dicta; ut si est mater huius filii, illum non occidet.

*Contingens* est ille, qui potest naturaliter impediri seu cum posito antecedente potuerit sequi vel non consequens, v. c. si Petrus audiret vel audiat concionem, converteretur vel convertetur.

*Subiectum* est illud de quo affirmatur conditionatum sub aliqua conditione.

**800.** DIVISIONES PROPOSITIONIS CONDITIONALIS.

1) *Ratione nexus* inter conditionem et conditionatum triplicis generis potest esse.

*Stricte conditionalis* seu in sensu logico est illa in qua nexus est necessarius sive metaphysice sive physice sive moraliter, i. e. si posito antecedente necessario sequeretur vel sequetur consequens. *Vulgariter conditionalis* est illa in qua nexus est contingens, pendens ex libera determinatione voluntatis i. e. si posito antecedente poneretur vel ponetur de facto consequens, sed potuisset non poni. *Apparenter conditionalis* si nullus sit influxus conditionis in conditionatum v. c. si turca nunc dormiat Constantinopoli, Petrus Hispali vigilabit. Hae propositiones copulative sumptae sunt verae, nam verum potest esse turcam nunc dormire Constantinopoli et Petrum Hispali vigilare. Sed ut conditionales semper sunt falsae, quia indicant aliquem nexum vel influxum conditionis in conditionatum, qui revera non est.

**801.** 2) *Ratione subiecti* etiam triplicis generis esse potest.

*De subiecto pure possibili* et etiam de conditione pure possibili: si Deus crearet aliquem mundum possibilem et in eo poneret individuum A, faceret hoc aut illud. *De subiecto reali* et *de conditione pure possibili:* si Adam tentatus fuisset prius quam Eva, peccasset aut non peccasset. *De subiecto reali* et *de conditione etiam reali* seu quae de facto verificabitur, v. c. si Petrus poneretur in talibus circumstantiis et in atrio pontificis ab ancilla tentaretur, Christum negaret aut negabit.

Purificata conditione obiectum transit ab statu conditionali in absolutum et sic erit obiectum scientiae visionis. Sed si consideratur tale subiectum in signo priori ad purificationem conditionis seu ad decretum Dei absolutum ponendi tales conditiones (in statu adhuc conditionali) est obiectum scientiae mediae et cognitio horum futuribilium mirifice iuvat ad explicandam cognitionem futurorum liberorum absolutorum et providentiam divinam, ut postea dicemus.

**802.** Propositio de futuro contingente:

*est determinate vera* seu gaudet determinata veritate cum enuntiat unum solum extremum eventurum esse ex duobus contradictoris et illud revera even-

turum est v. c. si Petrus pergat in atrio pontificis peccabit. Si autem illud quod enuntiatur non est eventurum, tunc haec propositio est determinate falsa et opposita est determinate vera;

*est indeterminate vera* seu gaudet veritate indeterminata cum enuntiat aliquod extremum ex duobus contradictoriis eventurum non determinando quodnam eventurum sit v. c. si Petrus pergat in atrio pontificis peccabit aut non peccabit.

Certo et distincte cognoscit: cum certitudine metaphysica et secundum propriam formam uniuscuiusque.

## 803. STATUS QUAESTIONIS.

Quaeritur utrum Deus cognoscat certo et distincte omnia futura conditionata necne?

In thesi est quaestio de facto cognitionis futuribilium et de cognitione divina certa, infallibili et ab aeterno.

Non agimus de futuris conditionatis necessariis, siquidem in illis cognoscendis nulla est difficultas: per scientiam enim simplicis intelligentiae (non per scientiam mediam, quae versatur circa futuribilia libera) cognoscit certo unicum possibile in illis circumstantiis.

Inde agimus de futuribilibus contingentibus, intrinsece et quidem de pure conditionatis; de non pure conditionatis in signo priori ad adimpletionem conditionis.

Quaestio proinde est de nexu contingenti et de propositionibus late conditionalibus.

**804.** Difficultas in illis cognoscendis: nulla certe est difficultas in eo quod Deus cognoscat quid creatura posset facere in omnibus circumstantiis in quibus poneretur. Sed difficultas exsurgit ex eo quod Deus debeat cognoscere certo et infallibiliter et determinate quid creatura libera de facto faceret in omnibus adiunctis et circumstantiis in quibus poneretur: si enim cognosceret Deus quid creatura libere faceret postquam unum prae altero illa eligeret, tum videtur Deus pendere a creatura. Si autem hoc Deus cognosceret antequam creatura a se ipsa determinaretur ad unum, quomodo integra libertas humana maneret?

Nec confugere iuvat ad intuitum Dei tempora penetrantem ut circa futura absoluta, quia agitur de futuribilibus quorum pleraque nunquam in se exsistunt, immo in signo suo futuribilitatis nullum. Hinc singularis difficultas etiam pro facto ipso scientiae admittendo.

## 805. SENTENTIAE.

1) *Thomistae plures* initio controversiarum de auxiliis coniecturalem futuribilium liberorum cognitionem Deo tribuebant. Sic Ledesma, O. P. (78); Cabrera, O. P.; Zumel, O. B. V. M.; Curiel, J. A. et alii.

(78) *Tractatus de divinae gratiae auxiliis* (Salmanticae, 1611).

2) *Thomistae recentiores* admittunt in Deo cognitionem certam et infallibilem de futuris liberis conditionatis, quae sunt in Sacra Scriptura. De aliis dubitant, vel tribuunt Deo cognitionem coniecturalem. Sic MARÍN SOLA(79); BANDERA A. (80), et alii.

**806.** Iuxta JANSSENS LAUR, O. S. B. (81) et alios:

Deus cognoscit certo ea futuribilia tantum quae veram futuritionem conditionatam habent ut sunt: illa, quae a Deo decreta sunt et inde ex Dei ordinatione essent determinata. Horum cognitio divina est metaphysice certa; illa etiam quae moraliter certo praecontinentur in suis causis hypotheticis; et inde moraliter certo ex dispositione causae liberae essent determinata. Horum cognitio divina est moraliter certa.

Cetera futuribilia de quibus nempe neuter dictus casus verificatur sunt cognoscibilia a Deo tantum cum aliqua probabilitate iuxta dispositiones causae liberae. Quae enim vere in se non sunt nisi possibilia, ne a Deo quidem cognosci valent ut aliquid maius sc. ut futuribilia.

**807.** 3) NUNC IAM QUAESTIO EST unice de medio in quo Deus cognoscat futura libera conditionata: nam factum tum dominicani, paucis exceptis, tum molinistae admittunt.

### CENSURA.

Certa in philosophia et in theologia.

### PROBATUR.

**808.** I. *(Ex providentia divina.)*

Providentia divina est talis dispositio mediorum ad finem intentum ut positis illis mediis finis obtineatur de facto vel obtineri possit salva libertate creaturae. Atqui sine cognitione futuribilium Deus nequit habere congruam cognitionem futurorum absolutorum liberorum neque sapientissima et suavissima providentia Dei congrue explicatur. Ergo Providentia divina exigit ut Deus certo et distincte cognoscat omnia futuribilia.

*Maior.* Est definitio providentiae divinae.

*Minor.* Nam illa media: —*vel sunt natura sua infallibiliter conducentia ad finem* et tunc certo finis obtinebitur et certo a Deo cognoscitur, sed perit libertas humana; —*vel non sunt natura sua infallibiliter* conducentia ad finem; et in hoc casu cognoscendo Deus certo ac infallibiliter futura libera conditionata antecedenter ad decretum absolutum, eo ipso cognoscit quaenam auxilia de se indifferentia de facto habitura esse connexionem cum consensu voluntatis.

(79) *El sistema tomista sobre la moción divina:* CT, 32 (1925), 52.
(80) *Ciencia de Dios y objetos futuribles:* CT, 75 (1948), 273-299.
(81) *De Deo uno,* 2, p. 51 ss.

Quo posito posset iam dare decretum absolutum de mediis conducentibus ad finem intentum sine praeiudicio libertatis creatae et quidem cum certitudine metaphysica obtinendi effectum.

**809.** II. *(Ex infinita perfectione scientiae Dei.)*

Si Deus non cognosceret certo et ab aeterno omnia futuribilia libera haberet ignorantiam, dubium aut probabilitatem de aliqua re. Atqui illa omnia in Deo repugnant. Ergo Deus debet cognoscere et quidem certitudine metaphysica omnia futuribilia libera.

*Maior.* Patet: nam Deus debet cognoscere certo omnia quae sunt cognoscibilia, futuribilia vero libera sunt cognoscibilia ab aeterno siquidem habent veritatem determinatam ab aeterno.

**810.** III. *(Ex ipsa veritate futuribilium.)*

Quidquid habet determinatam veritatem id necessario a Deo cognoscitur. Atqui futura libera conditionata habent determinatam veritatem. Ergo futura libera conditionata cognoscuntur a Deo et quidem certo.

*Maior.* Probatur quia Deus est infinite intelligens.

*Minor.* Propositiones enuntiantes futura libera conditionata:

*non sunt falsae impossibiles* quia hic sumuntur in sensu vulgari seu pure assertivo et enuntiativo unius de alio sub certis conditionibus: unde quamvis de facto sequeretur conditionatum sub conditione illa, potuisset non sequi;

*habent determinatam veritatem.* Sic in hoc exemplo: si Petrus ab ancilla tentaretur in atrio pontificis, Christum negaret aut non negaret:

*disiunctive* verum est Petrum aut negare aut non negare Christum. Haec autem propositio habet veritatem indeterminatam cum enuntiet aliquod extremum ex duobus contradictoriis eventurum non determinando quodnam eventurum sit;

*propter principium contradictionis* simul negare et non negare non potest: duae enim propositiones contradictoriae simul verificari non possunt, sed una erit necessario vera et opposita erit falsa. Certe ex vi contradictionis seu contradictio non magis determinat ad veritatem unius propositionis quam alterius propterea additur;

*propter principium exclusi medii* voluntas in actu primo completo constituta et in determinato tempore determinatum actum secundum poneret (si conditio verificaretur non procederet a voluntate aliquid indeterminatum) aut negationem aut non negationem: utrumque est incertum pro nobis, sed unum in se certissimum est et proinde ab aeterno determinatam veritatem habet independenter a cognitione qualibet.

**811.** IV. *(Ex paritate cum futuris absolutis.)*

Ab aeterno verum est et proinde certissime a Deo cognoscitur quod Petrus iam creatus et in hac occasione positus negabit Christum. Ergo etiam ab aeterno determinate verum erat et proinde certissime a Deo cognoscitur quod si Petrus crearetur et in hac occasione poneretur, Christum negaret. Paritas est

manifesta. Nam si post decretum actuale verificandi conditionem (seu in statu futuri absoluti) illa propositio habet determinatam veritatem, ante hoc decretum (seu in statu futuribilitatis) certum erat quod Petrus sic ageret si conditio verificaretur.

**812. SCHOLIUM. De obiectivitate futuribilis.**

Futuribile habet ab aeterno determinatam obiectivitatem, cognoscibilitatem actu possibilis connotantem esse deinde physice conditionate in re. Unde obiectivitas futuribilis est maior quam obiectivitas pure possibilis (potest exsistere); minor vero quam obiectivitas futuri absoluti (erit absolute; obiectivitas actu possibilis connotans esse deinde physice absolute in re).

Talis obiectivitas determinata constituitur formaliter iuxta nos futuritione conditionata formali.

Proinde veritas determinata futuribilis verificatur seu est ab aeterno in ipso futuribili, non causaliter sumpto prouti est in voluntate creata determinata a Deo aut in voluntate creata sub concursu indifferenti, sed in ipso futuribili formaliter sumpto seu in ipsa actione, quae esset si poneretur conditio. Utique efficienter futuribile formaliter sumptum procederet a concursu divino et a voluntate creata sine quibus nihil daretur.

Sed forsam quaeras: Ubinam est ille actus secundus, qui numquam exsistet?

Resp. Pure possibilia formaliter nullibi sunt; nec sunt nec erunt actu in re et tamen habent ab aeterno suam obiectivitatem determinatam. Futura absoluta non sunt etsi deinde erunt et habent ab aeterno suam obiectivitatem determinatam. Ergo futuribilia libera etsi non sunt nec erunt, sed essent si... ac proinde nullibi sint de facto, sua non carent ab aeterno obiectivitate determinata.

## 813. OBIECTIONES.

1. In tua argumentatione datur circulus vitiosus siquidem probas veritatem futuribilium ex cognitione divina; cognitio autem divina probatur ex veritate, quam habent talia futuribilia. Ergo argumentatio est vitiosa.

Resp. Nego antecedens.

Explicatio. *a)* In primo argumento sic proceditur: Providentia divina exigit ut Deus certo cognoscat ab aeterno determinate omnia futura libera conditionata. Haec non possunt cognosci a Deo nisi habeant determinatam veritatem. Ergo illam habent. Sic probatur indirecte talia futura habere determinatam veritatem.

*b)* In secundo argumento probavi Deum ea cognoscere ex perfectione infinita divinae scientiae. Modus enim loquendi expositus in argumento supponit futura libera conditionata in ordine ontologico antequam ea Deus cognoscat habere determinatam veritatem, quae determinata veritas probatur quasi indirecte hoc argumento.

*c)* In tertio argumento probavi directe habere determinatam veritatem in se ipsis formaliter sumptis ab aeterno et consequenter Deum debere ea cognoscere. Unde non apparet circulus vitiosus.

2. Argumentum ex sensu communi ita procedit: Cum quaerimus ab aliquo quid esset futurum, si pater eius non genuisset vel si ipse in alio loco esset, etc... solet dicere: hoc Deus scit et quidem certo. Atqui hic modus loquendi explicari potest sola certitudine morali. Ergo argumentum non probat.

Resp. Conc. Maiorem et nego minorem. Talis modus loquendi indicat Deum cognoscere talia futura certitudine metaphysica.

3. Futuribilia abstractione facta ab ipso esse intentionali, quod obtinet in cognitione divina (seu independenter a cognitione divina) nihil reale est, est aliquid mere ideale seu pure possibile; inde nullam habet propriam determinatam veritatem. Atqui in hoc casu nulla ignorantia daretur in Deo. Ergo nulla imperfectio proveniret Deo si illa non cognoscit.

Resp. Nego maiorem.

4. Saltem nobis non constat a priori et independenter a facto cognitionis divinae de veritate aeterna futuribilium. Ergo argumentum II non valet.

Resp. Nego maiorem.

5. Si mihi constat certo Deum cognoscere futuribilia, eo ipso scio ea respectu intellectus divini esse intelligibilia et gaudere aeterna veritate. Atqui primum mihi non constat nec possum supponere hic et nunc absque manifesta petitione principii. Ergo nec secundum seu habere determinatam veritatem independenter a cognitione divina.

Resp. Conc. mai.
Nego minorem. Constat ex argumento primo ex providentia.
Nego etiam consequens. Cfr. argumentum III.

6. Deus non potest cognoscere quod non habet determinatam veritatem. Atqui futuribilia non habent determinatam veritatem. Ergo Deus non potest ea cognoscere.

Resp. Conc. mai.
Disting. min. prout sunt in causis C.; prout sunt in se ipsis, Nego.
Disting. pariter consequens.

7. Si scientia divina attingeret ipsum futuribile in se, tunc talis scientia esset fundamentum veritatis vel falsitatis propositionum conditionalium. Atqui talis scientia est praecise in quaestione. Ergo antecedenter ad cognitionem divinam non sunt determinatae verae vel falsae propositiones illae conditionales.

Resp. Nego maiorem. Ipsa enim veritas futuribilis praevie determinata est fundamentum scientiae divinae circa illud non e contra.

8. Propositiones contradictoriae conditionales enuntiantes futuribilia non possunt esse simul verae; tamen ab aeterno neutra *est* iam vera aut falsa; sed una *erit* vera altera erit falsa. Ergo non habent ab aeterno veritatem determinatam.

Resp. Nego antecedens.

Explicatur. Ab aeterno iam habetur id unde exsurgat convenientia vel disconvenientia praedicati cum subiecto, i. e. factum futuribile omnino determinatum a voluntate creata.

9. Futuribile determinatum non est nec erit sed esset si... Ergo non habet nec habebit, sed haberet determinatam veritatem si...

Resp. disting. antec. Non est actu futuribile, non datur determinatum enuntiabile Nego; non habet actu nec habebit, sed haberet esse actuale rei C.
Et nego consequens.

Explicatio. Ut aliquid actu veritatem determinatam habeat et actu terminet vel determinet cognitionem ad ipsum, non requiritur eius esse actuale, sed sufficit ut actu detur de illo determinatum enuntiabile, cui assentiens sit verus, dissentiens sit falsus intellectus. Futuribile autem ab aeterno habet actu tale enuntiabile.

10. Quod indifferens est ad opposita obiectivitates nequit offerre unam determinatam. Atqui futuribile «voluntas Petri negaret me» est indifferens ad oppositas obiectivitates. Ergo futuribile nequit offerre unam determinatam veritatem.

Resp. Conc. maiorem.
Disting. min. Consideratum in causa C.; consideratum in se ipso N.

11. In futuribili libero nulla datur antecedens connexio ab intrinseco necessaria et infallibilis inter antecedens et consequens. Atqui ut Deus certo et infallibiliter cognosceret futuribilia deberet videre necessariam et infallibilem connexionem inter conditionem et conditionatum. Ergo Deus non potest illud certo cognoscere.

Resp. Con. maiorem.
Nego minorem.

Explicatio. Ut Deus futuribile certo cognoscat sufficit ut futuribile de facto eveniret, quamvis non necessario sequeretur ex conditione. Sic etiam ut Deus absolute futura certo cognoscat necesse non est ut illa necessario sequantur aut sequi videat ex causis eorumdem.

12. Si Deus cognosceret futuribilia, haberet cognitiones contingentes et simul independentes a sua voluntate. Atqui hoc videtur absurdum. Ergo Deus non potest cognoscere certo futuribilia.

Resp. Conc. maiorem.
Nego minorem.

Explicatio. Cognitio divina futuribilis est contingens sicut est contingens obiectum. Insuper sub tali concursu, sub talibus circumstantiis, sub tali occasione, quae pendent a voluntate divina, Deus praesciret infallibiliter quid sequeretur. His positis est independenter a voluntate divina seu Deus nequit iam impedire quod illud de facto sequeretur positis illis conditionibus.

13. Deus determinatum futuribile aut necessario aut contingenter cognosceret. Atqui primum pugnat cum libertate creata et secundum cum perfectione Dei. Ergo Deus determinatum futuribile ignorat.

Resp. Illud contingenter absolute cognoscit. Actus ipse cognitivus quoad entitatem quidem est absolute necessarius, quoad nonnullas terminationes eiusdem est contingens; sed si revera dantur tum Deus non potest non cognoscere.

14. S. Thomas docet: quod «quicumque cognoscit effectum in causa tantum non habet de eo nisi coniecturalem cognitionem». Atqui futuribilia non possunt cognosci in se ipsis. Ergo nequeunt a Deo infallibiliter cognosci.

Resp. Conc. maiorem.
Nego minorem.

## ARTICULUS V

### De modo quo Deus cognoscit futura libera conditionata et de scientia media

**THESIS 35. Futura libera conditionata non cognoscuntur a Deo in ullo medio obiectivo in quo stricte dicto, sed solummodo in se ipsis. Et scientia media admittenda est.**

814. **Bibliographia.**—Cfr. auctores in thesi praecedenti citatos.

815. **Nexus.** Egimus in thesi praecedenti de facto cognitionis liberorum conditionate futurorum. Nunc de modo et de diversis explicationibus talis cognitionis agendum est.

### 816. NOTIONES.

Futurum liberum conditionatum seu futuribile liberum. Haec notio in thesi praecedenti explicata manet.

Medium in quo stricto sensu est illud obiectum cognitum, quod, ut cognitum, ducit necessario eodem actu in cognitionem alterius obiecti eo quod inter utrumque nexus necessarius causalitatis aut repraesentationis datur.

Nexus necessarius in hac materia potest esse:

a) *aut antecedens* liberam determinationem voluntatis et veritatem futuribilis;

b) *aut consequens* i. e. supposita libera determinatione voluntatis et veritate futuribilis. Et utrumque medium in thesi excluditur.

### 817. STATUS QUAESTIONIS.

Intellectus divinus ab aeterno cognoscit certo unum determinatum futuribile: v. c. Tyrii, si miracula viderent, converterentur, prae contrario: Tyrii, si miracula viderent, non converterentur. Hoc posito et probato in praecedentibus, quaenam est ratio praesupponenda intellectioni divinae, saltem tamquam conditio sine qua non, ad hoc ut intellectus divinus cognoscat seu terminetur ad hoc futuribile prae alio.

**818.** 1. Talis ratio non potest esse necessaria connexio subiecti et antecedentis v. c. Tyriorum et praedicati seu consequentis v. c. conversionis, quia nexus in casu est contingens; tyrii de se non magis cum conversione quam cum resistentia connecterentur.

**819.** 2. *Iuxta alios* talis ratio habetur unice in solo Deo. Est enim: *a)* Decretum Dei subiective absolutum et obiective conditionatum. *b)* Decretum Dei condeterminans. *c)* Essentia divina quatenus est idea exemplaris. *d)* Essentia divina ut est essentia absolute spectata; vel essentia divina quatenus iam praesupponitur veritas futuribilis; vel essentia prout est exemplar omnis omnino veritatis et realitatis sub quacumque hypothesi; vel saltem consequenter ad veritatem futuribilis. *e)* Concursus collatus Dei principiative spectatus sive necessarius sive indiferens.

**820.** 3. *Iuxta alios* talis ratio est etiam extra Deum.

*a)* Causa secunda i. e. voluntas humana in actu primo completo constituta et quidem comprehensa aut supercomprehensa in ipsa essentia divina. *b)* Nudus concursus Dei terminative spectatus seu actio creaturae prout procedit a solo Deo. *c)* Ipse actus secundus voluntatis humanae prout procedit tum a Deo tum a creatura et quidem sine ullo medio obiectivo.

4. Si aliqua alia sententia detur tandem aliquando reducitur ad unam vel aliam ex sententiis enumeratis in numeris praecedentibus.

**821.** 5. In hac obscurissima quaestione solvenda, omnes iure suum systema proponunt; omnibus etiam licet instituere argumentationem per exclusionem aliorum systematum ita ut haec omnia positive impossibilia demonstrentur, suum vero saltem negative possibile ostendatur. Item omnes legitime ad mysterium confugiunt, sed nemini licet velo sacro mysterii cuiusdam tegere manifestam contradictionem systematis.

6. Ut vero in diversis explicationibus exponendis et iudicandis clarius procedamus iuvat diversa statuere asserta, quae totidem in hac re erunt sententiae nonnumquam verbis potius quam re inter se discrepantes.

**822. Assertum I.—Libera conditionate futura non cognoscuntur a Deo in decretis subiective absolutis et obiective conditionatis.**

DECRETUM *in genere* est actus voluntatis Dei aliquid decernentis.

Potest considerari subiective et obiective.

*Subiective* est decretum consideratum principiative, entitative seu ex parte actus Dei. *Obiective* est decretum consideratum terminative seu ex parte obiecti.

Item decretum potest esse absolutum et conditionatum.

*Absolutum* est illud quod absolute fertur independenter a qualibet conditione. *Conditionatum* est illud quod conditionate seu hypothetice fertur dependenter ab aliqua conditione.

Decretum subiective consideratum potest esse absolutum et conditionatum.

*Subiective absolutum* est illud decretum quod ex parte subiecti absolute fertur et actu datur in Deo independenter a qualibet conditione. *Subiective conditionatum* est illud decretum quod ex parte subiecti conditionate seu hypothetice fertur et actu non datur in Deo, v. c. si tyrii et sidonii miracula viderent et si ego decernerem concurrere...; si ego praedeterminarem tyrios et sidonios ad poenitentiam...

Decretum obiective potest esse etiam absolutum et conditionatum.

*Obiective absolutum* est illud quod etiam ex parte obiecti absolute sine conditione tendit in obiectum, v. c. volo creare mundum. *Obiective conditionatum* est illud quod ex parte obiecti conditionate, dependenter ab aliqua conditione tendit in obiectum.

**823.** Decretum subiective absolutum et obiective conditionatum est illud quod ex parte subiecti absolute fertur et actu in Deo datur independenter a quacumque conditione; sed ex parte obiecti pendet ab aliqua conditione ideoque eius exsecutio suspenditur donec ponatur illa conditio.

Exemplum. *Decerno* (actus voluntatis Dei, unde subiective absolutus) me daturum praedeterminationem, vel quod ego darem praedeterminationem tyriis et sidoniis ut converterentur; si decrevissem ut miracula fierent apud eos...

Tamen decerno ut non fiant miracula et sic de facto decerno non praedeterminare illos ad conversionem.

Unde Deus ex parte sua dicit: *decerno;* sed ex parte obiecti in eo signo in quo concipitur conversio ut futuribilis, non ponit de facto decretum de ponendis talibus adiunctis et inde nec dandi praedeterminationem physicam ad conversionem, sed suspenditur donec ponatur conditio, quae conditio ex decreto divino numquam implenda est.

**824.** Quaestio in hoc asserto est de decretis in sensu quo admittuntur a thomistis, quibus Deus decrevit aliquid facere vel dare sub conditione a solo Deo pendente et numquam implenda quia agitur de futuribilibus pure conditionatis. Ergo tum conditio tum conditionatum praedeterminatum penderent a solo Deo.

**825.** Iuxta thomistas (82): Deus scientia simplicis intelligentiae cognoscit pure possibilia; scientia visionis cognoscit res exsistentes in aliqua temporis differentia, nempe omnia praeterita, praesentia et futura. Et quidem futura libera absoluta et futura libera conditionata, quae aliquando erunt, cognoscit in decretis praedeterminantibus simpliciter absolutis. Futura libera conditionata pure talia, quae numquam erunt, cognoscit in suis decretis subiective absolutis et obiective conditionatis, quia nempe Deus habet ab aeterno decretum obtinendi conditionatum, si conditio poneretur. Antecedenter enim ad decretum actuale Dei subiective absolutum, futuribile esset pure possibile. non haberet veritatem determinatam propriam futuribilis ut talis et inde nec cognoscibilitatem.

Unde cognitio futuribilium pure talium siquidem numquam erunt in re, ex parte obiecti potius ad scientiam simplicis intelligentiae; ex parte vero medii quod est decretum Dei subiective absolutum, ad scientiam visionis pertinet.

---

(82) Zumel, *Opusc.* v. 2 (Salmanticae, 1608).—D. Álvarez, *De auxiliis divinae gratiae* (Romae, 1610).—Báñez, *Scholastica Commentaria* in I p. Divi Thomae (Salmantice, 1585).—J. a S. Thoma, *Cursus Theol.*, *De Deo*, d. 20, a. 2 (Paris, 1931). Billuart, *Summa S. Thomae*, v. 1, p. 229-234.—Hugon, *Tractatus dogmaticae*, t. 1 (Paris, 1920).—*Suma Teológica de S. Tomás de Aquino*, 1 (BAC, 1948), apend. II, p. 980 ss.

826. Tandem prae oculis habendum cognitionem futuribilium per decreta subiective absoluta et obiective conditionata esse factum secundarium in systemate Banneziano, siquidem talis cognitio non est necessaria ad explicandam cognitionem futurorum absolutorum et providentiam divinam, sed solummodo quia infinita scientia divina illud exigit.

827. *Argumentum.* Decretum subiective absolutum et obiective conditionatum non est medium aptum ad infallibilem cognitionem futuribilium seu futurorum liberorum conditionatorum. Ergo reiciendum est.

Antecedens. Tale decretum vel est praedeterminativum vel non:

a) *Si est praedeterminativum* est medium in quo Deus cognosceret certo atque infallibiliter futuribile, sed laedit libertatem voluntatis creatae; eo enim posito voluntas non haberet dominium sui actus.

b) *Si non est praedeterminativum,* non datur connexio infallibilis inter decretum et futuribile nec potest esse medium in quo ad acquirendam certam et infallibilem notitiam illius futuri conditionati liberi.

**828. Assertum II.—Deus non cognoscit futura libera conditionata in decretis condeterminantibus.**

DECRETUM CONDETERMINANS est decretum Dei absolutum et efficax metaphysice connexum cum operatione creaturae, quam condeterminaret simul cum ipsa creatura.

Unde Deus non determinaret voluntatem humanam ad volendum hoc vel illud ut volunt praedeterministae, sed cum voluntate creata condeterminaret hoc vel illud: voluntas enim creata non ideo poneret talem actum quia Deus ita decrevit. Nec Deus decrevit actum posita eius praevisione per scientiam mediam, sed Deus decrevit illum actum quem voluntas poneret in tempore sine ullo ordine causalitatis aut praesuppositionis, sed simplicis concomitantiae (83).

829. SCOTISTAE sustinent Deum cognoscere futuribilia in decretis condeterminantibus. Asserunt enim Deum dare decreta subiective absoluta condeterminandi sc. dandi concursum, non praevium sed simultaneum cum actione creaturae, sed decretum est obiective conditionatum, quia pro signo futuribilis, adhuc non concipitur Deus ponere creaturam in illis circumstantiis: si tyrii et sidonii miracula viderent decerno quod ego condeterminarem illos ad conversionem, tamen decerno ut non fiant miracula et sic non datur de facto condeterminatio.

830. *Argumentum.* Decreta condcterminantia: *a)* vel non habent nexum necessarium ab intrinseco cum futuribili.

*b)* Vel habent nexum necessarium cum futuribili. Atqui neutro modo sunt media apta ad cognitionem futuribilium.

Ergo Deus non cognoscit futuribilia in decretis condeterminantibus.

*Maior.* Non datur tertium.

*Minor. a)* Si non datur nexus necessarius inter decretum condeterminans et futuribile, hoc, ut patet, in illo medio certo cognosci non potest.

*b)* Si datur ncxus necessarius tum perit libertas, nam decretum est independens et habet connexionem necessariam et independentem a voluntate creata. Ergo infert inevitabiliter actum.

831. *Dices.*—Voluntas divina continet virtualiter et eminenter voluntatem creatam cum omnibus suis determinationibus possibilibus. Iam vero cum Deus dat decretum concurrendi se determinat virtute omnino aequivalente determinationi creaturae et sic determinatio Dei coincidit praecise cum determinatione qua creatura sese determinaret in tempore.

---

(83) MASTRIUS, *Disputationes theologicae in Sententias,* l. d. 3. c. 3. a. 8 (Venetiis, 1757). p. 131-135.—FRASSEN, *Scotus Academicus,* 1 (Roma, 1900), tr. 2. d. 1. s. 2. q. 2.

Resp. Nego antecedens. Non enim apparet quomodo Deus cognoscit determinationem futuribilem voluntatis creatae.

EXPLICATIO. 1) Illa determinatio Dei coincideret cum determinatione possibili voluntatis. Hoc est manifestum. 2) Sed non apparet quo pacto coinciderent certo et congrue cum hac determinatione futuribilis voluntatis creatae. Nam decretum:

*a)* si est ab intrinseco et absolute efficax necessitat voluntatem et perit libertas; *b)* si est ab intrinseco indifferens et remanet sub decreto indifferentia in voluntate, tum coincidentia erit casualis et perit certitudo cognitionis. *c)* Si decretum est ab extrinseco efficax, hoc iam supponit praeviam cognitionem futuribilis per scientiam mediam, quam nolunt admittere condeterministae.

**832. Assertum III.—Deus non cognoscit futura libera conditionata in essentia divina ut est idea exemplaris tamquam in medio in quo.**

*Idea in genere* est similitudo obiecti expressa in mente percipiente.

*Species expressa* est principium formale quo res cognoscitur. Unde in casu est cognitio actualis futuribilium et explicandum est quomodo habeatur.

IDEA EXEMPLARIS est forma in mente ad cuius imitationem aliquid fit. Idea exemplaris potest considerari:

a) *Specificative* seu nude sumpta quatenus est mera repraesentatio factiva rei in signo rationis priori ad omne decretum divinum et ad omnem determinationem liberam voluntatis humanae.

b) *Reduplicative* quatenus idea exemplaris ordinatur ad opus et est complexus repraesentationis factivae et decreti voluntatis quo illa ad opus applicatur.

**833.** *Quaestio* in hoc tertio asserto est de idea non prout est species expressa futuribilis determinati, sed prout est idea exemplaris specificative sumpta i. e. in quantum repraesentat res factibiles et modo factibili, non in quantum hae ideae adiunctum iam habent decretum concurrendi, quia secus non in ideis cognosceret Deus futuribilia, sed in decretis.

**834.** ALIQUI sustinent Deum cognoscere omnia futura libera conditionata in essentia divina in quantum est idea exemplaris omnium rerum quae de facto prodirent sub conditione et ex directione et influxu divino. S. BONAVENTURA, ALEXANDER HALENSIS et alii pro hac sententia ab auctoribus numerantur.

**835.** *Argumentum.* Idea exemplaris divina nude sumpta non habet certam ac necessariam connexionem cum futuribili libero. Atqui in medio non necessario connexo cum futuribili libero, hoc certo cognosci non potest. Ergo Deus non potest cognoscere futuribilia in sua essentia ut est idea exemplaris nude sumpta.

*Maior.* Idea exemplaris divina nude sumpta, i. e. ut est mera repraesentatio factiva rei in signo priori ad omne decretum voluntatis, repraesentat futuribile (v. c. Petrus peccaret, Petrus non peccaret) solummodo ut possibile.

Si vero idea exemplaris sumitur iam ut repraesentatio futuribilis tum non potest repraesentare ut verum utrumque simul (Petrus peccaret, Petrus non peccaret) quia sunt contradictoria.

Sed neque potest repraesentare unum determinatum (v. c. Petrus peccaret) quia explicandum est cur ita sit, cur habeat ideam seu speciem expressam talis futuribilis et non explicatur: quia aut non datur nexus necessarius inter ideam exemplarem nude sumptam et futuribile et tum non potest dari cognitio certa; aut datur nexus necessarius et tum perit libertas (84).

(84) URRABURU, *Theodicea*, 2, p. 267.—LOINAZ, *Prael. e Theol. Nat.* n. 802-803.

**836. Assertum IV.—Deus non cognoscit futura libera conditionata in essentia divina, ut est exemplar omnis realitatis, tamquam in medio in quo.**

Iuxta SATOLLI, PECSI, DE MARIA, DE SAN, DONAT, MATTIUSSI, MANZONI, VAN DER MEERSCH... et P. BILLOT (85):

1) Deus *omnia a se distincta* non cognoscit directe in se ipsis, sed omnino in se ipso, hoc est, unice in essentia ut in medio obiectivo in quo, et quidem in quantum est exemplar in quo fundatur omnis realitas quaecumque sit.

2) *Pro cognitione possibilium* omnium qua talium medium in quo est essentia divina pure et simpliciter in quantum est eminentiale exemplar cuiuslibet entis participati antecedenter et independenter a quolibet decreto sive absoluto sive hypothetico.

**837.** 3) PRO COGNITIONE FUTURIBILIUM medium in quo est eadem essentia divina in quantum est eminentiale exemplar cuiuslibet entis participati et quasi determinata per decretum hypotheticum.

Nam Deus comprehendendo suam essentiam cognoscit illam ut imitabilem omnibus modis possibilibus. Iam vero futuribile est in suo ordine specialis modus entis possibilis. Ergo Deus certo cognoscit specialem illam determinationem qua voluntas se determinaret in talibus adiunctis propter nexum exemplaritatis immediatum inter essentiam divinam et ipsum actum secundum futuribilem voluntatis creatae.

Talis cognitio datur in Deo antecedenter a quolibet decreto absoluto Dei, consequenter et dependenter a decreto hypothetico sive sub quacumque hypothesi sive saltem consequenter ad liberam determinationem futuribilem voluntatis creatae seu praesupposita veritate determinata futuribilis (86).

**838.** *Reicitur* haec sententia.

*a)* Si essentia divina non habet connexionem intrinsecam, necessariam et infallibilem cum futuro libero conditionato, in ea futuribile nullatenus certo cognosci potest.

*b)* Si essentia divina habet illam connexionem intrinsecam et necessariam antecedenter ad liberam determinationem futuribilem voluntatis creatae, tum perit libertas.

*c)* Si essentia divina habet illam connexionem intrinsecam et necessariam consequenter ad liberam determinationem futuribilem voluntatis creatae (seu posterius ratione quam futuribile sit futuribile) tunc dico: vel praesuppositio veritatis futuribilis addit aliquid intrinsecum essentiae divinae, quae iam mu-

---

(85) BILLOT, *De Deo uno*, 7 p. 209 ss.

(86) Ab hoc asserto IV incipit explicatio cognitionis futuribilium per scientiam mediam. Omnes enim auctores Societatis Iesu asserunt Deum cognoscere futuribilia libera antecedenter et independenter ab omni Dei decreto absoluto actuali; immo non propter connexionem ab intrinseco necessariam et antecedentem quam habeant cum actu primo et cum decretis Dei, sed solummodo propter veritatem, quam habent in se ipsis. Tamen in ulteriori explicatione discrepant: nam iuxta alios talis cognitio semper fit in aliquo medio obiectivo in quo; iuxta alios omne medium obiectivum etiam in quo stricto sensu excluditur.

taretur (antea non erat talis connexio intrinseca, nunc est et quidem proveniens ab essentia in futuribile); vel nihil addit intrinsecum et sic manet tam inepta sicut antecedenter ad illam veritatem praesuppositam.

*d)* Si nexus est necesarius et concomitans determinationem conditionatam voluntatis creatae cognitam, tum non cognoscit in Deo, sed saltem partialiter in ipsa voluntate operante et talis concomitantia vel est gratuita vel destruit libertatem.

**839.** *Dices:*

1) Sola divina essentia est fundamentum omnis realitatis. Atqui futuribile est aliqua realitas. Ergo sola divina essentia est fundamentum etiam futuribilis.

Resp. Dist. mai. Ipsa sola essentia divina est fundamentum omnis realitatis ut possibilis (quoad omnes imitabilitates) C.; ipsa sola essentia est fundamentum... ut futuribilis vel futurae (quoad imitationem determinatam) N.

EXPLICATIO. Fundamentum enim realitatis exsistentis non est sola essentia divina, sed essentia simul cum voluntate libera Dei in illis quae solus Deus facit. Fundamentum earum exsistentiarum, quae a causis secundis dependent, est et Deus (essentia simul cum voluntate) et creatura libera agens, non vero solus Deus. Iam vero determinatio futuribilis creaturae, utpote libera, non potest certo cognosci a Deo in illis mediis indifferentibus.

**840.** 2) Essentia divina ut exemplar continet omnia possibilia. Atqui futuribile est in suo ordine modus specialis entis possibilis. Ergo essentia divina ut exemplar continet etiam futuribilia.

Resp. Conc. mai.

Disting. min. Omne futuribile est quodammodo possibile C. Futuribilia dicunt meram possibilitatem rei N.

Disting. pariter cons.

EXPLICATIO. *a)* Essentia divina utpote necessaria continet quidem ut exemplar veritates necessarias ut sunt possibilia, imitabilitates; non autem veritates contingentes, quales sunt futuribilia (imitationes iam de facto contingentes).

Unde essentia non potest continere ut determinate verum utrumque futuribile cum sint contradictoria (v. c. Si Christus respiceret Petrum converteretur; si Christus respiceret Petrum non converteretur). Neque continet unum determinatum prae alio, quia non est ratio unius prae alio; si vero esset aliquod ex illis determinatum in essentia divina, tum desineret esse liberum.

*b)* Nec sufficit dicere illa continere ut possibilia; quia non est quaestio de hoc. Veritas futuribilis alia est omnino diversa a veritate possibilis (87).

**841.** 3) Inter essentiam divinam et futuribile datur nexus exemplaritatis ab intrinseco antecedens in signo priori rationis ad determinationem conditionatam voluntatis non necessitans et mihi incomprehensibilis. Ergo futuribile determinatum potest Deus cognoscere in sua essentia.

Resp. Nego antec. Quia non probatur eius possibilitas negativa saltem: si est necessarius et antecedens necessitat voluntatem; si est necessarius intrinsecus et consequens, tum mutatur essentia divina.

4) Praesupposita veritate futuribilis exsurgit relatio rationis essentiae divinae cum futuribilibus. Atqui in illa relatione Deus futuribilia cognoscere potest. Ergo essentia divina est medium in quo pro cognitione futuribilium.

Resp. Tr. maior.

Nego minorem. Nam medium cognitionis in casu debet esse aliquid reale, relatio illa rationis est aliquid fictum. Item cognitio relationis supponit praecognitum eius

(87) GISQUIÈRE, *Prael. Theol. Nat.*, 2, p. 350.

fundamentum, quod est ipsa futuribilis veritas. Unde cognitio futuribilis sine explicatione manet.

**842. Assertum V.—Deus non cognoscit futura libera conditionata in essentia divina ut est concursus conditionate collatus principiative spectatus.**

*Iuxta* PP. Hontheim et Pesch. Chr. (88).

*a)* In genere essentia divina est medium obiectivum in quo Deus cognoscit omnia alia a se distincta. Haec nullatenus immediate in se ipsis a Deo cognoscuntur.

b) *Pro cognitione possibilium* medium obiectivum in quo est essentia divina sola quatenus est imitabilis ad extra.

**843.** *c)* Pro cognitione futuribilium medium obiectivum in quo est essentia divina ut hypothetice quasi determinata per decretum hypotheticum seu per concursum conditionate collatum principiative spectatum, qui est connexus cum actione creaturae consequenter ad liberam determinationem, quae determinatio est conditio ut Deus concurreret.

**844.** *Processus.* Distingui debet concursus oblatus, concursus collatus principiative spectatus et concursus collatus terminative spectatus. 1) In essentia divina quatenus est solum concursus conditionate oblatus, liberum conditionate futurum certo a Deo cognosci non potest, siquidem utpote indifferens, non est necessario connexus cum actione creaturae.

2) In concursu divino conditionate collato et terminative spectato, qui est ipsa determinatio seu ipse actus secundus voluntatis creatae conditionate futurus, talis actus cognosci a Deo non potest, quia hoc esset cognoscere futuribile directe et immediate in ipso futuribile, quod admitti non potest.

**845.** 3) In essentia divina quatenus est concursus conditionate collatus et principiative spectatus, seu in essentia divina in quantum efficiente actionem causae secundae, liberum conditionate futurum Deus certo cognoscere potest.

Nam actus secundus voluntatis creatae involvit concomitantem concursum divinum conditionate collatum, hinc Deus nequit videre ullam determinationem voluntatis ad talem actum secundum nisi simul videat concursum concomitantem conditionate collatum producentem cum voluntate creata hanc determinationem seu actum secundum.

Sed, nota bene, Deus non videt futuribile in tali concursu ut in unica causa, sed ut in concausa conditionate cooperante cum libera voluntate, quae pro termino habent actum secundum liberum creaturae. Neque ut in concausa praecedente actum secundum, sed in quantum ipsum actum secundum ab aeterno praesentem exhibet divinae cognitioni.

**846.** 4) In tali modo cognoscendi futuribilia:

*servatur libertas*, quia illa connexio est consequens ad determinationem creaturae, quae est conditio ut Deus concurreret;

*servatur etiam certitudo scientiae* Dei, quia hic concursus habet connexionem cum actu creaturae; *et servatur Dei independentia*, quia non cognoscit actionem creaturae in se ipsa, sed in essentia divina.

«Ceterum, ait Pesch, dummodo quis admittat res omnes a Deo cognosci in essentia sua non est magni momenti, si praeterea admittit res secundario etiam immediate in se ipsis cognosci.»

**847.** *Argumentum. a)* Concursus conditionate collatus ut est causa efficiens actionem creaturae, est indifferens ad concurrendum sic vel sic. Ergo non habet ullam connexionem antecedentem cum actione creatura futuribili. Sed neque potest habere connexionem consequenter ad determinationem voluntatis creatae futuribilem. Nam ex una parte Deus non conferret concursum hypotheticum consequenter ad determinationem futuribilem voluntatis et ad actum

(88) Hontheim, *Inst. Theol.*, n. 876 ss.—Pesch, Chr., *De Deo uno*, n. 235.

futuribilem, quia concursus hypotheticus est in signo priori ad talem determinationem et actum, secus daretur antecessio actionis futuribilis respectu collationis concursus hypothetici. Ex alia parte connexio necessaria consequens, ut iam diximus, admitti non potest.

*b)* Concursus collatus (et non mere oblatus) est ipsissima actio creaturae; inde est actio formaliter transiens, et non formaliter immanens et virtualiter transiens sicut credit Hontheim. Ergo ex una parte non potest esse essentia divina ut concurrens actu; et ex alia significat cognoscere futuribile directe et immediate in ipsa actione futuribili.

**848. Assertum VI.—Sententiae PP. Loinaz, Schaaf, Lennerz.**

P. LOINAZ (89), duplex medium in quo distinguit. Pro possibilibus essentia divina est *medium in quo rigorosum*, capacitans et determinans. Pro futuribilibus est *medium non rigorosum*, mere capacitans. Deus determinatum futuribile liberum cognoscit in sola essentia, quatenus particula *in* denotat obiectum formale specificum, sine quo per prius cognito cognoscere secundario nihil potest. Ratio autem logica huius secundariae terminationis trans primariam non est essentia Dei sed ipsum futuribile in se.

*Iudicatur.* Ut vides quaestio est verbalis; essentia est unicum obiectum formale, unica quasi species impressa, sed futuribile in se cognoscitur. Unde formula P. LOINAZ minus congrue expressa videtur, sed quoad rem meo quidem iudicio admitti potest et tandem coincidit cum nostra sententia.

**849.** *Iuxta* P. SCHAAF (90), Deus cognoscit futuribile creatum in essentia, non ut tali, sed prout identificatur cum cooperatione, quam Deus daret ad illas actiones. Ergo in illis cognoscitur tamquam in medio in quo.

*Iudicatur.* Nego antecedens. Nam si ille concursus identificatur cum essentia divina, sermo est de concursu principiative spectato et tunc in illo, in decreto hypothetico Dei, futuribile cognoscibile non est. Curnam? Quia illud decretum non habet connexionem:

*a)* Neque ab intrinseco et ex natura sua inevitabilem, siquidem tale decretum est indifferens et generale.

*b)* Neque ab extrinseco et dependenter a scientia media. Nam ante illud decretum indifferens et generale, sed mere conditionatum, non praecessit alia scientia media sub cuius lumine videretur utrum tale decretum haberet effectum, sed agitur de adquirenda nunc primum scientia media.

Si vero ait P. Schaaf: «Non ita intelligendum in nudo concurso sed Deus cognoscit illum actum ut fluentem a sese et a voluntate», tum

Respondeo: *a)* Talis actus non est medium in Deo, sed extra Deum; sermo enim est de concurso terminative spectato. *b)* Si haec cognitio vocatur cognitio in aliquo medio, in essentia tamquam in medio in quo, lis est de voce. *c)* Unde concludendum videtur idem dicere ac nos aliis verbis.

**850.** *Iuxta* P. LENNERZ (91). Deus cognoscit libera conditionate futura in decreto seu concursu divino conditionate collato terminative spectato. Nimirum:

*a)* In genere essentia divina est medium obiectivum in quo Deus omnia alia a se distincta cognoscit; nam essentia divina est fundamentum omnis esse et omnis veri. Iam sicut omnes veritates determinate fundat sic easdem quoque repraesentat.

b) *Pro cognitione possibilium* medium obiectivum in quo est sola essentia divina quatenus imitabilis ad extra.

**851.** *c)* PRO COGNITIONE FUTURIBILIUM medium obiectivum in quo est sola eadem essentia quatenus identica cum concursu conditionate collato terminative spectato.

d) *Procesus:* Futuribile habet determinatam veritatem uti probatum est. Non autem est

---

(89) *Prael. e Theol. Nat.*, p. 232; 282.
(90) *Theol. Nat.*, p. 511 ss.
(91) *De Deo uno* (1948), p. 254.

determinate verum neque determinate cognoscibile nisi extra suas causas, i. e. supposita futuritione conditionata actus liberi. Ergo verum est et cognosci potest tantum in futuritione ipsa. In quo igitur medio cognoscitur a Deo? Uti omnis veritas ita quoque veritas liberi conditionate futuri in Deo, in essentia divina fundata esse debet. Ergo in ea a Deo cognoscitur tamquam in medio in quo.

**852.** Quomodo eius veritas fundatur *in* seu cohaeret cum essentia divina? Responsio est haec: Futuribile non cognoscitur nisi in sua futuritione conditionata, in ipso actu secundo futuribili. Hic actus secundus in quantum a Deo efficitur est ipse concursus conditionate collatus terminative spectatus. Deum suum concursum in essentia sua videre patet, est enim ipsa essentia cum relatione rationis ad extra. In illo concursu videri actum secundum iterum patet, quia terminative est ipse actus secundus.

**853.** e) *Iudicatur. a)* Talis actus non est medium in Deo, sed extra Deum. *b)* Veritas futuribilis eiusque cognitio pendet a Deo et a creatura, non ab uno tantum. *c)* Ergo vel idem dicit ad nos, vel tum futuribile a solo Deo poneretur, quod est falsum.

**854. Assertum VII.—Sententiae S. Rob. Bellarmini et Molinae.**

1. Iuxta S. Rob. Bellarminum (92), futura libera conditionata cognoscuntur a Deo in comprehensione voluntatis creaturae.

Essentia enim divina, in quantum est exemplar omnis realitatis, est medium obiectivum in quo Deus cognoscit omnia alia a se distincta.

**855.** Pro cognitione futuribilium medium obiectivum in quo est eadem essentia divina in quantum est exemplar uniuscuiusque voluntatis creatae. Deus enim comprehendit suam essentiam et in ea tamquam in medio in quo, propter nexum exemplaritatis inter essentiam divinam et voluntatem humanam (immediatus relate ad voluntatem, mediatus vero relate ad futuribile), perfectissime cognoscit ac *comprehendit* talem voluntatem creatam iam in actu 1.º instructam omnibus tam ex parte Dei (inde etiam concursus hypotheticus oblatus) quam ex parte creaturarum praerrequisitis, quae quocumque modo influunt in actum secundum; et sic videt certo atque infallibiliter in singulis casibus et quidem in ipsa causa secunda, ad quid se determinaret libere voluntas et consequenter ad hanc liberam determiuationem futuribilem voluntatis creatae, cognoscit etiam certissime unum determinatum futuribile prae alio.

Ut vides haec cognitio futuribilis unius prae alio non est directe in ipso futuribile, sed potius in causa secunda proxima, seu in voluntate creaturae, quam quidem facilius coram se habet et de ea quasi melius disponit. Forsam potius verbo quam re haec sententia a nostra differat.

**856.** *Reicitur* haec sententia.

Si voluntas creaturae, etiam comprehensa, non habet necessariam connexionem cum actu futuribile, nequit esse medium obiectivum in quo Deus actum futuribilem infallibiliter cognoscat

Atqui voluntas creaturae, etiam comprehensa, nullam connexioncm necessariam habet cum actu futuribile libero. Ergo Deus non potest cognoscere futuribile determinatum prae alio in voluntate creata comprehensa in actu primo tamquam iu medio in quo.

*Maior.* Probatur ex definitione medii in quo stricte dicti.

Nam medium in quo stricte dictum est illud quod cognitum ducit in cognitionem alius eodem actu propter neccssariam connexionem medii cum re cognosceuda.

*Minor.* Nam posita hac indole voluntatis cum omnibus suis circumstantiis, actus futuribilis potest poni et potest non poni a voluntate ex eo quod sit virtualiter contentus in illa; sed eodem modo est virtualiter contentus actus futuribilis contradictorius primo, i. e. eodem modo est v. c. conversio futuribilis et non conversio futuribilis.

---

(92) *De gratia et libero arbitrio*, l. 3, c. 8, 15.

857. *Iuxta* MOLINAM (93), futura libera conditionata cognoscuntur a Deo in supercomprehensione voluntatis creaturae.

Essentia enim divina in quantum est exemplar omnis realitatis, est medium in quo Deus cognoscit omnia alia a se distincta. Haec immediate in se ipsis a Deo cognosci non possunt.

858. QUOAD COGNITIONEM FUTURIBILIUM:

*a)* Deus non potest cognoscere unum futuribile determinatum prae alio directe et immediate in ipso futuribile ex duplici ratione: 1.ª) Quia talis cognitio immediata specificaret cognitionem divinam et sic dependeret a futuribile creato. 2.ª) Quia futuribile in se ipso non habet veritatem determinatam secus non esset liberum sed necessarium.

*b)* Deus certo cognoscit unum futuribile determinatum prae alio in essentia divina (simul cum concursu hypothetico oblato) in quantum est exemplar uniuscuiusque voluntatis creatae:

Sed Deus non potest cognoscere unum futuribile prae alio in comprehensione voluntatis creaturae et circumstantiarum eius, quia inter voluutatem creatam, etiam instructam omnibus praerrequisitis, et futuribile determinatum nulla est connexio necessaria: futuribile enim in causa proxima est incertum et incognoscibile et non habet veritatem determinatam.

Deus enim comprehendit suam essentiam et in ea tamquam in medio in quo, propter nexum exemplaritatis inter essentiam divinam et voluntatem humanam (nexus immediatus relate ad voluntatem, mediatus vero relate ad futuribile), eminentissime comprehendit seu supercomprehendit talem voluntatem creabilem eiusque indolem et circumstantias omnes, quae quocumque modo influunt in actu secundo. Tali supercomprehensione modo mirabili cognoscit Deus certo ac infallibiliter aliquid determinatum ultra ea quae sunt necessario connexa cum essentia divina aut cum voluntate creaturae, nempe voluntatem transituram esse ad talem actum secundum futuribilem liberum.

859. *c)* Hoc quod libere creatura factura esset in illis circumstantiis non cognoscitur propter connexionem actuum liberorum cum voluntate et circumstantiis, sed solum propter perfectionem actus intellectus divini, qui est specificatus et determinatus ab essentia divina ad cognoscenda omnia etiam ea quae sunt incerta et incognoscibilia in suis causis proximis.

*d)* Unde futuribilia iuxta ipsum MOLINAM:

Certo cognoscuntur a Deo.

Non habent veritatem determinatam in suis causis (ergo si non in suis causis, ubinam habent nisi in se ipsis?).

Non cognoscuntur a Deo perspiciendo dispositiones subiecti antequam agat, nec propter ullam connexionem necessariam cum voluntate in actu 1.º; sed in supercomprehensione liberi arbitrii.

His positis, ut vides, sententia Molinae, verbis potius quam re discordat a nostra sententia.

860. *Refutatur* in genere ut in sententia Bellarmini.

Medium in quo stricte dictum, est illud, quod cognitum ducit in cognitionem alius eodem actu propter necessariam connexionem medii cum re cognita. Atqui voluntas creata, etiam supercomprehensa iuxta ipsum Molinam, nullam habet necessariam connexionem cum futuro libero conditionato. Ergo voluntas creata etiam supercomprehensa non potest esse medium aptum in quo Deus cognoscat futura libera conditionata.

*Maior.* Est definitio medii in quo.

*Minor.* Quia periret libertas; et hoc ipse Molina fatetur. Unde cognoscere futuribile in supercomprehensione voluntatis creatae, non significat cognoscere in ullo medio, sed in ipso futuribile propter eminentiam actus infiniti cognoscitivi Dei.

## 861. Assertum VIII.—Deus cognoscit futura libera conditionata in se ipsis.

*Terminus* IN SE IPSIS quadrupliciter sumi potest.

1. *Prouti sunt in se ipsis*, seu *secundum suum esse formale*, secundum pro-

(93) *Concordia*, disp. 52.—HELLÍN. *Theol. Nat.*, p. 625.—GISQUIÈRE. *Prael. Theol. Nat.*, 2, p. 337, 344.

priam formam individualem futuribilium. Hoc omnes de Deo admittunt. Ut vides hic praescinditur a medio.

2. Prouti sunt in se ipsis, sed *causaliter* seu per species impressas ipsorum futuribilium. In hoc sensu omnes de Deo negant. Etiam hic praescinditur a medio.

**862.** 3. Prouti sunt in se ipsis, *in sua obiectiva veritate*, quod ita intelligi debet:

a) *Negative:* Non in obiectiva veritate quam habeant futuribilia propter connexionem necessariam cum aliquo medio in quo praedeterminatum aut necessario determinatum sit futuribile antecedenter ad liberam determinationem voluntatis creatae seu positionem futuribilem actus liberi.

b) *Positive:* In sua obiectiva veritate quam habeant futuribilia in se ipsis formaliter sumptis consequenter ad decretum hypotheticum Dei et etiam consequenter ad liberam determinationem voluntatis creatae seu positionem futuribilem actus liberi.

Sic communiter intelligitur et admittitur ab omnibus qui sustinent scientiam mediam, ita tamen ut iuxta diversas acceptiones scientiae mediae cognitio fiat vel sine ullo medio obiectivo vel per medium obiectivum in quo futuribile cognoscatur, sed nullo modo praedeterminetur aut antecedenter ab intrinseco determinetur, quia tale medium iuxta patronos scientiae mediae praesupponit communiter veritatem futuribilium determinatam in se ipsis formaliter sumptis. Nexus enim necessarius et antecedens non necessitans inter medium et futuribile et nobis incomprehensibilis admitti non potest.

**863.** 4. Prouti sunt in se ipsis, sed *directe et immediate* in ipso futuribili formaliter sumpto prout eggrediente a suis causis liberis i. e. a Deo et a creatura, sine ullo medio obiectivo in quo et quidem pure terminative.

Unde in hac cognitione directa et immediata.

Essentia divina: Est *medium quo*, sicut pro omni cognitione divina.

Non est *medium in quo* stricto sensu nam futuribilia non cognoscuntur propter connexionem necessariam cum ullo medio.

Actus cognitivus Dei specificatur a cognitione immediata essentiae divinae, quae sola est quasi obiectum formale et sola cognoscitur immediate et per se.

Unde futura libera conditionata cognoscuntur pure terminative, non propter connexionem necessariam quam habent cum aliquo medio, nec quia aliquem influxum exercent in facultatem, sed cognoscuntur immediate in se ipsis propter eminentiam actus divini qui iam erat determinatus ab essentia ut ab obiecto quasi formali; et propter efficaciam speciei impressae, quae cum sit infinita in ratione speciei potest determinare ad cognitionem omnis rei cognoscibilis directe et immediate in se ipsis.

Unde Deus immediate, primo et per se attingit solum suam essentiam; immediate sed secundario etiam futuribilia.

**864.** Doctrina in hoc asserto VIII proposita est sententia P. Suárez (94)

(94) *Opus.* 2, l. 2, c. 5 et 7; *De Gratia, Prolegom.* 2, c. 8.

*et aliorum plurimorum* ut Ruiz de Montoya (95), Lessio (96), Urraburu (97), Brosnan (98), Mz. del Campo (99), Hellín (100), Dalmau (101)...

## CENSURA.

Intrinsece multo probabilior (in se ipsis intelligitur in 4.º sensu).

## PROBATUR.

**865.** I. Deus cognoscit futuribilia. Atqui non in ullo medio. Ergo solum in se ipsis directe et immediate.

*Maior.* Patet ex infinita scientia divina.

*Minor.* Quia medium aut natura sua esset infallibiliter connexum cum actu et sic tolleretur libertas; vel non esset infallibiliter connexum cum actu et sic non daret certitudinem.

Ergo Deus solummodo potest cognoscere futuribilia directe et immediate in se ipsis.

—Medium in concreto esset aliquod ex enumeratis in assertis praecedentibus. Atqui talia media iam reiecta sunt. Ergo non datur ullum medium in quo Deus cognoscat futuribilia.

**866.** II. Ad eminentiam divinae cognitionis spectat cognoscere quidquid cognoscibile est et omni modo quo cognoscibile est nisi hoc afferat impossibilitatem aut inseparabilem imperfectionem. Atqui futuribilia prout sunt in se ipsis formaliter. 1) Sunt aliquid cognoscibile. 2) Et eorum cognitio immediata non affert impossibilitatem aut inseparabilem imperfectionem. Ergo futura libera conditionata cognoscuntur a Deo directe et immediate in se ipsis.

*Minor.* 1) Quia futura libera conditionata habent determinatam veritatem ut probatum est in prima parte et quidem in se ipsis quod patet etiam ex argumento praecedenti: si enim non habent veritatem determinatam in ullo medio, ergo illam habebunt in se ipsis.

2) *Nulla datur impossibilitas:* quia ut diximus loquendo de possibilibus potest concipi intellectus divinus ope essentiae divinae determinatus ad cognoscendum quidquid cognoscibile est et obiectum se habere ad modum conditionis extrinsecae et termini: non est manifesta contradictio.

*Nulla imperfectio:* non ex eo quod cognoscat futuribilia prout sunt in se ipsis, nec ex eo quod debeat cognoscere illa per species proprias, nec ex eo quod

---

(95) *De scientia Dei,* disp. 75.

(96) *Apologia de gratia efficaci et scientia media,* c. 20.

(97) *Theodicea,* II, p. 384.

(98) *Theologia Nat.,* p. 261. Iuxta Brosnan.—In primo signo rationis Deus cognoscit futuribile directe et immediate in ipso futuribile. In secundo signo rationis supposita veritate futuribilis, iam futuribile determinatum continetur in essentia divina. Hinc exsurgit nexus exemplaritatis consequens inter essentiam divinam et futuribile, quod Deus cognoscit in essentia divina tamquam in medio in quo; sed nullo modo in medio in quo veritas futuribilis determinetur secus periret libertas. Hic secundus modus cognoscendi futuribilia, ut iam diximus, admitti non potest.

(99) *Theolog. Nat.,* p. 314.

(100) *Theolog. Nat.,* p. 620.

(101) *De Deo uno et trino,* p. 135.

talis cognitio directa et immediata importaret in Deo actum distinctum, nec ex eo quod daretur cognitio divina non per ultimas causas. Haec omnia iam exclusa sunt cum loquuti sumus de cognitione directa et immediata possibilium.

**867. Assertum IX.—Unde, cum Deus certo cognoscat futura libera conditionata ante et independenter ab omni decreto absoluto actuali, admittenda est scientia media.**

Hoc assertum est corollarium theseos praecedentis, ut patebit ex dicendis.

**868.** Scientia media: a) *Vi nominis* est quasi medium locum tenens inter aliquas divisiones bimembres scientiae divinae; non per totalem exclusionem utriusque extremi, sed per quamdam simul participationem et differentiam ab eis;

b) *realiter* est cognitio certa et infallibilis liberorum conditionate futurorum ante et independenter ab omni decreto absoluto actuali. Unde elementa requisita et sufficientia ad scientiam mediam sunt: cognitio Dei certa et infallibilis de determinato futuribili libero. Et hoc ante et independenter ab omni decreto absoluto actuali.

**869.** Est quidem media:

*Inter scientiam simplicis intelligentiae et scientiam visionis.*

Nam: *Scientia simplicis intelligentiae* versatur circa possibilia ut talia. *Scientia visionis* versatur circa ea quae absolute futura erunt (Etiam praesentia et praeterita). *Scientia media* versatur circa actus liberos creaturarum conditionate futuros.

*Inter scientiam necessariam et liberam.*

*Sc. necessaria simpliciter* seu absolute, i. e. tam ex parte obiecti quam ex parte Dei. Talis est scientia Dei de se Ipso et de possibilibus. *Sc. libera simpliciter*, i. e. tam ex parte Dei quam ex parte creaturae. Talis est scientia de rebus creatis, exsistentibus in aliqua temporis differentia, v. c. circa futura libera absoluta, quae pendent a libera voluntate Dei et a libera voluntate creaturae. Et solummodo potest dici necessaria tam ex parte Dei quam ex parte creaturae suppositis libera Dei determinatione concurrendi et libera determinatione creaturae. *Sc. partim necessaria, partim libera:*

*Talis est scientia media:* non est simpliciter necessaria, quia futuribile quamvis remaneat pure possibile, non consideratur ut pure possibile et pendet a libera creaturae determinatione. Item non est simpliciter libera, quia non pendent ab ullo libero Dei decreto actuali. *Est partim necessaria* quia sub illis conditionibus et praesupposita veritate futuribilis, Deus necessario illud futuribile cognoscit. *Est partim libera*, nempe ex parte creaturae, quae sub illis circumstantiis aliud facere posset; Deo tamen est contingens, non vero libera. Sed supposita libera determinatione futuribili voluntatis creatae est necessaria etiam ex parte creaturae.

**870.** IMPUGNATORES SCIENTIAE MEDIAE. *Schola thomista* negat scientiam mediam, quia etsi thomistae concedant Deum cognoscere futuribilia, docent tamen ea cognoscere dependenter a decreto absoluto actuali, nempe a decreto subiective absoluto et obiective conditionato.

*Schola franciscana* seu scotistae negant etiam scientiam mediam; iuxta ipsos Deus cognoscit futuribilia in decretis condeterminantibus subiective absolutis et obiective conditionatis.

**871.** DEFENSORES SCIENTIAE MEDIAE. Scientiam mediam, prout explicata manet in definitione, admittunt *omnes auctores S. I.* ut FONSECA, MOLINA, SUÁREZ (102), S. BELLARMINUS, LESSIUS, RUIZ DE MONTOYA, etc... et plurimi diversis scholis addicti ut TOURNELY, S. FRANCISCUS SALESIUS, S. ALPHONSUS MARIA DE LIGORIO, GISQUIÈRE, etc...

In Systemate scientiae mediae est quaestio maximi momenti certa futuribilium cognitio ut congrua futurorum absolutorum liberorum certa cognitio haberi possit. Utique tam in systemate thomistico quam in molinistico mysterium remanet; hoc aptius reponitur in scientia divina ut faciunt molinistae, quam in ipsa libertate hominis (experientiae subiecta) ad placitum thomistarum.

At duplex datur genuina acceptio scientiae mediae:

*1.ª acceptio* est illorum, qui dicunt Deum cognoscere futuribilia ante et independenter ab omni decreto absoluto actuali sed semper in aliquo medio in quo (essentia divina, concursus hypotheticus, voluntas creaturae, etc...). Ita iuxta ipsos salvatur cognitio Dei certa et infallibilis de futuribile et libertas creaturae.

*2.ª acceptio* est eorum qui sustinent Deum cognoscere futuribilia ante et independenter ab omni decreto absoluto actuali, et quidem immediate in ipsis futuribilibus sine ullo medio obiectivo in quo. Sic melius salvatur et cognitio divina infallibilis et libertas creaturae.

**872.** DIVERSA SIGNA RATIONIS (diversos momentos logicos). Videamus iuxta nostram sententiam quomodo Deus cognoscit v. c. negationem Christi a Petro factam in atrio pontificis.

*1. signum. a)* Petrus possibilis et possibilitas negationis Christi a Petro in atrio Pontificis: Petrus potest negare et potest non negare Christum. Est possibile in se ipso formaliter constitutum.

*b)* Deus per scientiam simplicis intelligentiae cognoscit quid potest facere Petrus, i. e. cognoscit ut possibilem negationem Christi.

*2. signum.* Petrus possibilis, si crearetur et in atrio Pontificis ab ancilla tentaretur et si Deus concurreret concursu debito, Christum negaret. Est futuribile in se ipso formaliter constitutum seu determinatio actus futuribilis ex parte creaturae.

*3. signum.* Deus per scientiam mediam cognoscit ut futuribilem negatio-

---

(102) DUMONT, P., S. J., *Liberté humaine et Concours divin d'après Suárez*, c. 3 (Paris, 1936).—SAGÜÉS, S. J., *Suárez ante la Ciencia media:* EstEcles, 22 (1948), 265-310.—GONZÁLEZ, S. J., *Un tratado inédito de Suárez, S. J., sobre la ciencia media:* «Miscelánea Comillas», IX (1948).—DESCOQS, S. J., *Science Moyenne:* ArchPh (1924), v. 2, cah. 2, p. 254-260.

nem Christi, i. e. quid Petrus liber determinate faceret sub illis adiunctis. Hucusque nullum est decretum actuale absolutum, sed tantum decreta hypothetica.

*4. signum.* Deus decreto actuali absoluto decernit creare Petrum et concurrere concurso debito ad actionem Petri, qui tentabitur ab ancilla in atrio Pontificis et negabit Christum. Est futurum in se ipso formaliter constitutum seu determinatio actus futuri ex parte creaturae.

*5. signum.* Deus cognoscit ut absolute futuram et liberam negationem Christi eamque contemplatur ut exsistentem in aliqua differentia temporis per scientiam visionis.

## PROBATUR.

**873.** I. Scientia media est cognitio certa et infallibilis futuribilium ante et independenter ab omni decreto absoluto actuali. Atqui Deus cognoscit certo et infallibiliter futuribilia et quidem ante et independenter ab omni decreto absoluto actuali. Ergo scientia media quoad rem ipsam admittenda est.

*Maior.* Est definitio scientiae mediae.

*Minor.* Iam reiecta sunt in praecedentibus talia decreta absoluta actualia. Et praeterea illud decretum absolutum nec conduceret ad futuribile formaliter constituendum, quia formaliter constituitur per non exsistentiam nunc, exsisteret autem postea sub conditione; nec efficienter, quia cum agatur de exsistentia non absoluta sed conditionata omnia decreta, quae circa illam versentur debent hypothetice seu conditionate procedere. Item nos probavimus Deum illa cognoscere immediate in se ipsis.

**874.** II. Congrua tum futurorum absolutorum cognitio tum divinae Providentiae explicatio, scientiam mediam, prout explicata manet, exigit. Ergo scientia media admittenda est.

*Antecedens.* Nam si decretum absolutum est antecedens, independens a voluntate creata et absolute efficax, in tuto futurorum cognitio collocatur sed laesa libertate hominis. Si vero decretum absolutum est indifferens, quamvis Deus possit cognoscere futurum absolutum in ipso futuro consequenter ad tale decretum, ut videbimus postea, tale decretum caece ex parte Dei datur, quod in Deo repugnat.

**875. SCHOLIUM. De scientia media reflexa.**

*Scientia media directa* est illa, quae versatur circa conditionata creaturis immediate libera; unde Deus scientia media directa cognoscit quid creatura libere sub determinatis adiunctis operaretur, v. c. si Petrus audiret concionem et Ego concurrerem concursu debito, converteretur.

*Scientia media reflexa* versatur solummodo circa decreta conditionate futura quae Ipse Deus libere poneret; unde scientia media reflexa Deus cognoscit quid Ipse libere decerneret in determinatis adiunctis pendentibus a se solo vel etiam a libertate creaturarum. Si ego crearem alium

mundum, permitterem vel non permitterem ibi peccatum. Si Petrus auditione concionis et concursu debito converteretur, Ego ulterius determinarem dare vel determinarem non dare ei auxilia efficacia usque ad mortem.

Scientiam mediam directam, ut vidimus, omnes molinistae admittunt. Quoad scientiam mediam reflexam disputatur inter ipsos molinistas utrum admittenda sit necne.

*Alii* cum ipso Molina negant Deo scientiam mediam reflexam.

*Plerique* Suareziani et Molinistae, Suárez, Vázquez, Fonseca, Wirceburgenses, Mendive... admittunt in Deo etiam scientiam mediam reflexam: habent enim determinatam veritatem tum propositiones conditionales de futuribilibus liberis creaturis, tum etiam propositiones de futuro conditionato ipsius voluntatis Dei. Ergo in Deo admittenda est tum scientia media directa tum scientia media reflexa.

## 876. OBIECTIONES.

1) Essentia divina est medium quo pro omni cognitione. Atqui inter medium quodlibet et id quod per medium cognoscitur oportet esse nexum, qui non datur inter essentiam divinam et futuribile in se ipso immediate cognito. Ergo Deus non cognoscit futuribile in se ipso.

Resp. Conc. mai.

Ad min.: Conc. primam partem et distinguo 2 partem. Supposito futuribile in se ipso formaliter constituto non datur ullus nexus Nego; non supposito futuribile Tr.

Explicatio. Intellectus divinus est determinatissimus ex essentia divina ad cognoscendum quidquid cognoscibile est. Et primum quidem cognoscit futuribile ut possibile, deinde constituto futuribile formaliter in se ipso tamquam conditio sine qua non, intellectus divinus ad illud terminatur.

2) Essentia divina ut medium quo formale ad summum potest determinare intellectum in genere et quasi in communi, quod non sufficit ad cognoscendum hoc futuribile secundum suum esse formale. Ergo nullatenus futuribile potest cognosci in se ipso.

Resp. Nego antecedens. Modo nobis impervio in hac vita (et hoc debent admittere omnes) determinat intellectum divinum ad cognoscendum in se ipso formaliter quidquid cognoscibile est.

3) Veritas obiectiva futuribilium in hac sententia se habet ut conditio qua posita determinatio divini intellectus ad cognoscendum quidquid cognoscibile est in genere, transit in determinationem ad cognoscendum hoc individuum. Atqui haec explicatio est manifeste nulla, siquidem non sufficit conditio, requiritur obiectum per se vel per speciem vicariam influere et determinare. Ergo reicienda est.

Resp. Conc. mai.

Nego minorem.

4) Veritas obiectiva futuribilium nihil reale est extra intellectum apprehendentem ipsam. Atqui repugnat ut sit conditio realis ex qua esset expectanda determinatio, illud quod non est reale. Ergo Deus non potest cognoscere futuribilia immediate in ipso futuribile.

Resp. Dist. mai. Futuribile non est nec erit aliquid reale physicum C.; non esset aliquid reale physicum et inde non habet suam obiectivitatem realem, intelligibilitatem propriam ipsius extra intellectum Nego.

Cont. min. Quod non est reale neque physicum neque metaphysicum Conc. Quod non est nec erit reale physicum, sed esset et inde habet suam intelligibilitatem propriam extra intellectum; illud non potest... Nego.

5) Deus non potest cognoscere certo illud quod non habet determinatam veritatem. Atqui propositio conditionalis de futuribile antecedenter ad decretum divinum non habet determinatam veritatem. Ergo non potest cognosci a Deo independenter a decreto.

Resp. Conc. mai.

Dist. min. Non est determinata antecedenter ad decretum actuale absolutum Dei Neg.; antecedenter ad decretum conditionatum simpliciter C.

Disting. pariter consequens.

6) Quae numquam erunt nequeunt habere determinatum esse, determinatam veritatem. Atqui futuribilia numquam erunt, sed tantum essent si... Ergo futuribilia in se ipsis non habent determinatam veritatem.

Resp. Disting. mai.: Quae numquam erunt... neque absolute neque conditionate C.; quae numquam erunt absolute, sed erunt vel essent conditionate N.

Cont. min. et nego consequens.

7) Cognitio futuribilium in se ipsis, facit pendere praescientiam divinam a futuribile. Atqui hoc est absurdum. Ergo Deus non cognoscit futuribilia in se ipsis.

Resp. Distin. mai. dependentia propria seu causali Neg.; dependentia impropria, pure obiectiva tamquam a conditione C.

Contr. min. et nego consequens.

8) Futuribile eatenus haberet esse seu exsistentiam, veritatem determinatam quatenus produceretur in virtute decreti divini. Atqui in tua sententia adhuc non datur decretum. Ergo non potest certo in hac sententia videri.

Resp. Distin. mai. in virtute decreti divini hypothetici C.; actuali absoluti, praedeterminantis Neg.

Cont. min. Non datur decretum actuale C.; nec hypotheticum N.

Explicatio. Necesse non est ut actu detur decretum pro exsistentia futuribilis seu futuri conditionati. In illo signo omnia decreta sunt hypothetica.

**877.** 9) Si futuribile cognosceretur immediate in ipso, esset veritas per se nota. Atqui futuribile non est veritas per se nota. Ergo non cognoscitur in se ipso.

Resp. Distin. mai. i. e. caret medio in essendo Neg.; caret medio in cognoscendo stricte dicto C.

Contr. min. i. e. non caret medio in essendo (decretum divinum hypotheticum) Conc.; non caret medio in cognoscendo Nego.

10) Ita se habet decretum omnino absolutum ad absolute futurum sicut decretum conditionatum in ordine ad futuribile. Atqui nihil potest esse absolute futurum sine decreto Dei omnino absoluto. Ergo nec futuribile sine decreto conditionato.

Resp. Dist. mai. Ita se habet... sicut decretum conditionatum actu exsistens in Deo (subiective absolutum et obiective conditionatum). Nego. Sicut decretum omnino conditionatum C.

Conc. min. et distinguo pariter consequens.

11) Posita cognitione futuribilis independenter a decreto (actuali) vel posset Deus velle oppositum vel non. Atqui si posset iam praedicta scientia non esset infallibilis. Si non posset manifeste imminuta apparet omnipotentia et libertas Dei. Ergo Deum non potest cognoscere futuribile in ipso futuribili.

Resp. Conc. mai. et eligo primum membrum:

*a)* Potuit Deus stante notitia conditionata (v. c. quod si David remaneret Ceilae traderetur Sauli a Ceilitis) nolle ut reapse David de facto tradatur. Quomodo? Mutando conditionem v. c. si David fugeret ab urbe non traderetur a Ceilitis. Nec ideo falsificatur scientia Dei: ex eo enim quod non tradatur de facto sequitur quod de facto non traditus sit, sed obiectum scientiae mediae remanet verum: si remaneret Ceilae traderetur Sauli.

*b)* Stante notitia conditionata v. c. quod si Petrus crearetur et si tentaretur ab ancilla in atrio Pontificis et si ego concurrerem concursu debito negaret Christum... adhuc Deus potest velle oppositum et facere illud decreto suo actuali necessitando voluntatem (ad bonum) vel negando concursum consentaneum. Sed si Deus non vult uti sua potestate, sed libere vult suo decreto actuali purificare omnes illas conditiones, iam non potest impedire negationem, quam Petrus etiam in illo signo posset impedire, ut patet ex saepe dictis.

**878.** 12) In sententia scientiae mediae, si ponitur concursus ex parte conditionis tollitur libertas; si non ponitur concursus ex parte conditionis futuribile dari non potest. Ergo scientia media admitti non potest.

Resp. Dist. antec. Si ponitur concursus indifferens in actu 1.º ex parte conditionis et concursus in actu 2.º ex parte conditionati N.; aliter Tr.

Explicatio. Concursus in actu 1.º est decretum conditionale de offerendo concursu ad omnia et de non suspendendo concursu apto in ipsa operatione creaturae; haec autem decreta conditionalia non sunt absoluta sed virtualiter indifferentia et ideo non tollunt libertatem. Concursus autem in actu 2.º est ipsa actio Dei externa, quae est ipsa actio creaturae et haec scitur consequenter ad positionem ipsius actus et ideo non tollitur libertas.

13) Ex scientia media sequitur Deum concurrere inconscie. Atqui hoc est absurdum. Ergo scientia media est absurda.

Resp. Nego maiorem.

14) Nam non cognoscit actiones creaturae nisi consequenter ad hoc quod sint positae. Atqui actio creaturae est eadem actio divina. Ergo Deus cognoscit suam actionem consequenter ad hoc quod sit posita. Ergo ipsa positio est inconscia.

Resp. Dist. maiorem consequenter ad hoc quod sint positae cum iuvamine conscio divino C.; sine iuvamine conscio N.

Conc. min.

Dist. pariter consequens: consequenter ad hoc quod sit posita sine conscientia N.; cum conscientia C.

Nego ultimum consequens.

879. 15) Inter existens et possibile non datur medium. Atqui scientia media versatur circa aliquid medium inter exsistens et possibile. Ergo scientia media versatur circa nihil.

Resp. Dist. mai. Inter possibile et exsistens sive absolute sive conditionate C.; inter possibile et absolute exsistens non datur medium Subd. quoad esse seu entitatem physicam actualem C.; quoad cognoscibilitatem N.

16) Inter contradictoria non datur medium. Atqui scientia necessaria Dei (scientia simplicis intelligentiae) et libera (scientia visionis) contradictorie opponuntur. Ergo inter scientiam simplicis intelligentiae et visionis non datur scientia media.

Resp. Conc. mai. et nego minorem.

Explicatio. Scientia libera potest esse duplex:

*a)* Scientia visionis quae versatur circa obiectum quod erit ex libera determinatione creaturae et ex libera voluntate divina dante concursum.

*b)* Scientia media quae versatur circa obiectum quod esset sub conditione; et sub hac conditione est libera solum ex parte creaturae non autem ex parte Dei.

17) Repugnat ex terminis ipsis aliquid contingens et creatum non esse sub libera potestate Dei. Ergo absurdum est ut Deus non posset efficere ne creatura velit id quod ipsa creatura posset non velle.

Resp. Dist. antec. Repugnat... absolute et nulla facta suppositione C.; facta suppositione, quod Deus libere voluit talia dare creaturae auxilia talemque concursum et insuper in talibus adiunctis eam constituere ut in manu eius electionem ac determinationem reliquerit, Nego.

880. 18) Obiectum scientiae mediae, quod est futuribile praesupponit scientiam mediam. Atqui scientia media praesupponit veritatem futuribilis. Ergo datur mutua prioritas, mutua dependentia obiecti futuribilis ab scientia.

Resp. Nego maiorem.

19) Veritas futuribilis supponit concursum Dei cum creatura. Atqui concursus Dei non potest dari nisi prius cognoscat Deus quid creatura ageret ut exacte et simul coincidat cum creatura in agendo. Ergo obiectum scientiae mediae praesupponit scientiam mediam.

Resp. Disting. mai.: supponit concursum seu decretum hypotheticum C. Supponit decretum absolutum N.

Contrad. min. Et haec praecognitio «quid ageret creatura» est neccesaria ante decretum absolutum ut res executioni possit prudenter mandari ab agente intellectuali C.

Illa praecognitio requiritur ante decretum hypotheticum ad constitutionem intrinsecam veritatis futuribilis ut propositio sit ontologice vera N.

Explicatio.

In futuribili tria considerari possunt:

1) *Constitutio veritatis futuribilis*, quae obtinetur:

—Conditione seu coniunctione hypothetica Omnipotentiae cum creatura ad cooperandum cum illa secundum ipsius indolem et ad hoc non praerrequiritur scientia media.

—Nexu inter conditionem et conditionatum.

—Ipso conditionato seu ipso futuribile formaliter sumpto; et ad hoc non praerrequiritur scientia media.

2) *Simplex executio futuribilis.* Si Deus vult ut futuribile transeat ad actualem exsistentiam, sufficit ut cognoscat creaturas cum quibus vult coniungere suam omnipotentiam secundum indolem earum, et detur decretum Dei absolutum illam coniunctionem faciendi; Decerno concurrere. Posita vero hac voluntate Dei, omnipotentia divina manet sufficienter applicata, et Deus potest cognoscere certo illum futurum absolutum directe et immediate in ipso futuro. Ut patet ad hoc neque requiritur ulla scientia media seu ulla praevia cognitio futuribilis.

3) *Executio prudens futuribilis.* Ut Deus prudenter faciat decretum absolutum quo executioni mandet (exsistat actu) futuribile, debet praescire per scientiam mediam quid faceret creatura in illis adiunctis: secus Deo, ex solo decreto absoluto, erit impraevisum et casuale quid erit de facto et insuper non salvatur providentia divina.

Sed illa scientia media facile a Deo adquiritur, nam praevie ad praescientiam futuribilis iam constituta est tota veritas futuribilis ideoque ad illam infallibiliter potest terminari.

Unde scientia media praesupponit veritatem futuribilis, sed veritas futuribilis non praesupponit scientiam mediam.

## ARTICULUS VI

### De scientia visionis: de facto cognitionis contingentium absolute futurorum

**THESIS 36. Libera absolute futura cognoscuntur a Deo quin eorum praevisio necessitet voluntatem creaturae.**

881. **Bibliographia.**—S. Th., 1, q. 14, a. 13; 1 CG, c. 67.—Suárez, DM 30, 15, 31-32; *De Deo uno*, l. 3, c. 3; *Opusc.* 2, *De scientia futurorum contingentium*, l. 1, c. 1, 2, 9.—Molina, *Concordia* in I, q. 14, a. 13.—Ruiz de Montoya, *De scientia Dei*, disp. 21.—Franzelin, *De Deo*, th. 44.—Hontheim, *Insl. Theod.*, p. 592 ss.—Urraburu, *Theod.*, 2, p. 201-231.—Boedder, *Theol. Nal.*, p. 202.—Brosnan, *Theol. Nal.*, p. 232.—Muncunill, *De Deo uno*, n. 340-344; 378-382.—Loinaz, *Prael. e Theol. Nat.*, p. 256 ss.—González Álvarez, *Teología Natural*, p. 453 ss. — Hellín, *Theol. Nal.*, p. 649 ss.

882. **Nexus.** Egimus in thesi praecedenti de cognitione futurorum conditionatorum et de scientia media. Nunc de cognitione futurorum absolutorum et de scientia visionis agendum est.

### 883. NOTIONES.

Scientia visionis est illa qua Deus cognoscit ea, quae exsistunt in aeternitate vel in aliqua temporis differentia, sive nobis sint praesentia sive praeterita sive futura, Deo autem semper praesentia.

*Praesens* est illud factum quod est hic et nunc. Praesentia est forma denominans praesens.

*Praeteritum* est illud factum quod fuit, sed hic et nunc iam non est.

*Praeteritio* est forma denominans praeteritum i. e. exsistentia antea et non exsistentia nunc.

884. **Futurum** est illud factum quod nunc non est, sed erit (vel esset) postea.

In re futura datur: et res, quae est futura velut tale peccatum et ratio futuri seu futuritio, quae se habet ad rem futuram fere sicut forma ad materiam.

885. Divisiones futuri:

*F. absolutum* seu simpliciter est id quod de facto erit. Enuntiatur per propositionem absolutam v. c. Petrus cras peccabit ideoque habet veritatem absolutam. *F. conditionatum* vel futuribile est id quod erit vel esset sub quadam conditione.

*F. necessarium:* est illud quod ita procedet a suis causis ut nequeat non fieri; seu est illud quod erit effectus causae secundae necessariae v. c. lapis cadet.

*F. contingens:* est illud quod ita procedet a suis causis ut potuisset non procedere; seu est id quod erit effectus causae contingentis.

**866.** Hoc futurum contingens potest esse:

*F. extrinsece contingens:* est illud quod erit effectus causae intrinsecae necessariae, sed extrinsece contingentis, quae potuerit non operari ob aliquod impedimentum extrinsecum, non vero quia ex se habeat potestatem cohibendi suum effectum. *F. intrinsece contingens:* est illud quod erit effectus causae liberae seu causae intrinsece indeterminatae ad unum, quae habet dominium sui actus et effectus.

**887.** *F. humanum* est illud factum quod procedet ab homine v. c. Petrus peccabit. *F. divinum* est illud factum quod procedet a solo Deo seu illud quod solus Deus aliquando faciet v. c. Deus dabit Petro gratiam.

**888.** *Futurum formale* (futurum ut praesens) est futuıum consideratum secundum esse, quod habebit et quo erit formaliter in se ipso.

*Futurum causale* (futurum ut futurum) est futurum consideratum secundum esse quod habet in causa. Sic peccatum hodiernum Petri, heri erat futurum ut futurum si considerabatur in Petro; erat futurum ut praensens si considerabatur in se quale hodie formaliter est.

**889.** **FUTURITIO** *in genere* est forma vel ratio futuri ut talis.

*Futuritio causalis* est forma qua futurum causale constituitur. Est determinatio sive dispositio aut inclinatio causarum in praesenti exsistens connexa cum futuro eventu. (Est extrinseca rei futurae.)

Futuritio causalis *simpliciter talis* datur cum praedicta connexio est infallibilis neque impediri potest ut accidit in praedeterminatione physica. Futuritio causalis *secundum quid* datur cum connexio praedicta impediri potest, ut accidit in decretis indifferentibus.

*Futuritio formalis* (intrinseca rei futurae) est forma qua futurum formale constituitur et consistit in hoc duplici elemento:

—Res nunc non est—erit autem postea. Primum elementum non est reale intrinsecum, sed est extrinsecum rei futurae et sic denominatio futuri adaequate sumpta non est realis, sed solum inadaequate.

F. formalis *adaequata:* consistit in duplici elemento exposito et planum est numquam posse exsistere actualiter secundum illa duo elementa quia sunt contradictoria. Futuritio formalis *inadaequata* est unum elementum ex duobus illis antea enumeratis.

Unde futuritio formalis adaequata est partim extrinseca (non est aliquid reale) partim intrinseca (est aliquid reale) rei futurae. Et convenit rei de praesenti hic et nunc quatenus tota simul enuntiatur per propositionem:

—non esse rei nunc—esse autem postea—; non vero quia totum illud quod vox futurum dicit detur physice de praesenti nisi sumatur futurum solum causaliter; nullo modo si sumatur pro re quae in se erit extra causas aliquando.

Item futuritio causalis est causa futuritionis formalis, nam praesens causarum determinatio aut dispositio inducit in sequenti instanti vel tempore exsistentiam effectus in se. Ergo futuritio causalis distinguitur a formali.

**890.** Propositio de futuro potest esse indeterminate et determinate vera. *Est determinate* vera seu habet veritatem determinatam cum enuntiat de uno subiecto unum solum extremum eventurum esse ex duobus contradictoriis et illud eventurum est. Si autem illud quod enuntiatur non est eventurum, tum haec propositio est determinate falsa est opposita est determinate vera. V. c. Petrus crastino die peccabit; Petrus crastino die non peccabit. *Est indeterminate vera* seu habet veritatem indeterminatam cum enuntiat disiunctive de uno subiecto duo praedicata contradictoria non determinando quodnam ex his eventurum sit; v. c. Petrus crastino die peccabit aut non peccabit.

**891.** Necessitas in genere est determinatio ad unum.

*Necessitas antecedens* seu absoluta est impossibilitas omittendi actum orta ex aliquo antecedente (causa vel praerrequisito) quod fert secum inevitabilem positionem actus independenter a voluntate.

Vocatur necessitas *in sensu diviso* seu ex parte causae et praerrequisitorum; vel etiam necessitas consequentis, quia ipsum consequens, ipse actus in se est necessarius seu necessario ponitur. Exemplum habes in praedeterminatione physica, quae iuxta nos tollit libertatem creaturae: est enim *a)* praerrequisitum antecedens ad volendum; *b)* independens a voluntate; proinde voluntas non habet dominium supra praemotionem *c)* infert inevitabiliter actum voluntatis; unde voluntas non habet dominium sui actus, non potest evitare illum posita praemotione.

*Necessitas consequens* vel hypothetica est impossibilitas omittendi actum orta ex suppositione quod actus liber ponitur in aliqua differentia temporis.

Vocatur etiam necessitas *in sensu composito* vel etiam necessitas consequentiae quatenus necessaria est haec consequentia: dum peccatum Petri est, impossibile est non esse. Petrus peccat hic et nunc, ergo impossibile est non peccare. Petrus iam peccavit de facto. Ergo impossibile est illum non peccasse de facto. Petrus peccaturus est aut peccabit de facto. Ergo impossibile est illum non esse peccaturum de facto libere.

## 892. STATUS QUAESTIONIS.

1. *Non est sermo* hic de rebus praesentibus nec de praeteritis quia nulla est difficultas circa eorum cognitionem: cum enim habeant determinatam veritatem etiam nos illas cognoscimus, ergo a fortiori Deus utpote infinite sapiens, et quidem in se ipsis iuxta nos.

**893.** 2. Agimus de futuris et quidem de futuris absolutis, contingentibus, intrinsece contingentibus, humanis et de cognitione divina, infallibili et ab aeterno.

3. Non est sermo de futuris necessariis sive primae sive causae secundae, quippe quae iam determinata sunt in suis causis: ibi, in suis causis causatum habet esse determinatum unde in illis causis cognoscuntur a Deo et iuxta nos etiam in se ipsis.

4. *Nec sermo est* de futuris extrinsece contingentibus, quia quamvis in causa proxima cognosci non valeant, tamen in cognitione totius complexus causarum, quae ad effectum concurrunt, evidenter cognosci possunt.

5. *Nec agimus* de futuris liberis divinis, nempe de his quae solus Deus libere aliquando faciet, nec potest Deus non cognoscere.

**894.** 6. Difficultas in illis cognoscendis stat in hoc:

Si ea Deus videt certo et infallibiliter necessario erunt. Si non videt certo et infallibiliter, non datur in Deo perfecta scientia. Si ponitur in Deo visio istorum futurorum in tempore, scientia divina variabilis esset. Item in suis causis certo cognosci non possunt utpote quae liberae sunt et indeterminatae ad unum. Unde cognitio causae liberae ad summum procurabit nobis notitiam coniecturalem probabilem, aliquando moraliter certam effectus futuri, at numquam prorsus infallibilem. Nec cognosci possunt in se ipsis, quamdiu enim actus liber futurus nondum de facto eggressus est a sua causa, videtur ipsam futuritionem absolutam (i. e. quod de facto sit futurum) non esse intelligibilem utpote non determinatam, et sic a nullo intellectu cognosci posse.

## 895. ADVERSARII.

1. Cicero *(De divinatione*, 1-2, n. 7) negavit Deo praescientiam futurorum ut salvaret libertatem hominis.

2. Abaelardus vero existimavit Deum falli posse in cognitione futurorum liberorum.

3. Sociniani tribuebant Deo solam cognitionem coniecturalem illorum futurorum.

4. Stoici et Marcion, Celsus, Wicleffus et alii ethnici et haeretici affirmarunt pro Deo divinam scientiam, negarunt vero homini libertatem sub praescientia divina futurorum.

### CENSURA.

Certa in Philosophia; de Fide catholica definita in Theologia (DB 321; 719; 723; 1784).

### PROBATUR.

**896.** I. *(Ex facto Providentiae divinae.)*

Deus habet providentiam cunctarum rerum et quidem specialem circa hominem. Atqui haec supponit in Deo cognitionem omnium futurorum absolute liberorum. Ergo libera absolute futura cognoscuntur a Deo.

*Maior.* Infra probatur.

*Minor.* Providentia est ordinatio divina ab aeterno statuens dirigere creaturas aptis mediis ad suos fines. Iam vero ut Deus hominem infallibiliter ab aeterno dirigat ad finem ad se propositum salva eius libertate, scire debet ab aeterno omnes actiones liberas absolute futuras, quas creatura ponet in tempore; seu quid illa sub determinatis adiunctis de facto electura sit, secus non posset habere specialem providentiam circa hominem. Sic: si non praesciret Deus ab aeterno et infallibiliter Paulum se conversurum in determinatis adiunctis in via Damasci, non posset, salva libertate Pauli, decernere ab aeterno et infallibiliter praedicationem Evangelii a Paulo factam determinatis gentibus, nec salvationem ipsius Pauli.

**897.** II. *(Ex infinita scientia divina.)*

Cognoscere futura coniecturaliter habetur ab omnibus ut magna perfectio intellectus; cognoscere eadem certo summa perfectio eius est. Atqui Deus est infinite perfectus in cognitione. Ergo Deus certissime cognoscit omnia futura libera absoluta.

*Maior.* Ab omnibus admittitur. Unde si est magna perfectio cognoscere illa certo et non possunt cognosci nisi habeant determinatam veritatem. Ergo illam habent et quidem ab aeterno.

**898.** III. *(Ex veritate determinata futurorum.)*

Deus ab aeterno cognoscit omnem veritatem. Atqui propositiones de futuro libero habent determinatam veritatem. Ergo Deus ab aeterno cognoscit omnia futura libera absoluta.

*Maior* Est manifesta ex infinita scientia Dei.

*Minor.* 1) Sit exemplum: Petrus in atrio Pontificis negabit aut non negabit Christum.

*Disiunctive* verum est Petrum aut negare aut non negare Christum. Sed tum illa propositio habet veritatem indeterminatam, siquidem ex duobus contradictoriis non determinat quodnam eventurum sit.

*Propter principium contradictionis* simul negare et non negare non potest: duae enim propositiones contradictoriae simul verificari non possunt; sed una erit necessario vera et opposita erit necessario falsa. Revera contradictio non magis determinat ad veritatem unius propositionis quam alterius. Tamen

*Propter principium exclusi medii* voluntas creata libera determinat quaenam ex propositionibus est determinate vera: nam in actu primo completo constituta et in determinato tempore determinatum actum secundum ponet, —nihil enim a parte rei seu physice potest esse indeterminatum—aut negationem aut non negationem. Utrumque est incertum pro nobis; nos futura non possumus numquam cognoscere nisi in suis causis secundis; et quidem futura necessaria cum certitudine modo causas secundas rite cognoscamus; futura vero libera nonnisi cum probabilitate vel ad summum cum certitudine morali. Sed unum in se certissimum est et proinde ab aeterno habet veritatem determinatam independenter a qualibet cognitione.

2) Libera absolute futura v. c. Petrus negabit Christum, aliquando erunt de facto; unde in aliqua temporis differentia: Petrus negat de facto Christum. Haec postrema propositio habet determinatam veritatem et certissime cognoscitur a Deo. Ergo negatio absolute futura etiam habet determinatam veritatem, quia ab aeterno enuntiata illa propositio in quolibet momento est conformis cum realitate (actu enim exsistere vel actu non exsistere, si exstiturum sit, ad constitutivum cognoscibilitatis futuri formalis nihil confert) et sic Deus debet cognoscere ab aeterno illam negationem etiam ut absolute futuram; secus haberet in aliqua temporis differentia alicuius rei ignorantiam, quae repugnat infinitae scientiae divinae.

Immo quoniam pro intellectu divino nihil est futurum (quamvis una res sit futura respectu alterius) Deus scientia visionis videt illam negationem ut praesentem eo quod intuitus divinus terminatur ad futurum liberum ut eggrediens ex causis secundis, i. e. secundum quod praesentialiter est iam in actu.

**899.** IV. *(Salva libertate creaturae.)*

Praescientia divina futurorum liberorum absolutorum fert secum necessitatem consequentem. Atqui necessitas consequens non tollit libertatem creaturae. Ergo neque praescientia divina tollit libertatem.

*Maior.* Praesentia divina refert necessitatem, quam habet ipsa res futura. Atqui res futura habet solummodo necessitatem consequentem. Ergo etiam praescientia fert secum solum necessitatem consequentem.

*Minor.* Necessitas consequens non tollit libertatem quia praesupponit logice actum liberum positum pro aliqua differentia temporis et asserit impossibile esse actum liberum iam positum non poni in illa differentia temporis.

**900. SCHOLIUM. De obiectivitate futuri.**

*Obiectivitas in genere*, intelligibilitas, cognoscibilitas, determinata veritas, est illud ad quod terminatur cognitio.

Obiectivitas *futuri absoluti* est obiectivitas entis possibilis connotans esse deinde absolute actu in re. Est exsistentia non nunc, sed postea absolute.

Ubinam est ab aeterno illa obiectivitas seu determinata veritas?

a) *Iuxta omnes* est in ipsa futuritione absoluta et in concreto in ipso futuro: ubi enim habet futurum esse determinatum ibi est determinata veritas illius.

**901.** b) *Pro praedeterministis:* futurum habet esse determinatum ab aeterno solummodo in suis causis (in voluntate creata praedeterminata a Deo) ergo ibi est determinata veritas illius, quae proinde constituitur formaliter ab aeterno solummodo futuritionc causali seu futuro absoluto causaliter sumpto. Pro ipsis futurum absolutum independenter a decreto divino, in se ipso nullam habet ab aeterno determinatam veritatem.

**902.** c) Pro S. Thoma, Capreolo, Caietano *cum omnibus thomistis ante Báñez* et cum omnibus *Suarezianis:*

*Causaliter* et tamquam a causa efficiente determinata veritas futuri procedit tum a voluntate creata tum a decrcto divino sine quo nihil contingens exsistere potest.

Futurum enim absolutum est virtualiter contentum in suis causis liberis; sed causa libera cum concursu divino virtualitcr continet utrumque futurum contradictorium (v. c. Petrus negabit; P. non negabit Christum), ad utrumque est indifferens neutrum dcterminate continet. Ergo veritas dctcrminata futuri non est ab aeterno in suis causis. Certe talis veritas: *pendet a decreto efficaci*, quia Dcus vult efficaciter voluntatem ponere hunc actum, si est actus bonus; vcl saltem vult concurrere permittendo illum actum, si agatur de actu malo. Sed tale decretum pro Molinistis est efficax ab extrinseco ope scientiae mediae; et quidem est dccretum actualc, quia datum est de facto.

*Formaliter:* Futurum habet esse determinatum ab aeterno solummodo in ipso futuro formaliter sumpto prout realiter et actualiter procedente a suis causis liberis. Ergo ibi est eius veritas determinata, quae proinde constituitur ab aeterno solum futuritione formali seu ipso futuro formaliter sumpto. Ad veritatem futuri non requiritur ut actu ab aeterno exsistat res futura, sed sufficit quod absolute exstitura sit in aliqua temporis differentia ut iam detur ab aeterno determinata veritas illius.

## 903. OBIECTIONES.

1) Non potest certo atque infallibiliter cognosci, quod non habet determinatam veritatem. Atqui futura libera absoluta non habent determinatam veritatem. Ergo non possunt certo atque infallibiliter cognosci a Deo.

Conc. maiorem: dist. min. Prout sunt in suis causis C.; prout sunt vel erunt in se ipsis N.

Atqui neque prout sunt in se ipsis possunt certo cognosci a Deo. Ergo...

2) Si Deus certo cognosceret futura libera, desinerent esse libera. Ideo enim res futurae sunt futurae, quia Deus illas ab aeterno praescivit. Ergo neque prout sunt in se ipsis possunt certo cognosci a Deo. Ergo...

Resp. Nego antecedens; ideo Deus praescivit quia futurae sunt.

Atqui futura libera desinerent esse libera, si Deus certo illa cognosceret. Ergo...

3) Quod Deus infallibiliter praescit, non potest non evenire seu est necessarium. Atqui Deus iuxta te actiones nostras futuras infallibiliter praescit. Ergo non possunt non evenire seu sunt necessariae.

Dist. mai. nequit non evenire necessitate consequente seu consequentiae (in hypothesi quod actio ponatur de facto) C.; necessitate antecedente seu consequentis N.

Conc. minor.

Explicatio. Confundenda non est infallibilitas cum necessitate. Perfectio et infallibilitas cognitionis afficit nexum inter cognoscentem et cognitum, sed intactum relinquit nexum alius prorsus ordinis, inter factum et causam eius.

Haec difficultas evanesceret, si distincte concipere possemus intuitionem futuri tamquam praesentis, quia nullam reperimus difficultatem conciliandi libertatem actus, quem in praesenti fieri intuemur, cum infallibilitate nostrae visionis.

4) Ex antecedente necessario sequitur consequens necessarium. Atqui in hoc exemplo: «Deus praescivit Petrum esse peccaturum. Ergo peccabit» antecedens est necessarium. Ergo etiam consequens.

Dist. antec. Ex antecedente absolute necessario C.; ex antecedente necessario solum ex suppositione Subd. sequitur pariter necessarium hypothetice C.; sequitur absolute necessarium N.

Atqui praescientia divina futurorum est antecedens absolute. Ergo...

5) Scientia divina est causa rerum. Atqui causa absolute antecedit effectum. Ergo praescientia divina est antecedens absolute

Dist. mai. Scientia visionis N.; scientia simplicis intelligentiae Subd. est causa adaequata N.; est causa simul cum voluntate et omnipotentia C.

Concedo minorem.

Atqui etiam scientia visionis est absolute antecedens. Ergo...

6) Secus actio futura esset causa cognitionis divinae. Atqui hoc repugnat. Ergo etiam scientia visionis est absolute antecedens.

Dist. mai. Esset vera causa N.; esset conditio sine qua non C.

Res terminant, sed non determinant cognitionem divinam.

7) Deus ab aeterno habet potestatem creandi et creat in tempore. Ergo a pari, Deus ab aeterno habet potestatem cognoscendi futura, sed cognoscit in tempore.

Nego paritatem:

*a)* Creatio est actio transiens et nihil ponit in Deo termini positio.

*b)* Cognitio est operatio immanens, quae identificatur cum ipsa substantia.

8) Antequam se determinet voluntas, actus futurus liber nihil est, et idcirco nulla gaudet veritate, quae convertitur cum ente. Atqui nescientia huiusmodi actus nullatenus est ignorantia, nec ullam importat imperfectionem. Ergo nullum inconveniens est ut Deus non cognoscat ab aeterno futura libera absoluta.

Resp. Disting. mai... ante determinationem actu iam positam in re N.; ante determinationem absolute futuram C.

Contrad. min.

9) Propositiones, quae sunt determinate verae, sunt necessario verae. Atqui propositiones de futuro contingenti non sunt necessario verae. Ergo neque sunt determinate verae.

Resp. Disting. mai. necessario verae necessitate vel antecedente vel consequente C.; praecise necessitate antecedente liberam determinationem voluntatis creatae N.

Contrad. min.

10) Contradictio non determinat quaenam in concreto sit propositio determinate vera ex duabus contradictoriis. Ergo ex natura contradictionis non probatur unam necessario esse veram alteram esse falsam.

Resp. Conc. Antec. et nego consequens.

Explicatio. Contradictio demonstrat unam propositionem necessario esse determinate veram et oppositam esse falsam. Quaenam autem ex propositionibus in concreto sit determinate vera, hoc determinatur a voluntate libere agente. Posita vero electione voluntatis creatae absolute futura, intellectus infinite cognoscitivus illam electionem determinatam certo cognoscit et inde etiam illam propositionem, quae est determinate vera.

11) Sublata indifferentia voluntatis in actu primo perit libertas. Atqui si ex duabus propositionibus contradictoriis una est determinate vera tollitur indifferentia voluntatis in actu primo. Ergo utraque propositio debet esse indifferenter vera.

Resp. Conc. Maior.

Disting. min. Si propositiones versarentur circa actum primum C.; si versantur circa actum secundum, N.

Disting. pariter cons.

## ARTICULUS VII

### Do modo quo Deus cognoscit libera absolute futura

**THESIS 37. Libera absolute futura non cognoscuntur a Deo in ullo medio in quo stricte dicto, sed solummodo in complexu scientiae mediae et decreti absoluti de purificanda conditione; et hoc decreto praesupposito etiam in se ipsis.**

904. **Bibliographia.**—Cfr. auctores in thesi praecedenti citatos.

905. **Nexus.** In thesi praecedenti egimus de facto cognitionis liberorum absolute futurorum. In hac thesi de modo et de diversis explicationibus talis cognitionis agendum est.

### 906. NOTIONES.

**Futurum absolutum:** huius definitio et divisiones in thesi praecedenti declarantur.

Medium in quo stricte dictum: haec notio in thesi 35 videri potest.

### 907. STATUS QUAESTIONIS.

Intellectus divinus ab aeterno certo cognoscit unum determinatum futurum liberum prae contrario (v. c. Petrus in atrio Pontificis negabit Christum). Hoc in parte praecedenti probato:

Quaeritur: quaenam est ratio praesupponenda intellectioni divinae saltem tamquam conditio sine qua non ad hoc ut intellectus divinus nostro modo concipiendi determinetur ad cognoscendum hoc futurum prae alio.

1. Talis ratio non potest esse ipsum enuntiabile seu necessaria connexio subiecti (v. c. Petrus) et praedicati (v. c. negatio Christi); nexus enim est contingens, quia agitur de actibus liberis.

**908.** 2. Pro aliis talis ratio habetur unice in solo Deo:

*a)* Decretum praedeterminans vel solum vel simul cum coexsistentia futurorum. *b)* Decretum condeterminans. *c)* Idea exemplaris divina. *d)* Essentia divina uno vel alio modo iuxta diversas sententias. *e)* Concursus divinus.

**909.** 3. Pro aliis talis ratio est extra Deum.

*a)* Causa secunda comprehensa aut supercomprehensa.

*b)* Ipse actus secundus voluntatis uno vel alio modo iuxta diversas sententias.

4. Ut vero in diversis explicationibus exponendis et diiudicandis clarius procedamus, iuvat diversa statuere asserta, quae totidem in hac re erunt sententiae nonnumquam verbis potius quam re inter se discrepantes.

**910. Assertum I.—Libera absolute futura non cognoscuntur a Deo in decretis praedeterminantibus neque in coexsistentia physica futurorum cum aeternitate ab aeterno.**

Decretum praedeterminans. Est decretum Dei aeternum et absolutum, natura sua efficax et metaphysice connexum cum operatione creaturae, quam decernit pro priori ad omne exercitium libertatis creatae. Dicitur:

*Absolutum:* absolute fertur independenter ab omni conditione.

*efficax*, i. e. infrustrabiliter sequitur effectus;

*natura sua efficax*, i. e. intrinsece efficax.

*metaphysice connexum...* quia posito decreto et praedeterminatione physica repugnat metaphysice ut actio non ponatur.

**911.** Coexsistentia *in genere* est exsistentia unius simul cum alio.

Praesentia in hac questione potest esse: intentionalis et physica.

Intentionalis seu obiectiva est praesentia rei ad facultatem cognoscitivam. Et datur cum res est coram facultate cognoscitiva per modum obiecti cognoscibilis vel cogniti. a) *Intentionalis seu obiectiva in actu primo* est cognoscibilitas seu aptitudo proxima rei terminandi cognitionem. Unde cognitionem antecedit. Sic visibile, quod est in apta distantia ad imprimendum oculo sui speciem, obiective praesens dicitur in actu 1.° b) *Intentionalis seu obiectiva in actu secundo* est illa quam habet obiectum actu cognitum. Obiectum enim cognitum est in cognoscente ac proinde praesens illi. Haec praesentia est cognitione posterior et est fructus cognitionis. Hanc praesentiam habent omnia cogitata etiam chimaerae.

Realis seu physica (entitatis physicae ad entitatem physicam) datur cum res physice exsistens sistitur coram alia physice exsistente.

Proinde est prior visione. Sic omnes res actu exsistentes sunt physice praesentes Deo.

Coexsistentia physica inter res est exsistentia actualis physica unius rei simul cum alia.

**912.** Mensura aut duratio propria est illa quam habent res cum iam exsistunt in tempore et mutationes successivas proprias temporis habent. Mensura aut duralio aliena est illa quam habent res non prout iam exsistunt actu, sed prout attinguntur ab aeternitate divina, quae sese extendit usque ad omnia tempora, et ab actione divina aeterna ut terminus eius seu effectus temporalis.

**913.** THOMISTAE (103) duplicem viam distinguunt ad explicandam scientiam visionis liberorum absolute futurorum; viam causalitatis seu decreti et viam aeternitatis seu praesentiae.

**914.** *Per viam causalitatis seu decreti* praedeterminantis natura sua infrustrabilis Deus intuendo decretum praedeterminans et praedeterminationem physicam infrustrabilem v. c. ad conversionem Petri, cognoscit in illo decreto ut in medio in quo conversionem futuram liberam Petri et quidem certo et infallibiliter et ab aeterno.

**915.** *Quoad viam praesentiae* tenent res creatas (praeteritas, praesentes et futuras) coexsistere Deo seu toti aeternitati ab aeterno et quidem physice secundum suum esse reale physicum. Tamen haec coexsistentia cum aeternitate ab aeterno non est secundum nunc proprium singularum rerum seu in mensura seu duratione propria earum, quae comitatur exsistentiam actualem; sed in mensura seu duratione aliena, nempe aeternitatis, quae utpote infinita et simplicissima comprehendens in se et sese extendens usque ad omnia tempora quae fuerunt, sunt et erunt, coexsistit cum illis iam actu, quamvis ipsa in se non exsistant. Iam vero:

**916.** *Alii* dicunt futura cognosci in solis decretis praedeterminantibus; *alii* in sola coexsistentia physica futurorum cum aeternitate ab aeterno; *alii* in utraque via sed ita ut utraque via seorsim sit sufficiens ad cognoscenda futura; *alii* in complexu utriusque medii simul. Et sic via decreti explicat medium obiectivum cognitionis, secunda seu via aeternitatis explicat conditionem (modum, perfectionem) ut talis cognitio futurorum sit intuitiva. Unde ad invicem sesse integrant et explicant cognitionem divinam, quae scientia visionis vocatur.

**917.** *Explicatio* P. MUÑÍZ (104).

1. Dantur in Deo decreta praedeterminantia et praemotiones physicae inimpedibilia, infrustrabilia; et impedibilia et frustrabilia.

a) *Via causalitatis* seu decreti Deus infallibiliter cognoscit solummodo futura libera absoluta causata ab illo per decreta et praemotiones physicas inimpedibiles et infrustrabiles.

Futura libera absoluta causata a Deo per decreta et praemotiones impedibiles et frustrabiles itemque peccata, quae formaliter considerata, nullo modo causantur a Deo, via causalitatis seu decreti nullatenus Deus cognoscere potest.

b) *Via aeternitatis* seu praesentiae Deus cognoscit omnia futura libera causata a Deo i. e. sive per decreta infrustrabilia sive per frustrabilia sive etiam illa, quae a Deo non causantur ut sunt peccata formaliter sumpta.

**918.** 2. *De relatione inter utramque viam.* Haec prae oculis habenda:

a) *Via causalitatis* seu decreti est minus universalis, solum sese extendit ad futura causata a Deo per decreta et praemotiones inimpedibiles et infrustrabiles.

*Via aeternitatis* est magis universalis, sese extendit ad omnia futura causata a Deo sive per

(103) CAIETANUS in I,, q. 14, a. 13, d. 52.—BÁÑEZ, *Scol. Comm.* in I. p. Ang. Doct., q. 19, a. 8.—JOA. A S. THOMA, *Curs Theol.*, t. 1, in 1 p., q. 14, disp. 19. a. 2.—BILLUART, *Tract. de Deo,* diss. 6. a. 3, 4, 6; diss. 8, a. 3-5.—ZIGLIARA, *Summa Phil.*, v. 2, p. 448 ss.; 474 ss.—GONZÁLEZ ÁLVAREZ, *Teol. Nat.*, p. 458 ss.

(104) *Suma Teol. de S. Tomas,* I (BAC), p. 1.009 ss.

decreta et praemotiones inimpedibiles et frustrabiles, sive per decreta et praemotiones impedibiles et frustrabiles sive ad illa, quae nullo modo causantur a Deo ut sunt peccata formaliter sumpta.

b) *Via causalitatis* seu decreti facit ut Deus cognoscat futura libera in causa, in decreto praedeterminante: talis cognitio est praescientia, non intuitio futurorum.

*Via aeternitatis* seu praesentiae facit ut Deus cognoscat futura libera scientia visionis seu intuitive. Actio divina ponit res in tempore; aeternitas facit illas praesentes Deo.

c) *Via aeternitatis* supponit semper causalitatem divinam (non dico viam causalitatis) seu decretum praedeterminans et praedeterminationem physicam. Et ratio est quia praesentia physica rerum in aeternitate supponit praesentiam in tempore. Praesentia in tempore supponit exsistentiam realem. Exsistentia realis supponit actionem causae primae. Ergo via aeternitatis supponit semper et necessario causalitatem divinam seu praedeterminationem physicam Dei sive sit infrustrabilis sive sit frustrabilis.

*Via aeternitatis* seu praesentiae supponit semper et necessario viam causalitatis seu decreti? (non dico causalitatem simpliciter). Nullo modo. Illud supponeret in Deo semper decreta efficacia infrustrabilia et similes praemotiones, quod est falsum.

**919.** MOLINISTAE, SUAREZIANI OMNES et plurimi ad diversas scholas pertinentes negant decreta praedeterminantia natura sua infrustrabilia quia pugnant cum sanctitate Dei et cum libertate creaturae. Itam fere omnes Suareziani, S. ALBERTUS MAGNUS, ALEXANDER HALENSIS, *Scotistae*, AEGIDIUS ROMANUS... negant praesentiam physicam futurorum cum aeternitate ab aeterno secundum ipsum esse physicum, quod habebunt in tempore cum exsistant.

Unde res creatae quamdiu exsistunt in se coexistunt physice, i. e. secundum suum esse physicum Deo seu toti aeternitati, sed non totaliter; quamdiu vero non exsistunt in se, ut sunt praeterita et futura, nec sunt physice praesentes Deo nec coexsistunt physice aeternitati, sed solum obiective, i. e. sunt praesentes ab aeterno scientiae divinae tum in actu secundo, quia ab eo necessario et ab aeterno cognoscuntur, tum in actu primo, quia prius ratione quam a Deo cognoscantur habebant aptitudinem ut cognoscerentur et ipse iam erat determinatus ad ea cognoscenda.

*Tandem* etsi daretur praedicta praesentia physica, non esset medium aptum, ad libera absolute futura cognoscenda.

## PROBATUR.

**920. 1.ª Pars.** Decreta illa praedeterminantia in quibus Deus cognoscit futura libera pugnant. *a)* Cum sanctitate Dei. *b)* Cum libertate humana. Ergo reicienda sunt et proinde Deus non cognoscit futura libera absoluta in decretis praedeterminantibus.

*Antecedens.* a) *Quia Deus esset auctor peccati.* Nam:

**921.** *Peccatum in genere* est transgressio libera legis divinae.

*Peccatum materiale* adest cum non datur advertentia ad regulam morum.

*Peccatum formale* adest cum datur advertentia ad regulam morum.

In peccato formali distinguendum est: *Materiale peccati* est entitas physica peccati. *Formale peccati* est malitia specifica peccati.

**922.** Iam vero iuxta thomistas Deus praedeterminat, efficit, approbat, intendit materiale peccati seu entitatem physicam peccati. Ergo etiam praedeterminat, efficit, approbat et intendit formale peccati seu malitiam peccati ac proinde est verus auctor peccati.

*Probatur Cons.* Nam qui vult antecedens vult et consequens quod ex eo inevitabiliter sequitur. Atqui iuxta thomistas Deus vult antecedens ut dictum est. Ergo etiam vult consequens.

**923.** *Antecedens.* b) *Pugnant cum libertate humana.*

Quia voluntas humana sub praedeterminatione numquam habet dominium sui actus. Nam voluntas:

*a)* est *impotens* ad habendam vel non habendam praedeterminationem; *b)* est *impotens*, priusquam habeat praedeterminationem, ut transeat ex se sola de potentia ad actum v. c. A.; *c)* est *impotens* posita praedeterminatione ut ei resistat vel resistere possit: voluntas enim sub praedeterminatione ponet de facto actum A et repugnat metaphysice ut illum non ponat.

*d)* Tandem actus A sub praedeterminatione ita positus est ut potestas non ponendi illum nullatenus possit umquam reduci in actum, i. e. est potestas penitus illusoria.

**924. 2.ª Pars.** Non datur talis praesentia physica.

Res creatae essent praesentes physice aeternitati. *a)* Aut secundum mensuram propriam. *b)* Aut secundum mensuram alienam. Atqui neutro modo. Ergo res creatae nullo modo sunt physice praesentes aeternitati ab aeterno.

*Maior.* Patet; non datur tertium.

*Minor.* a) *Non in mensura propria*, quia haec mensura seu duratio comitatur exsistentiam actualem rerum et res creatae non habent esse physicum ab aeterno.

b) *Non in aliena mensura*, nempe in mensura aeternitatis. Coexsistentia actualis seu physica stricte dicta est denominatio relativa et fundatur in exsistentia actuali quam duo extrema habent in se. Atqui res futurae non habent exsistentiam physicam, quia nondum creatae sunt; res praeteritae habuerunt, sed iam non habent, quia non conservantur.

ERGO res creatae non habent ab aeterno ullum fundamentum (fundamentum est propria exsistentia actualis) ad hoc ut dicant ab aeterno coexsistentiam physicam cum aeternitate.

Deus certe ab aeterno habet fundamentum ut statim atque exsistat quaelibet res coexsistat cum illa.

c) Tandem etiam si daretur talis praesentia non esset medium aptum ad futura cognoscenda. Nam si talis praesentia physica influit in cognitionem divinam Deus a rebus creatis dependeret. Si vero nihil influit et cognitio divina explicatur ex summa sufficientia divini intellectus ad omnia cognoscibilia cognoscenda, tunc sufficit determinata rerum veritas pro sua differentia temporis absque physica praesentia ab aeterno.

**925. Assertum II.—Libera absolute futura non cognoscuntur a Deo in decretis condeterminantibus.**

DECRETUM CONDETERMINANS est decretum Dei absolutum et efficax metaphysice connexum cum operatione creaturae, quam condeterminat simul cum ipsa creatura.

Unde Deus non determinat voluntatem humanam ad volendum hoc vel illud, ut volunt praedeterministae, sed cum voluntate creata condeterminat hoc vel illud. Voluntas enim creata non ideo ponet actum quia Deus ita decrevit. Nec Deus decrevit actum posita eius praevisione per scientiam mediam; sed Deus decrevit illum actum quem voluntas ponet in tempore sine ullo ordine causalitatis aut praesuppositionis sed merae concomitantiae.

**926.** PLURES SCOTISTAE ut VULPES (105), MASTRIUS (106) sustinent Deum cognoscere libera absolute futura in decretis condeterminantibus.

**927.** *Argumentum.* Inter decretum condeterminans ac determinationem voluntatis creatae: *a)* nullus nexus necessarius intercedit, inde non potest esse medium aptum ad cognitionem certam futurorum. *b)* vel si datur nexus necessarius perit libertas humana. Ergo libera absolute futura non cognoscuntur a Deo in decretis condeterminantibus.

*Antecedens. a)* Nexus necessarius proveniret vel ex dependentia liberae determinationis voluntatis creatae a decreto, vel ex dependentia decreti a libera determinatione voluntatis creatae. Atqui ex neutro capite, quia datur tantum ordo concomitantiae. Ergo inter decretum condeterminans ac determinationem voluntatis creatae nullus nexus necessarius intercedit. Iam vero in medio non necessario connexo cum aliquo termino hic terminus certo cognosci non potest. Ergo Deus non potest cognoscere futura libera absoluta in decretis condeterminantibus.

*Antecedens. b)* Nexus necessarius proveniret in casu sub his conditionibus: decretum condeterminans est aliquid omnino requisitum ad actum liberum. Non est penes libertatem humanam illud decretum habere aut non habere. Solummodo inservit ad unum actum et posito illo decreto repugnat ut non detur actus quia decretum est natura sua seu ab intrinseco efficax. Ergo voluntas humana sub decreto condeterminante non haberet dominium sui actus et sic periret libertas.

**928. Assertum III.—Libera absolute futura non cognoscuntur a Deo in ideis exemplaribus.**

*Idea in genere*, species expressa, idea exemplaris specificative, reduplicative sumpta. Cfr. has notiones in thesi 35, assert. III.

**929.** *Quaestio* est de idea non prout est species expressa iam futuri determinati, sed prout est idea exemplaris specificative sumpta, i. e. in quantum repraesentat res factibiles et modo factibili; non in quantum hae ideae adiunctum iam habent decretum concurrendi, quia secus non in ideis, sed in decretis Deus cognosceret futura.

**930.** ALIQUI sustinent Deum cognosceret omnia futura libera absoluta in essentia divina in quantum est idea exemplaris repraesentans omnes res, quae de facto prodibunt ex directione et influxu eius. Difficile est assignare patronos pro hac sententia. Numeratur ab auctoribus ALEXANDER HALENSIS, S. BONAVENTURA (107)...

**931.** *Argumentum.* Ideae exemplares divinae specificative sumptae non possunt determinare ad cognitionem certam futurorum nisi habeant cum eis certam ac necessariam connexionem. Atqui ideae exemplares specificative sumptae non habent certam ac necessariam connexionem

---

(105) *Summa*, t. 2, p. 1, d. 30, a. 8-9.
(106) *Disput. Theol. in Sent.*, I, d. 3, a. 8.
(107) In 1, d. 39, a. 2, q. 3 c.; *De scientia Christi*, q. 2 c.

cum futuris liberis. Ergo libera absolute futura non cognoscuntur a Deo in suis ideis exemplaribus.

*Maior.* Patet. Si enim connexio non est certa neque cognitio potest esse certa.

*Minor.* Ideae exemplares divinae (seu essentia divina in quantum est idea exemplaris specificative sumpta) repraesentant tantum res possibiles (Petrus potest peccare, Petrus potest non peccare). Si vero idea exemplaris sumitur ut repraesentans iam futurum: tum utrumque futurum simul repraesentare non potest (v. c. Petrus peccabit, Petrus non peccabit) quia sunt contradictoria. Sed neque unum determinatum (v. c. Petrus peccabit, de facto) quia non datur ratio, cum nullus nexus necessarius intercedat inter ideam exemplarem et futurum; vel si dicas habere connexionem cum uno extremo determinato ex duobus contradictoriis, tunc perit libertas, quia talis connexio est antecedens.

### 932. Assertum IV.—Deus non cognoscit futura libera absoluta in essentia divina ut est exemplar omnis realitatis, tamquam in medio in quo.

Plures auctores ut Satolli, Pecsi, Paquet, De Maria, Mattiussi, Van der Meersch, d'Ales, de San, Donat, maxime P. Billot (108), tenent Deus cognoscere futura libera absoluta in essentia sua tamquam in medio in quo; non in essentia pure et simpliciter in quantum est eminentiale exemplar cuiuslibet entis participati, sed in essentia divina determinata per decretum absolutum (non praedeterminans) seu consequenter ad decretum absolutum.

Deus enim comprehendendo suam essentiam cognoscit eam ut imitabilem omnibus modis possibilibus. Una ex possibilibus imitationibus est futurum absolutum. Ergo Deus certo cognoscit specialem illam determinationem qua voluntas se determinabit ad talem actum prae alio propter nexum exemplaritatis immediatum inter essentiam divinam et ipsum actum secundum absolute futurum voluntatis creatae, sive sub quacumque hypothesi sive saltem praesupposita veritate determinata futuri absoluti vel consequenter ad liberam determinationem absolute futuram voluntatis creatae.

**933.** *Argumentum.* In hac sententia inter essentiam divinam et futurum absolute liberum vel non datur nexus necessarius et infallibilis vel datur. Atqui neutro modo potest esse essentia divina medium in quo Deus cognoscat certo et infallibiliter futura libera absoluta. Ergo reicienda est.

*Maior.* Non datur tertium.

*Minor.* *a)* Si non datur connexio necessaria et infallibilis, sed contingens, essentiae divinae cum futuro absoluto, tunc in medio quod non est infallibiliter connexum cum futuro libero non potest hoc certo cognosci. *b)* Si datur connexio necessaria intrinseca et infallibilis essentiae divinae cum futuro libero:

1) Vel datur *prius ratione* quam futurum sit futurum, seu antecedenter ad futuritionem absolutam, ad liberam determinationem voluntatis creatae et tunc tollitur libertas, quia antecedens inferens infallibiliter actum et independens a voluntate tollit libertatem et essentia divina est antecedens actum liberum inferens infallibiliter actum, ut supponitur, et est independens a voluntate ut patet.

2) Vel datur solum *posterius ratione* quam futurum sit futurum seu consequenter ad liberam

(108) *De Deo uno,* 7 p. 209 ss.

determinationem voluntatis creatae, ad futuritionem absolutam et tunc cognoscerentur necessitate consequente aut in se ipsis, quod non admittunt patroni huius sententiae, aut in essentia divina propter connexionem intrinsecam, quae antea non erat et nunc est et quidem ab intrinseco, ab essentia in futurum absolutum et tunc mutaretur essentia divina et inexplicabilis maneret ille nexus intrinsecus proveniens ab essentia in futurum liberum, siquidem agitur de futuro absoluto et libero.

**934. Assertum V.—Libera absolute futura non cognoscuntur a Deo in sua essentia ut est concursus collatus principiative spectatus.**

*Iuxta* HONTHEIM (109) et PESCH CHR. medium obiectivum in quo pro cognitione futurorum absolutorum est essentia divina non ut est decretum seu concursus oblatus, quia talis concursus est indifferens et nullam habet connexionem cum actu absolute futuro.

Neque in essentia divina ut est concursus collatus terminative spectatus, quia in hoc sensu est ipse actus liber creaturae, et sic futurum cognosceretur directe et immediate in ipso futuro, quod admitti non potest.

Sed *in essentia divina quatenus est concursus actualis collatus principiative spectatus.* Etenim inter essentiam repraesentantem et futurum repraesentatum datur nexus necessarius cum actione creaturae non a priori sed consequenter ad liberam determinationem creaturae et ad futuritionem absolutam: illa autem determinatio est conditio ut Deus concurrat de facto.

**935.** *Reicitur* haec sententia.

a) *Concursus actualis iam collatus* ut est causa efficiens actionis creaturae est indifferens ad concurrendum sic vel sic. Ergo non habet ullam connexionem antecedentem cum actione creaturae futurae. Sed neque potest habere connexionem consequenter ad determinationem voluntatis creatae absolute futuram. Nam ex una parte: Deus non confert concursum actualem consequenter ad liberam determinationem absolute futuram voluntatis creatae, quia tunc poneretur aliqua antecessio actionis creatae absolute futurae respectu collationis concursus actualis ex parte Dei, quod est absurdum: non enim prius creatura operatur quam Deus sive in ullo signo rationis sive in realitate.

Ex alia parte connexio necessaria consequens cum essentia divina (ad mentem Billot, Arnou, etc...) admitti non potest quia mutaretur essentia divina.

b) *Concursus collatus* (et non mere oblatus) actualis est ipsissima actio creaturae (inde actio formaliter transiens et non formaliter immamens et virtualiter transiens sicut credit Hontheim). Ergo non potest esse essentia divina et tandem aliquando nihil aliud significat nisi cognoscere futurum absolutum in ipsa actione futura.

**936. Assertum VI.—Iuxta P. Lennerz** (110). Deus omnia non divina cognoscit in sua essentia (divina) tamquam in medio in quo... «satis difficile videtur in Deo aliquam cognitionem admittere, in qua species intelligibilis, quae in illa quoque cognitione, qua res dicuntur cognosci non in essentia divina, statuitur essentia divina, immediate duceret in cognitionem alicuius, quod non sit essentia divina».

Unde *libera absolute futura cognoscuntur a Deo*, supposita scientia liberorum conditionate futurorum, etiam in essentia divina seu in decreto absoluto verificandi conditiones. Ita bene explicantur certa et infallibilis cognitio liberi absolute futuri et libertas creata, cum explicatio nitatur in facto cognitionis liberorum conditionate futurorum, neque quidquam adsit voluntatem in signo antecedente ad propriam determinationem iam ad unum determinans.

**937.** *Iudicatur.* Decretum verificandi conditiones:

—vel est concursus divinus principiative spectatus, qui utpote indifferens non potest esse medium in quo proprie dicto;

—vel est concursus divinus terminative spectatus, et tunc est ipsissima actio creaturae.

(109) *Inst. Theod.*, p. 628.
(110) *De Deo uno*, n. 292-295; 335-358.

Iam vero haec actio non est medium in ipso Deo sed extra Deum. Et tandem hoc est cognoscere futurum absolutum in ipso futuro sine medio obiectivo.

**938. Assertum VII.—Sententiae S. R. Bellarmini et Molinae.**

*Iuxta* S. R. BELLARMINUM (111) Deus cognoscit omnia *libera absolute futura in comprehensione voluntatis creatae*, circumstantiarum omnium eiusque indolis; haec autem comprehensio fit in essentia divina ut in medio in quo.

Data enim hac comprehensione Deus videt certo ad quid se determinabit libera voluntas creata et consequenter ad hanc determinationem absolute futuram etiam certo cognoscit unum determinatum futurum liberum absolutum prae alio.

**939.** *Argumentum.* Inter voluntatem creatam etiam comprehensam et determinatum futurum liberum absolutum nulla datur necessaria connexio. Atqui in medio non necessario connexo cum re cognoscenda, haec certo cognosci non potest. Ergo in voluntate creata etiam comprehensa Deus non potest cognoscere futurum liberum absolutum.

*Maior.* Patet: nam posita indole voluntatis cum omnibus suis circumstantiis, actus potest poni et potest non poni.

**940.** *Iuxta* P. MOLINAM (112) Deus cognoscit futura libera absoluta in supercomprehensione voluntatis creatae et omnium circumstantiarum eius et indolis, quam supercomprehensionem habet in sua essentia ut in medio in quo. Haec supercomprehensio voluntatis creatae in essentia divina non fert secum cognitionem futurorum propter horum connexionem cum essentia divina aut cum voluntate creata et circumstantiis eius, sed solum propter perfectionem actus divini, qui est determinatus ad essentia divina ad cognoscenda omnia etiam ea quae sunt incerta et incognoscibilia in suis causis.

Hoc autem verissimum est et non discrepat a nostra sententia.

**941.** *Argumentum.* Medium in quo stricte dictum est illud quod cognitum ducit in cognitionem alius eodem actu propter necesseriam connexionem medii cum re cognita. Atqui voluntas creata, etiam supercomprehensa, iuxta Molinam, nullam habet necessariam connexionem cum futuro libero absoluto. Ergo voluntas creata etiam supercomprehensa non potest esse medium in quo Deus cognoscat futura libera absoluta.

## 942. Assertum VIII.—Deus cognoscit libera absolute futura in complexu scientiae mediae et decreti absoluti de purificanda conditione.

*a)* SCIENTIA MEDIA est cognitio divina certa et evidens futuribilium liberorum ante et independenter ab omni decreto absoluto actuali Dei.

**943.** DECRETUM ABSOLUTUM de purificanda conditione est illud quo Deus decernit, post scientiam mediam, purificare seu verificare conditionem, nempe ponere creaturam in talibus circumstantiis et offerre illi concursum ad omnia, quae tum potest facere.

MEDIUM IN QUO STRICTO SENSU est illud quod cognitum ducit eodem actu in cognitionem alterius ita ut medium antecedenter, intrinsece et in actu 1.º infallibiliter connexum cum obiecto cognito.

---

(111) *De gratia et libero arbitrio*, l. 4, c. 15.
(112) *Concordia*, disp. 50.

**944.** *b)* DIVERSAE FORMULAE.

Molinistae communiter diversis formulis sententiam in asserto propositam sustinent: *Iuxta alios* Deus cognoscit futurum liberum absolutum in decreto de purificanda conditione praesupposita scientia media.

*Iuxta alios* Deus cognoscit futurum liberum absolutum in complexu scientiae mediae et decreti de purificanda conditione, i. e. in complexu cognitionis futuribilis per scientiam mediam et cognitionis decreti absoluti per scientiam visionis.

*Iuxta alios* Deus cognoscit futurum liberum absolutum in se ipso sine ullo medio stricte dicto, praesupposita scientia media et decreto absoluto de purificanda conditione (113).

**945.** *c)* DIVERSA SIGNA RATIONIS in cognitione divina.

1) Deus *in primo signo* per scientiam mediam cognoscit v. c. quid facturus esset Paulus si poneretur in talibus circumstantiis et si offerretur ei concursus ad omnia, quae tum potest facere, et si decerneret non suspendere concursum in momento operis. 2) *In secundo signo* rationis decernit purificare seu verificare conditionem sc. ponere Paulum in illis circumstantiis, offerre illi concursum ad omnia et concurrere cum Paulo ad actum, ad quem praevidit se inclinaturum. Hoc decretum absolutum de purificanda conditione est formaliter indifferens (114), sed aequivalenter est determinatum ad talem actum. 3) Denique *in tertio signo* Deus videt quid Paulus de facto faciet cum divino concursu.

**946.** *d)* QUOAD MEDIUM COGNITIONIS.

*Omnes Molinistae* reiciunt medium in quo stricte dictum sc. in quo detur nexus ab intrinseco, necessarius et antecedens inter medium et futurum, quia tum periret libertas.

**947.** *Scientia media* non est medium in quo cognoscendi futurum absolutum liberum, quia scientia media versatur non circa futura absoluta, sed circa futuribilia, quae Deus cognoscit solummodo in se ipsis.

**948.** *Decretum absolutum* neque est medium in quo stricte dictum quia ex natura sua decretum est generale et formaliter indifferens respectu actus futuri liberi et inde non inservit ut medium in quo ad cognoscendum futurum effectum, sed solummodo est causa, quae confert ut creatura possit facere quidquid velit in illis circumstantiis.

**949.** *Complexus scientiae mediae et decreti absoluti* de purificanda conditione neque est medium in quo stricte dictum pro cognitione futuri absoluti, quia talis complexus non habet connexionem antecedentem, intrinsecam et in actu primo cum futuro.

Tamen dici potest medium in quo improprie dictum vel quasi medium ex quo, nam:

1) *Talis complexus* est res cognita, nempe datur cognitio futuribilis per scientiam mediam et cognitio decreti absoluti per scientiam visionis. 2) Item cognitio illius complexus est ratio cognoscendi futurum absolutum propter infallibilem connexionem iam in actu primo cum re

---

(113) Confr. notas asserti IX.

(114) Nullatenus admitti potest decretum absolutum positum sub scientia media esse omnino determinatum inserviens ad unum solum actum v. c. A., quem Deus per scientiam mediam praevidit a creatura esse ponendum. Nam in tali casu creatura in nullo signo haberet potestatem ad alios actus ponendos et sic periret libertas. Cfr. de hac re SUÁREZ, *opusc.* 2, l. 1, c. 6.

futura (decretum est iam in actu primo infallibiliter efficax seu infallibiliter secum actum futurum fert) consequenter ad futuritionem conditionatam et antecedenter ad futuritionem absolutam formalem. Unde etiam hoc modo Deus futurum absolutum cognoscit. 3) Tandem aliqua prioritas datur in subsistendi consequentia ita ut valeat illatio: cognovi futurum absolutum liberum quia cognovi complexum scientiae mediae et decreti, non e contra.

**950.** 4) *At illa infallibilis connexio* non est ab intrinseco ex natura decreti, sed ab extrinseco ex praescientia futuribilis, quia Deus scientia media cognovit quid creatura factura esset vel factura est sub determinatis conditionibus i. e. cognovit futuribile immediate in ipso futuribile huius veritate praesupposita.

Posito vero decreto concurrendi indifferenti, scientia media eo ipso convertitur in absolutam seu in scientiam visionis et eo ipso simili modo futurum absolutum et futuribile cognoscuntur, nempe futuribile immediate in ipso futuribile praesupposita eius veritate cognoscitur, ergo etiam futurum absolutum cognoscitur immediate in ipso futuro eius veritate praesupposita (aequivalenter saltem quia totum determinatum venit ab scientia media) et illud contemplatur Deus ut exsistens in aliqua temporis differentia per scientiam visionis. Unde Deus cognoscit futurum liberum absolutum quia erit, non e contra erit quia cognoscitur. Igitur, ut vides, talis cognitio potius in se ipsis vocari deberet.

**951.** e) *In hoc modo cognoscendi libera absolute futura:*

1) essentia divina est *medium quo* sicut pro omni cognitione divina. 2) essentia divina quatenus est decretum absolutum simul cum scientia media est etiam *medium in quo late* seu improprie dictum; futurum enim cognoscitur propter connexionem infallibilem quidem, sed ab extrinseco, cum complexu scientiae mediae et decreti de purificanda conditione. 3) Actus cognitivus Dei specificatur a cognitione immediata essentiae divinae. 4) Unde futura libera absoluta cognoscuntur a Deo pure terminative et quidem, si vis, quodammodo mediate obiective i. e. quia cognitio talis futuri praesupponit seu dependet a cognitione futuribilis in se ipso et etiam a cognitione decreti absoluti.

**952. Probatur.** Qui scit certo veritatem propositionis conditionalis et purificationem seu verificationem conditionis, cognoscit certo veritatem conditionati seu consequentis. Atqui Deus per scientiam mediam cognoscit veritatem propositionis conditionalis v. c. quod Paulus si poneretur in talibus circumstantiis et Deus concurreret concursu debito ad omnia, quae tum potest facere, converteretur. Et per scientiam visionis cognoscit purificationem conditionis siquidem cognoscit decretum absolutum a se datum «decerno concurrere», quod decretum purificat seu verificat conditionem et est causa quae facit possibile ut futurum conditionatum transeat ad futurum absolutum ex libera determinatione creaturae cum concursu Dei. Ergo Deus scit certo certitudine metaphysica consequens seu futurum absolutum in complexu scientiae mediae et decreti absoluti de purificanda conditione.

**953. Assertum IX.—Deus cognoscit futura libera absoluta in se ipsis.**

In se ipsis quadrupliciter sumi potest.

1. In se ipsis, i. e. prouti sunt in se ipsis seu *secundum suum esse formale*, secundum propriam formam individualem futurorum. Hoc sensu omnes de Deo admittunt. Hic praescinditur a medio.

2. In se ipsis, etiam prouti sunt in se ipsis, sed *causaliter* seu per species

impressas ipsorum futurorum. In hoc sensu omnes de Deo negant. Etiam hic praescinditur a medio.

3. In se ipsis: *in sua obiectiva veritate;*

**954.** a) *negative:* non in obiectiva veritate quam habeant futura libera absoluta propter connexionem antecedentem, necessariam et ab intrinseco cum aliquo medio in quo praedeterminatum aut determinatum sit futurum antecedenter ad liberam determinationem voluntatis creatae et ad futuritionem absolutam;

b) *positive:* in sua obiectiva veritate quam habent futura libera absoluta in se ipsis formaliter sumptis consequenter ad scientiam mediam et ad futuritionem conditionatam (quia sine scientia media Deus caece daret decretum absolutum) et consequenter ad decretum absolutum de purificanda conditione et ad futuritionem absolutam.

Sic communiter intelligitur ab omnibus qui sustinent scientiam mediam ita tamen ut iuxta diversas explicationes talis cognitio fiat vel sine ullo medio obiectivo vel per medium obiectivum in quo futurum liberum cognoscatur, sed nullo modo praedeterminetur aut antecedenter ab intrinseco determinetur, praesupposita semper uno vel alio modo veritate futuri absoluti ut talis cognitio sit visio, quae praesupponit iam res futuras.

**955.** 4. In se ipsis, in sua obiectiva veritate directe et immediate sine ullo medio obiectivo in quo consequenter ad scientiam mediam, ad decretum absolutum de purificanda conditione, et etiam consequenter ad futuritionem absolutam et praesupposita veritate futuri absoluti.

**956.** Unde in hac cognitione futurorum immediata:

Essentia divina est *medium quo* sicut est pro omni cognitione Dei.

Essentia divina ut est decretum absolutum simul cum scientia media non est *medium in quo*, quia futura libera non cognoscuntur propter infallibilem connexionem inter complexum scientiae mediae et decreti ut medium in quo et futurum absolutum (licet enim non daretur ulla infallibilis connexio neque extrinseca, adhuc futurum absolute liberum certo a Deo cognosci posset directe et immediate in ipso futuro). Tamen in cognitione futuri absoluti liberi semper praesupponi debet scientia media ut Deus non temere et caece det decretum absolutum.

Actus cognitivus Dei specificatur a cognitione immediata essentiae divinae quae sola est quasi obiectum formale et sola cognoscitur directe, immediate, et per se.

Futura libera cognoscuntur pure terminative directe et immediate quidem, sed secundario, non aeque immediate ac essentia divina.

**957.** *Molinistae communiter* ut Suárez (115), Toletus (116), Ruiz de Montoya (117), Valencia (118), Fonseca (119), Lessius (120), Urraburu (121).

---

(115) *Opusc. De scientia fut.*, 2, l. 1, c. 8.
(116) In I, q. 14, a. 13.
(117) *De scientia Dei*, disp. 29.
(118) In I, disp. 1, q. 14, p. 5.
(119) *Metaphys.*, l. 6, c. 2, q. 4, sect. 2, 9, 10.
(120) *De Gratia effic.*, c. 10, n. 4; c. 20, n. 7-8.
(121) *Theod.*, 2, p. 299.

BROSNAN (122), MZ. DEL CAMPO (123), HELLÍN (124), etc... ita rem explicant ut dicant Deum cognoscere futura libera absoluta unico actu duplici modo, qui revera, ut diximus, coincidit vel parum differt.

*1. modus. In complexu* scientiae mediae et decreti absoluti de purificanda conditione propter connexionem infallibilem, sed ab extrinseco inter complexum et futurum absolutum consequenter ad futuritionem conditionatam, sed antecedenter ad futuritionem absolutam formalem actus liberi.

*2. modus. Directe et immediate* in ipso futuro absoluto, non propter connexionem cum complexu scientiae mediae et decreti absoluti, sed propter perfectionem actus divini intellectus et propter infinitam efficaciam speciei impressae (utique ex ratione antea dicta et solum ex ratione illa, hic praesupponitur scientia media) ex sola praesuppositione decreti de purificanda conditione et consequenter ad futuritionem tum conditionatam tum absolutam.

**958.** *Ordo signorum in hac sententia:*

1) Veritas possibilium et scientia simplicis intelligentiae.
2) Veritas futuribilis et scientia media.
3) Decretum de purificanda conditione.
4) Visio rei absolute futurae (visio vero semper praesupponit res): *a)* quasi in medio in quo vel ex quo, in complexu scientiae mediae et decreti; *b)* sine ullo medio in quo vel ex quo ex sola praesuppositione decreti de purificanda conditione.

**CENSURA.** Multo probabilior intrinsece.

**PROBATUR.**

**959.** I. Deus cognoscit certo et infallibiliter omnia futura libera absoluta. Atqui non cognoscit in ullo medio stricte dicto. Ergo sine medio seu directe et immediate in se ipsis.

*Maior.* Iam probata est in praecedentibus.

*Minor. a)* Nam si illud medium habet connexionem antecedentem, necessariam et inevitabilem cum actu voluntatis tum perit libertas siquidem medium antecedit voluntatem, est independens a voluntate et infert inevitabiliter actum. Ergo voluntas non haberet dominium neque in antecedens illud neque in actum.

*b)* Si illud medium non haberet connexionem necessariam cum actu voluntatis, tum non esset medium aptum ad cognoscenda futura siquidem cognito medio solummodo, adhuc, ex hoc capite posset evenire et non evenire actus.

*c)* Medium in casu esset aliquod ex iam enumeratis in praecedentibus, siquidem omnia alia quae excogitari possent, ad aliquod ex praedictis reducerentur et iam probatum est omnia illa media esse inepta ad cognitionem certam futurorum.

---

(122) *Theol. Nat.*, p. 268 ss. Iuxta BROSNAN Deus cognoscit futura libera absoluta in complexu scientiae mediae et decreti absoluti (p. 268); item immediate in se ipsis (p. 270, scholium I, n. 1); tandem praesupposita eorum veritate obiectiva, in essentia sua ut in medio obiectivo (p. 270, schol. I, n. 2).

(123) *Theol. Nat.*, p. 322 ss.

(124) *Theol. Nat.*, p. 655; *Philosoph. Sch. Summa*, p. 236.

**960.** II. Ad eminentiam cognitionis divinae spectat cognoscere quidquid cognoscibile est et omni modo quo cognoscibile est nisi hoc afferat secum impossibilitatem aut inseparabilem imperfectionem. Atqui futura libera prout sunt in se ipsis formaliter 1) sunt aliquid cognoscibile et 2) eorum cognitio directa et immediata nullam affert secum impossibilitatem aut inseparabilem imperfectionem.

Ergo libera absolute futura cognoscuntur a Deo directe et immediate in se ipsis.

*Maior.* Quia Deus est infinite intelligens.

*Minor.* 1) Quia futura libera absoluta ab aeterno habent determinatam veritatem, quae est futuritio formalis seu futurum formale—exsistentia non actualis, sed futura—; et quidem sine ulla connexione intrinseca et inevitabili cum ullo antecedente. Ergo sunt aliquid cognoscibile, quia veritas et cognoscibilitas convertuntur.

2) *Nulla impossibilitas:* quia actus infinite cognoscitivus Dei iam est determinatus ab obiecto quasi formali, quae est sola essentia divina; essentia autem divina infinita in ratione speciei impressae (et insuper hic et nunc simul cum scientia media et decreto absoluto) habet tantam efficaciam ut determinet actum divini intellectus ad cognoscendum quidquid cognoscibile est et futurum se habet ad modum conditionis extrinsecae.

*Nulla inseparabilis imperfectio.* Quia talis imperfectio proveniret *a)* vel ex eo quod cognosceret futura prouti sunt in se; et in hoc nulla datur imperfectio quia licet sint limitata suam limitationem in Deum non refundunt. *b)* Vel ex eo quod cognosceret illa per species proprias ipsorum futurorum et iam diximus Deum nihil posse cognoscere hoc modo. *c)* Vel ex eo quod cognosceret illa novo actu et hoc admitti non potest in Deo: unicus enim datur actus, qui specificatus a cognitione essentiae divinae est determinatus ad cognoscendum quidquid cognoscibile est.

Ergo cognitio directa et immediata futurorum liberorum nullam affert secum inseparabilem imperfectionem.

## 961. OBIECTIONES.

1) Iuxta te Deus cognoscit liberum absolute futurum immediate in ipsa actione futura ex sola praesuppositione decreti absoluti. Ergo superflua est scientia media.

Resp. Conc. antec. et nego conseq.: quia quamvis absolute posset Deus cognoscere liberum absolute futurum sine scientia media, tamen sine hac scientia caece omnino daret decretum.

2) Deus potest cognoscere liberum absolute futurum in decreto absoluto tamquam in medio in quo, si decretum iam est efficax, in actu 1.º. Atqui decretum iam est efficax in actu 1.º. Ergo Deus potest cognoscere futurum in illo decreto tamquam in medio in quo.

Resp. Disting. mai. Si esset efficax ab intrinseco C.; si tantum est efficax ab extrinseco Subd... ut in medio in quo proprie dicto N. ut in medio in quo late dicto C.

Contr. min.

3) In complexu scientiae mediae et decreti absoluti de purificanda conditione, decretum iam est efficax in actu primo et illud cognoscere idem est ac effectum eius i. e. futurum absolutum cognoscere.

Unde tale decretum iam in actu 1.° seu antecedenter ad determinationem voluntatis creaturae absolute futuram seu in signo priori rationis ad futuritionem absolutam dicit connexionem infallibilem cum re futura; et hoc etiam infallibiliter cognoscitur a Deo.

Atqui non apparet: quomodo possit esse decretum indifferens Dei de futuro absoluto determinato siquidem revera non est determinatum nisi per ipsam electionem absolute futuram voluntatis creatae.

Et insuper quomodo tale decretum possit esse iam in antecessum medium in quo Deus cognoscat futurum determinatum antequam voluntas creata se determinaverit ad illum seu non praesupposita eius veritate et salva libertate.

Ergo Deus non potest cognoscere futurum absolutum liberum in complexu scientiae mediae et decreti absoluti de purificanda conditione.

Resp. Conc. maiorem.

Nego minorem.

Explicatio. *a)* Sub his determinatis conditionibus (sub decreto hypothetico Dei etc...) Petrus converteretur aut convertetur.

Deus scientia media certo cognoscit quod Petrus converteretur aut convertetur sub illis determinatis conditionibus. Et quidem cognoscit illud in ipsa actione seu conversione futuribili. Unde in hoc signo iam praevidit ut efficacem concursum de se indifferentem.

*b)* Deus determinat ut futuribile determinatum a creatura (converteretur aut convertetur) transeat ad futurum absolutum. Hoc autem facit Deus per decretum absolutum (formaliter indifferens sed aequivalenter determinatum ad conversionem absolute futuram) quo Deus statuit ponere voluntatem Petri in illis conditionibus.

*c)* Inde vinculum inter decretum absolutum et conversionem liberam Petri absolute futuram:

—non est vinculum necessitatis quoad determinationem ipsius conversionis absolutae futurae, quae determinatur a sola voluntate Petri;

—est certe vinculum causalitatis, quae confert ut creatura possit facere quidquid velit quid autem de facto faciet, hoc detegit scientia media quae conversa est in absolutam purificando conditionem per decretum. Sic decretum procurat indirecte absolutam scientiam ipsius electionis quam faciet creatura;

—inde etiam est vinculum praevisionis talis conversionis absolutae futurae. Nam Deus ponit decretum absolutum scienter qua purificans solam conditionem requisitam et sufficientem ut futuribile transeat ad futurum absolutum; et quatenus dicit nexum cum futuro absoluto antecedentem seu in signo priori rationis ad liberam determinationem absolute futuram, necessarium quidem sed ab extrinseco, Sic Deus praescit certo futurum liberum absolutum ut revera futurum quod Petrus convertetur de facto; et videt seu contemplatur per scientiam visionis conversionem Petri ut exsistentem in aliqua temporis differentia.

*d)* Haec cognitio futurorum potius deberet vocari in se ipsis. Nam scientia futuri absoluti (scientia visionis) est ipsissima scientia futuribilis (scientia media) quae nunc conversa est in absolutam: Futuribile cognoscebatur in ipsa actione creaturae praesupposita eius determinatione futuribili et veritate ipsius futuribilis. Futurum vero absolutum cognoscitur antecedenter quidem ad determinationem absolute futuram voluntatis Petri, sed nexu necessario ab extrinseco et solum propter veritatem futuribilis; inde aequivalenter futurum etiam cognoscitur praesupposita logice determinatione absolute futura voluntatis creatae et veritate ipsius futuri absoluti.

Age vero si in signo futuribili nihil erat ad unum determinans voluntatem creatam in signo antecedente propriam eius determinationem nec in signo futuritionis absolutae tale determinans erit.

*e)* Tandem sic non perit libertas nam futuribile fit futurum secundum eamdem prorsus contingentiam et libertatem sub quae in statu futuribilitatis cognoscebatur per scientiam mediam, quae nunc conversa est in absolutam.

Unde: sicut conversio Petri non esset aut erit conditionate futura quia Deus eam cognoscit, sed e contra Deus eam cognoscit quia esset aut erit. Sic conversio Petri non erit absolute futura quia eam Deus praescit et videt, sed e contra Deus praescit et videt eam quia erit de facto absolute in aliqua temporis differentia.

# CAPUT III

## De vita intentionali Dei: de scientia practica

### ARTICULUS I

#### De ideis exemplaribus divinis

**THESIS 38. Dantur in Deo ideae exemplares quibus dirigitur in exequendis suis operibus ad extra. Hae ideae subiective una, obiective vero plures sunt, nec tamen proprie loquendo de pure possibilibus, sed solummodo eorum quae in aliqua temporis differentia fiunt.**

962. **Bibliographia.**—S. Th., 1, q. 15 et 35, 36, 37.—Suárez, DM 25; *De Deo*, l. 3, c. 5.—Urraburu, *Theod.* II, p. 417-440.—Delmas, *Ontologia*, p. 779 ss.—Franzelin, B., *Quaestiones selectae ex Philosophia...*, p. 178 ss.—Loinaz, *Prael. e Theol. Nat.*, p. 301 ss.—Hellín, *Theol. Nat.*, p. 666 ss.—Hontheim, *Inst. Theod.*, p. 749 ss.

963. **Nexus.** In toto capite secundo egimus de scientia Dei speculativa. In hoc capite de scientia Dei practica agendum est et primum quidem de ideis exemplaribus sub quarum directione Deus res producit.

### 964. NOTIONES.

Idea in genere est similitudo obiecti expressa in mente percipiente. *Formalis seu subiectiva* est actus mentis repraesentans rem (sive ille actus consideretur quatenus est quid physicum seu qualitas menti inhaerens, sive quatenus est similitudo vel imago). *Obiectiva* (per extrinsecam denominationem dicitur conceptus, quatenus est obiectum conceptus subiectivi) est ipsa res prout hic et nunc apprehensa.

Idea potest esse speculativa et practica.

*Speculativa* est illa quae importat notitiam rei et sistit in mera cognitione.

*Practica* est illa quae importat notitiam rei ut factibilis vel faciendae. De hac est quaestio.

**965.** EXEMPLAR *in genere* est id ad cuius imitationem seu similitudinem sive imperfectam, analogam; sive perfectam, formalem, univocam, aliquid est aut fit.

CAUSA EXEMPLARIS *in genere* est principium per se influens esse in aliud secundum esse a se adaequate distinctum et quidem sub ratione formae seu taleitatis.

Potest sumi lato sensu, strictori sensu et strictissimo sensu.

*C. ex. sensu lato seu improprie dicta* est principium per se influens esse in aliud sub ratione formae ita ut forma effectus determinetur a sola forma naturali causae efficientis v. c. in rebus anorganicis, plantis, functionibus inconsciis...

*C. ex. strictori sensu* est principium per se influens esse in aliud sub ratione formae ita ut forma effectus determinetur a forma intentionali cognita, ut accidit in vita conscia.

**966.** Huiusmodi exemplar potest esse analogum et formale.

*Analogum* datur cum forma effectus fit ad similitudinem imperfectam, modo essentialiter diverso ac in exemplari verificata est, ita ut simul cum similitudine dissimilitudo magna detur. Sic essentia divina est exemplar remotum et analogum respectu possibilium et rerum creatarum: non est similis formaliter rebus faciendis, quae non fiunt ad similitudinem formalem cum essentia divina, sed solum ad similitudinem analogicam. *Formale* (univocum) datur cum forma effectus fit ad similitudinem perfectam modo essentialiter eodem ac in exemplari verificata est. Unde

**967.** EXEMPLAR FORMALE est forma ad cuius imitationem aliquid fit per se et ex intentione agentis determinantis sibi finem.

EXPLICATIO. *Forma:* Quia exemplar est illud per quod res in suo esse specifico constituitur. Unde exemplar formale debet formaliter convenire sub aliqua ratione, praecisiva, repraesentativa cum exemplato seu cum re facienda, nam debet continere formaliter lineamenta rei faciendae, siquidem exemplatum debet fieri ad similitudinem formalem. Et quidem est *forma extrinseca* exemplato seu non informans ad cuius imitationem res in suo esse specifico constituitur. Non vero est forma intrinseca exemplato seu informans per quam res in suo esse specifico constituit. Ergo exemplatum pendet ab exemplari in sua specificatione.

*Ad cuius imitationem aliquid fit:* his verbis exprimitur modus quo forma ad effectum producendum concurrit; concurrit enim per hoc quod effectus imitatur formam seu fit ad similitudinem formalem intentionalem formae, non vero ad similitudinem physice identicam siquidem effectus et causa realiter distinguuntur.

*Per se:* nam imitatio formae per effectum non debet esse per accidens et fortuita. Unde excluduntur ab exemplari formali imitationes formae per accidens sicut imagines depictae ab artifice, quae non raro, praeter eius intentionem, etiam similitudinem aliorum referunt. Sic cum pictor, penicillo temere

proiecto spumam in ore equi depinxit, imitatio per accidens erit, non per se, neque ab idea exemplari reipsa procedit.

*Et ex intentione agentis* determinantis sibi finem: ex intentione agentis quod sibi proponit hanc formam imitari. His verbis excluduntur ab exemplari formali agentia naturalia intellectu carentia, quae non utuntur exemplari, licet agant effectum similem propriae formae. Sic v. c. leo generans leonem sibi in specie similem, non est causa exemplaris leonis geniti, quia quamquam leo genitus oritur per imitationem leonis generantis, tamen leo generans non determinat sibi finem.

**968.** Exemplar formale potest esse extrinsecum et intrinsecum.

*Formale extrinsecum* (remotum, improprie dictum) est forma extrinseca agenti seu res eius oculis obiecta, ad cuius imitationem agens vult facere opus. Sic aliquis homo, non prouti est in se, sed prout pictor illum coram oculis habet ut ex eo hauriat ideam exemplarem, qua dirigitur ut pingat eius imaginem, erit exemplar extrinsecum.

—Unde exemplar formale extrinsecum:

*Neque sufficit* ut adsit verum exemplar (causa exemplaris strictissime dicta) si non adsit conceptus formalis illud repraesentans i. e. semper debet concipi etiam interne ut sit vere exemplar.

*Neque requiritur* ad exemplar propie dictum, nam potest aliquis sine exemplari extrinseco efformare in mente imaginem quam velit imitari extrinsece.

Mediate et remote dirigit agens ad opus excitando sc. mentem artificis, occasionem praebendo ad exemplar internum formandum.

*Formale intrinsecum* (quod proprie est causa exemplaris strictissime dicta) est forma in mente concepta seu idea vel imago mentalis quam quis sibi formavit et ad cuius similitudinem formalem aliquid efficiendum est per se et ex intentione agentis determinantis sibi finem.

Explicatio. Dicitur *in mente concepta* seu exsistens in mente agentis, qui excogitat rem faciendam quia secus non potest exercere officium causae exemplaris stricte dictae, quae in idea consistit. Hoc exemplar formale intrinsecum est quod immediate et per se dirigit agens in sua operatione ad efficiendum exemplatum.

**969.** Exemplar formale intrinsecum seu idea potest considerari obiective et subiective.

*E. f. in. obiective* sumptum est idea obiectiva, conceptus obiectivus seu res quae efficienda est prout obiective exsistens in mente artificis. Haec idea obiectiva potest intelligi vel eiusdem rei efficiendae seu exemplati; vel alterius rei distinctae ab exemplato, quae vel sit res particularis vel aliquid confuse conceptum.

*E. f. i. subiective* sumptum est conceptus formalis seu actus mentis (qui est in intellectu subiective ac formaliter), repraesentans obiectum extrinsecum efficiendum.

Idea obiectiva quamvis sit sententia satis communis, probabilius, ait Suárez, non constituit causam exemplarem stricto sensu. Nam si est idea obiectiva exemplati, tum exemplatum imitaretur se ipsum; si vero est idea obiectiva alterius rei tum non semper occurrit hoc, quia saepe non intervenit aliud obiectum nisi exemplatum ipsum. (125).

**970.** Exemplar formale intrinsecum potest esse *formatum:*

*Iuvamine obiecti externi:* sic creatura efformat imaginem rei efficiendae ex obiectis externis iuvamine causali.

*Contemplatione propriae essentiae:* Deus autem non utitur medio externo, sed tantum cognitione suae essentiae, quae est obiectum quasi formale; et obiectum secundarium est merus terminus cognitionis divinae.

## 971. STATUS QUAESTIONIS.

Thesis habet quattuor partes et quid quaeratur in unaquaque ex enuntiatione theseos patet.

**SENTENTIAE.** Nulla est discordia inter auctores quoad hanc thesim prout proposita est.

**CENSURA.** Certa.

**PROBATUR.**

**972. 1.ª Pars.** Deus operatur omnia voluntarie et libere. Atqui agens voluntarium et liberum non potest agere, ut tale agens, nisi praelucente notitia rerum quas debet facere, et haec notitia vocatur idea exemplaris seu exemplar internum. Ergo dantur in Deo ideae exemplares.

*Maior.* Infra probabitur.

*Minor.* Nam agens voluntarium et liberum, ut tale agens, non determinatur ad tale opus casu, nec ex natura sua, sicut determinatum est agens naturale ad suos effectus naturales, sed plane indifferens est. Undenam ergo determinabitur? Aut ex voluntatis imperio aut per ideam exemplarem. Iam vero voluntas determinare quidem potest ad exercitium actionis, non vero ad speciem, ut per se patet. Ergo solummodo per formam in mente praeconceptam seu per ideam exemplarem.

**973. 2.ª Pars.** Ideae exemplares seu exemplar subiective consideratum est conceptus formalis seu actus mentis repraesentans obiectum extrinsecum efficiendum. Atqui conceptus formalis seu actus mentis in Deo unicus est. Ergo ideae exemplares in Deo subiective spectatae sunt una.

*Maior.* Est definitio exemplaris subiective considerati.

*Minor.* Conceptus formalis seu actus intellectus Dei identificatur cum essen-

---

(125) SUÁREZ, DM 25, l. 1, n. 3 et 5.—FRANZELIN, *Quaest. selectae*..., n. 159-160.—DELMAS, *Ontologia*, p. 783.

tia divina. Atqui essentia divina unica est. Ergo etiam conceptus formalis seu actus intellectivus Dei unicus est.

**974. 3.ª Pars.** Deus efficiens mundum, totum et singulas eius partes per se intendit, inde plures ideas exemplares habere debet secundum partium diversitatem. Atqui non potest habere plures subiective, siquidem in Deo actus est unicus. Ergo habet plures ideas solum obiective seu repraesentative.

**975. 4.ª Pars.** Idea exemplaris, ut constat ex eius definitione, ad scientiam practicam rerum pertinet. Atqui scientia practica simpliciter (ut constat etiam ex eius definitione) non dicitur nisi illa, quae ad res faciendas in aliqua temporis differentia dirigitur. Ergo ideae exemplares proprie loquendo sunt de rebus faciendis, non vero de pure possibilibus.

**976. SCHOLIUM I.** De ratione sub qua essentia divina est exemplar, nempe in quo reponendum sit formaliter exemplar formale proximum, quo Deus in suis operibus exequendis dirigitur. Circa hanc rem magna est disputatio inter auctores. Haec autem cum Suárez (126) probabiliter dicenda videntur. Exemplar formale in Deo:

a) *Non est essentia divina nude sumpta.* Nam si essentia divina consideratur absolute prius ratione quam sit cognoscens aut cognita a se, non est similis formaliter rebus faciendis, sed solum analogice; unde non potest esse exemplar formale, sed solummodo exemplar analogicum.

b) *Neque est essentia divina ut est simpliciter imitabilis ad extra.* Essentia enim divina est imitabilis ad extra solum analogice. Ergo est exemplar solummodo analogum.

c) *Neque* est essentia divina *cognita ut imitabilis ad extra,* quia essentia divina cognoscitur sicuti est, unde si, ut est imitabilis ad extra, est exemplar solummodo analogicum, etiam cognita ut imitabilis ad extra, analogum quoque erit exemplar.

d) *Est essentia divina prout est conceptus formalis possibilium* (non vero ipsa possibilia cognita a Deo), nam conceptus formalis, quo Deus cognoscit seu repraesentat possibilia est in Deo, habet similitudinem formalem saltem repraesentativam cum exemplato seu cum rebus efficiendis et ab his distinguitur. Hae vero proprictates, quae requiruntur ad exemplar formale, unice in illo conceptu adimplentur.

*e)* Et quidem conceptus *quasi reflexe a Deo cognitus* ut actu sit exemplar: nam exemplar est forma mente concepta et cognita, unde in casu conceptus formalis a Deo cognosci debet et haec est cognitio quasi reflexa.

*f)* Tandem ille conceptus *applicatus ad opus per voluntatem,* secus non posset actu suam exercere causalitatem, siquidem omnis causalitas dependet a libera voluntate Dei.

**977. SCHOLIUM II. De genere causae ad quod exemplar revocatur.** (127).

a) *Non ad causam materialem:* quia exemplar non indicat aliquid potentiale, nihil in se recipit, neque est aliquod subiectum compositi.

b) *Nec ad causam formalem:* causa enim formalis per sui communicationem producit et specificat effectum, unde est intrinseca effectui; causa vero exemplaris non producit et specificat effectum per sui communicationem, sed per sui imitationem, unde est extrinseca effectui. Ergo causa exemplaris non pertinet ad genus causae formalis.

c) *Nec ad causam finalem:* causa enim finalis movet voluntatem ad se, sc. ut causa finalis fiat vel obtineatur, unde nondum est iam praesens et obtenta. Causa vero exemplaris movet ad aliud i. e. dirigit agens ad opus et iam est praesens et obtenta, siquidem est idea per opus imitanda. Atqui tales causae, ut patet, ad idem genus pertinere non possunt. Ergo...

---

(126) DM 25, s. 1, n. 15 ss.

(127) SUÁREZ, DM 25, s. 2, n. 1 ss.—FRANZELIN, B., *Quaestiones selectae...*, n. 163-167.—DELMAS, *Ontología*, p. 787.

d) *Reducitur ad genus causae efficientis.* Quia exemplar est forma proxime complens artificem in ratione artificis, qui est causa efficiens. Ergo exemplar ad agens et inde ad aliquod genus causae efficientis pertinet. Sic enim se habet idea in agente intellectuali, ut forma naturalis in agente naturali; sed forma naturalis ad causam efficientem pertinet. Ergo forma intentionalis seu idea ad causam efficientem reducitur.

e) *Causalitas causae exemplaris sita est:*

—in productione operis externa, qua opus evadit imitatio ideae. Si enim deesset productio externa non exsisteret effectus ideoque nec haberetur causalitas nec causa actu influens in effectum;

—et quidem determinata ab intentione voluntatis imitandi ideam; si enim deesset voluntatis intentio; opus non esset effectus causae exemplaris.

## ARTICULUS II

### De scientia Dei practica ut causa rerum

**THESIS 39. Scientia Dei est causa rerum prout adiunctum habet liberum decretum voluntatis divinae, non vero scientia visionis, sed scientia simplicis intelligentiae.**

978. **Bibliographia.**—S. Th., 1, q. 14, a. 8 et 16; *De Veritate*, q. 2, a. 14.—Suárez, DM 44, 13, 19; *De Deo uno*, l. 3, c. 4, n. 10; *De Gratia, Proleg.* 2, c. 10.—Gonet, *Clypeus Theol. Thomisticae*, t. 1, disp. 3 ad 1.—Joan. a S. Thoma, I, q. 14, disp. 18, a. 3.—Ruiz de Montoya, *De scientia Dei*, disput. 15.—Hontheim, *Inst. Theod.*, p. 655.—Kleutgen, *De ipso Deo*, n. 497-511.—De San, *De Deo uno*, n. 165; 228.—Urraburu, *Theod.*, 2, p. 64.—Muncunill, *De Deo uno*, n. 432-451.—Loinaz, *Prael. e Theol. Nat.*, p. 298.—Billot, *De Deo uno*, th. 23, p. 232.—Lennerz, *De Deo uno* (1948), p. 194.—Hellín, *Theol. Nat.*, p. 675 ss.

979. **Nexus.** Vidimus in thesi praecedenti dari in Deo ideas exemplares, quibus Deus dirigitur in suis operibus exsequendis. Nunc venit haec quaestio tractanda: idea, quae dirigit seu causat res, pertinet ad scientiam simplicis intelligentiae an ad scientiam visionis?

### 980. NOTIONES.

Scientia est cognitio rei certa et evidens.

S. simplicis intelligentiae est ea qua Deus cognoscit omnia possibilia et inde omnia quae sunt factibilia. Haec scientia dicitur:

Remote practica si versatur circa res factibiles et circa modos eas faciendi, sed non habet adiunctum decretum voluntatis faciendi aliquod ex his, quae sunt cognita.

Proxime practica si versatur circa res factibiles et circa modos faciendi et habet adiunctum decretum faciendi aliquod ex his, quae sunt cognita.

Scientia visionis est ea quae versatur circa res exsistentes in aliqua differentia temporis; et *stricte dicta* vocatur illa per quam mere videntur et conspiciuntur res iam exsistentes in aliqua differentia temporis et est scientia speculativa.

### 981. STATUS QUAESTIONIS.

Thesis habet tres partes:

*In prima parte* dicimus scientiam Dei esse causam rerum, i. e. concurrere ad actionem Dei ad extra ut causam exemplarem, quae ad causam efficientem reducitur.

*In secunda parte* asserimus ipsam scientiam absolute spectatam non sufficere, sed requiri decretum divinae voluntatis, quo idea ad opus applicatur.

*In tertia parte* quaeritur qualis sit scientia, quae causaliter influit proxime in rerum effectionem; estne scientia simplicis intelligentiae an scientia visionis? Et quidem scientia visionis consideratur praecise ut visio seu intuitio distincta secundum explicitum a scientia simplicis intelligentiae.

Revera in Deo scientia visionis realiter non distinguitur a scientia simplicis intelligentiae. Haec vero adiuncto libero decreto Dei eo ipso in scientiam visionis transit; unde hoc sensu lato et improprio possemus dicere scientiam visionis esse causam rerum.

## 982. SENTENTIAE.

1) *Circa primam et secundam partem* nulla inter auctores est controversia: omnes enim concedunt scientiam Dei esse causam rerum saltem ut dirigentem et insuper ipsam solam scientiam absolute spectatam non sufficere nisi decretum Dei voluntatis adiungatur.

2) *Quoad tertiam partem* tres dantur sententiae:

*Prima sententia* docet scientiam visionis stricte dictam esse causam rerum: unde iuxta patronos huius sententiae res erunt quia Deus eas videt, et non Deus videt quia erunt.

**983.** *Secunda sententia.* Iuxta plerosque *thomistas* scientia, quae est causa rerum est scientia visionis minus stricte dicta, nempe imperium intellectuale quod ad Omnipotentiam dirigitur (128); et sic iuxta hanc sententiam res erunt quia iubentur esse imperio ineluctabile et infallibili seu quia videntur et non ideo videntur quia erunt (129).

PROCESSUS ergo iuxta dicta hic est:

*Primus actus* est simplicis intelligentiae, quo Deus cognoscit omnia creabilia, i. e. quae effici possunt. *Secundus actus* est voluntatis eligentis unum vel multa ex obiectis per simplicem intelligentiam propositis. *Tertius actus* est imperium intellectuale ad omnipotentiam directum ut electa per voluntatem exsecutioni mandet hoc modo; fac hoc. *Quartus actus* est scientia visionis stricte dicta, quae contemplatur res factas.

Iam vero *imperium intellectuale* est *scientia visionis* minus stricte dicta, quia quasi anticipate res factas contemplatur; est scientia *approbationis*, quia libere prius volita fuit; est scientia *practica*, quia omnipotentiam applicat ad effectionem rerum; est *causa rerum* quia influit in omnipotentiam et in terminum; hinc scientia ut talis est causa efficiens rerum. Proinde futura ideo sunt futura, quia Deus videt illa; scientia simplicis intelligentiae est causa remota rerum; imperium intellectuale seu scientia visionis minus stricte dicta est causa proxima et quidem efficiens.

---

(128) BILLUART, *Tract. de Deo*, diss. 5, a. 3.
(129) ÁLVAREZ, *De auxiliis*, disp. 16, n. 6.

**984.** *Tertia sententia* est communissima NOSTRATUM. Docet scientiam quae est causa rerum non esse scientiam visionis, sed scientiam simplicis intelligentiae, non vero absolute sumptam, sed prout est applicata ad opus per voluntatem.

Hic est PROCESSUS iuxta nostrates:

*Primus actus* est simplicis intelligentiae cognoscentis et proponentis omnia creabilia.

*Secundus actus* est voluntatis eligentis unum prae alio ad creandum. Cognitio simplicis intelligentiae posito decreto Dei absoluto evadit cognitio practica, qua opus fit. Omnipotentia divina, supposito actu voluntatis eligentis unum prae aliis iam sufficienter applicata censetur ad operandum quin requiratur ad hoc novum imperium. Facultas enim applicans omnes potentias ad opus est voluntas cum est sufficienter illuminata per intellectum. Scientia visionis stricte dicta res factas contemplatur. Haec est cognitio speculativa, visio, qua factum contemplatur.

Unde iuxta nostrates non ideo res futurae sunt quia Deus illas videt, sed e converso ideo videt quia futurae sunt. Scientia simplicis intelligentiae est causa rerum proxima, sed non ipsa sola secundum se seu absolute considerata, quia omnis cognitio ut talis, repraesentat, non autem producit; sed scientia simplicis intelligentiae prout applicata ad opus per voluntatem.

S. THOMAS in utramque partem ab auctoribus trahitur.

### CENSURA.

Certa quoad primam et secundam partem. Probabilior quoad tertiam partem.

### 985. PROBATUR.

**1.ª Pars.** Deus, ut ens intelligens, producit res sub directione scientiae et non caece. Atqui scientia dicitur causa respectu illarum rerum, quae fiunt sub eius directione. Ergo scientia Dei est causa rerum.

*Maior.* Patet: ens intelligens, ut tale, semper per suum intellectum operatur.

*Minor.* Quia res accipiunt esse dependenter ab scientia, saltem tamquam dirigente.

**986. 2.ª Pars.** Scientia divina est causa rerum. Atqui non est causa rerum absolute spectata. Ergo prout applicata per voluntatem.

*Maior.* Patet ex argumento primae partis, secus caece operaretur.

*Minor.* Scientia enim ut est cognitio supponit obiectum, non facit; ergo ut talis non est causa rerum.—Item sicut Deus omnia scit, etiam omnia crearet, quod est falsum; non enim omnia quae cognoscuntur a Deo creantur.—Tandem sicut Dei scientia, quae antecedit voluntatem est per se ipsam necessaria, omnia etiam necessario crearet, quod est falsum siquidem Deus est liber ad extra.

**987. 3.ª Pars.** I. Scientia, quae supponit obiecta iam exsistentia non est causa eorum. Atqui scientia visionis stricte dicta est scientia speculativa et contemplativa, quae supponit obiecta exsistentia in aliqua temporis differentia. Ergo scientia visionis stricte dicta non est causa rerum.

*Maior.* Patet, nam causa semper antecedit effectum et influit in effectum.

*Minor.* Omnis scientia Dei, ut speculativa est, non facit sed supponit obiectum. Talis est cognitio Dei: *a)* de se Ipso (scientia visionis); *b)* de possibilibus (scientia simplicis intelligentiae); *c)* de futuribilibus liberis (scientia media); *d)* de decretis absolutis (scientia visionis); *e)* de obiectis absolute futuris (scientia visionis) quae etiam suum obiectum supponit non facit. Nam *obiecti visio et intuitio*, ut constat ex eius definitione:

1) supponit obiectum exsistens et inde est scientia speculativa non vero scientia practica;

2) sequitur seu est post Dei decretum absolutum a quo immediate res pendet ut a sua causa;

3) in artifice creato datur et cognitio practica qua opus fit et visio qua opus factum contemplatur. Unde artifex, quamvis cognitione et arte suum opus faciat, non potest suum opus videre seu contemplari nisi iam factum sit. Ergo idem a pari et analogice de Deo dicendum est.

4) Ex Sacra Scriptura (Gen. 1, c. 3-4) Deus cognovit scientia simplicis intelligentiae (speculativa secundum quid) lucem fieri posse. Huic scientiae simplicis intelligentiae adiungit liberum decretum suae voluntatis, quod imperavit: fiat lux. Praedicta scientia simplicis intelligentiae posito decreto absoluto iam non est speculativa sed simpliciter practica quam origo lucis sequitur: et facta est lux. Existente iam luce scientia speculativa visionis: vidit Deus lucem.

**988.** II. Scientia visionis minus stricte dicta, quae est causa rerum, dicitur imperium intellectuale. Atqui imperium est actus voluntatis non vero actus intellectus. Ergo nulla est scientia visionis quae sit causa rerum.

*Maior.* Patet ex definitione.

*Minor.* Principium proximum exsecutivum in nobis est voluntas non vero intellectus; voluntate enim proxime membra movemus et membris res externas ut est evidens ex testimonio conscientiae et ex communi hominum persuasione. Ergo etiam in Deo principium proxime exsecutivum non est intellectus sed voluntas, quae semel ac elegit unum prae aliis eo ipso iam est omnipotentia divina sufficienter applicata ad opus per ipsam voluntatem.

**989.** III. Illa scientia est causa rerum, quae antecedit res et in illas ut causa influit. Atqui talis est solummodo scientia simplicis intelligentiae prout applicata ad opus per voluntatem. Ergo scientia Dei quae est causa rerum est scientia simplicis intelligentiae prout liberum decretum divinae voluntatis adiunctum habet.

*Maior.* Patet.

*Minor.* Sola scientia simplicis intelligentiae (non vero scientia visionis ut

constat ex argumento II) antecedit decretum divinum, quod est causa rei proxima; et influit in illud et proxime etiam in ipsam rem exsistentem. Unde est cognitio Dei practica et, ut est practica, terminatur ad obiectum exsistens illudque non supponit, sed facit et inde est causa rerum.

## 990. OBIECTIONES.

1. Iuxta aliquos SS. Patres res erunt quia Deus eas novit, non e contra novit quia erunt. Ergo scientia visionis est causa rerum.

Resp. Dist. antec. Res erunt quia Deus eas novit scientia practica (adiuncto decreto) simplicis intelligentiae C.; scientia visionis N.

Disting. pariter cons.

Explicatio: Res futurae non ideo sunt futurae quia Deus eas videt scientia visionis, sed e contra eas videt scientia visionis quia erunt. Scientia enim visionis Dei non facit obiectum, sed supponit. Item ideo res futurae sunt futurae quia Deus eas novit scientia practica (adiuncto decreto) simplicis intelligentiae; non e contra ideo eas novit scientia practica simplicis intelligentiae quia erunt.

Scientia enim practica, ut est practica et efficax, obiectum non supponit, sed facit.

His positis iam apparet quomodo intelligendae sint quaedam loquutiones v. c. hic homo has res non ideo novit quia eas scripsit, sed ideo scripsit quia novit. Deus has res non ideo novit, quia eas creavit et quia sunt, sed ideo eas esse creatas, quia eas novit. Opus artificis ideo est, quia notum erat artifici.

2. Scientia, quae est causa rerum debet esse libera. Atqui scientia libera in Deo est scientia visionis, non vero simplicis intelligentiae. Ergo scientia quae est causa rerum est scientia visionis.

Resp. Nego mai. Quamvis scientia possibilium sit absolute necessaria non tollitur creationis libertas, quae provenit ex decreto Dei unum prae aliis aligentis.

3. Scientia quae est causa rerum est scientia approbationis et beneplaciti. Atqui scientia approbationis est scientia visionis. Ergo scientia visionis est causa rerum.

Resp. Conc. mai.

Disting. min. Sola N. etiam C.

4. Scientia quae est causa rerum est scientia practica. Atqui sola scientia visionis est scientia practica. Ergo sola scientia visionis est causa rerum.

Resp. Conc. mai. et nego minorem.

Explicatio. Scientia simplicis intelligentiae absolute spectata est scientia speculativa; si vero accedit decretum divinum absolutum eo ipso est scientia practica. Scientia vero visionis stricte dicta est simpliciter speculativa.

5. Causa proxima rerum est decretum liberum Dei. Atqui scientia visionis idem est ac decretum divinum absolutum. Ergo scientia visionis est causa proxima rerum.

Resp. Conc. mai. et nego minorem.

Explicatio. Visio rei supponit rem exsistentem; decretum vero divinum absolutum de re producenda, utpote causa illius, debet ipsam rem et ipsam rei visionem antecedere. Unde scientia simplicis intelligentiae simul cum decreto divino absoluto fundat scientiam Dei visionis, sed nondum sunt ipsa rei visio.

# CAPUT IV

## De vita intentionali volitiva Dei

### ARTICULUS I

### De exsistentia voluntatis in Deo

**THESIS 40. Datur in Deo vera et propria voluntas.**

991. **Bibliographia.**—S. Th., 1, q. 19, a. 1; 1 CG, c. 72-73.—Suárez, DM 30, 16, 1-7; *De Deo*, l. 3, c. 6.—Piccirelli, *De Deo*, p. 248.—Ruiz de Montoya, *De voluntate Dei*, d. 1 ss.—Schaaf, *Theol. Nat.*, p. 375.—Urraburu, *Theod.*, 2, p. 440-451.—Loinaz, *Prael. e Theol. Nat.*, p. 304 et 329.—Arnou, *Theol. Nat.*,[2] p. 203.—Gisquière, *Prael. Theol. Nat.*, II, p. 60.—Hellín, *Theol. Nat.* p. 683 et 709.

992. **Nexus.** In omni ente cognoscitivo cognitionem sponte sequitur inclinatio in cognitum. In ente intellectivo intellectum et intellectionem sequitur voluntas et volitio; nec aliter de Deo est. Hinc tractatui de divino intellectu succedit tractatio de voluntate.

### 993. NOTIONES.

**Voluntas** est appetitus rationalis seu facultas spiritualis appetitiva boni ab intellectu propositi.

Appetitus: quid sit et eius divisiones in thesi 10 inveniuntur.

994. Divisiones voluntatis divinae.

1) Necessaria et libera.

*Necessaria* est illa qua Deus vult aliquid necessario. Sic Deus vult necessario se ipsum. *Libera* est illa qua Deus vult aliquid libere. Sic Deus vult bona contingentia.

2) Voluntas beneplaciti et signi.

*Beneplaciti* est omnis voluntas interna Dei seu actus formalis quo Deus vult aliquid facere vel permittere quocumque modo. *Signi* est signum externum voluntatis divinae. Hoc sensu testamentum scriptum dicitur voluntas testantis.

Signa autem voluntatis divinae sunt quinque: praeceptum, prohibitio, consilium, permissio et operatio externa.

3) Voluntas actualis et conditionata.

*Actualis* est illud decretum quod de facto datur vel dandum est: Decerno concurrere...

*Conditionata* est illud decretum quod de facto non datur, sed enuntiatur ut conditio in aliqua propositione conditionali v. c. Si Deus concurreret concursu debito, Petrus converteretur.

**995.** 4) Voluntas antecedens et voluntas consequens.

*Antecedens* est ea qua Deus vult aliquid independenter ab omni actione, meritis vel demeritis creaturae. Et potest esse: *efficax* v. c. volo creare mundum; *inefficax* v. c. volo ut omnes salventur.

*Consequens* est ea qua Deus vult aliquid dependenter seu consequenter ad praevisionem absolutam nostrarum actionum et meritorum vel demeritorum nostrorum; sic vult condennationem Iudae; aut permittere peccatum Petri consequenter ad purificationem conditionis qua posuit Petrum in illis circumstantiis in quibus praevidit Petrum peccaturum.

Haec divisio *apud thomistas* ita intelligenda:

*Voluntas antecedens* est ea qua Deus vult aliquid praecisive ab omnibus circumstantiis. Haec voluntas est solum inefficax, secundum quid...

*Voluntas consequens* est ea qua Deus vult aliquid dependenter a quibusdam circumstantiis, sive dependeant sive non dependeant tales circumstantiae a voluntate hominis. (130).

**996.** 5) Voluntas efficax et inefficax.

*Efficax* est ea qua Deus vult aliquid ita ut hoc sequatur. Et potest esse antecedens et consequens. *Inefficax* est ea qua Deus vult aliquid ita ut hoc non sequatur, siquidem illud vult dependenter ab aliqua conditione, quae non impletur v. c. voluntas qua Deus vult omnes homines salvos fieri, vel omnes impleri mandata, non sublata tamen potestate physica resistendi.

6) Voluntas absoluta et conditionata.

*Absoluta* est illa quae actu datur in Deo et qua Deus vult ut aliquid de facto detur independenter ab omni conditione v. c. voluntas creandi mundum. *Conditionata* est illa qua Deus vult actu aliquid dependenter ab aliqua conditione (implicita vel explicita) libere ponenda a creatura. Et potest esse: *efficax* si impleatur conditio sub qua Deus praevidit rem esse faciendam; Sic decretum absolutum quo Deus vult concurrere ad actum contritionis Petri; *inefficax* vero si non adimpleatur conditio. Sic decretum absolutum inefficax (gratia) quo Deus vult concurrere ad actum contritionis Petri, positum sub scientia media et sub resistentia gratiae ex parte creaturae.

**997.** 7) Voluntas approbativa et permissiva.

*Approbativa* est ea qua Deus vult bona v. c. actum virtutis. *Permissiva* est ea qua Deus peccata permittit.

## 998. STATUS QUAESTIONIS.

Agimus de voluntate in actu secundo.

*Potentia volitiva logica* procul dubio datur in Deo, *non* vero potentia *physica*. Quoad potentiam *metaphysicam* communior sententia est ea, quae tenet dari in Deo virtutem volitivam per modum actus primi ita ut saltem implicite ipsum actum secundum includat. Alii vero affirmant nos debere explicite concipere talem potentiam in actu secundo secus voluntas divina explicite non conciperetur (131).

---

(130) Billuart, *De Deo*, diss. 7, a. 5, 6.—Álvarez, *De auxiliis*, d. 34, n. 5.
(131) Urraburu, *Theod.*, II, p. 446.

**999. SENTENTIAE.**

*Prima sententia:* THEOPHRASTUS, AVICENNA, PORPHIRIUS... voluntatem ad appetitum boni absentis restringunt.

*Secunda sententia. Agnostici dogmatici* negant Deo voluntatem quia nulla nomina conveniunt Dco proprie, sed solum negative, relative, metaphorice.

*Tertia sententia* est ea quae enuntiatur in thesi et est communis inter catholicos et scholasticos.

**CENSURA.**

Certa in philosophia. In Theologia est de fide Catholica et definita. D. 1782.

**PROBATUR.**

**1.000.** I. Deus est omniperfectus. Atqui si Deus careret voluntate non esset omniperfectus. Ergo Deus habet voluntatem et quidem formaliter.

*Maior.* Iam probata est in praecedentibus.

*Minor.* Voluntas est in homine formaliter et ab illa pendent sequentes perfectiones; quod possit habere dominium circa res, praecipere aliquid aut prohibere, approbare vel improbare, praemio aut poena afficere aliquem iuxta merita vel demerita... Iam vero si Deus careret voluntate formaliter illis etiam perfectionibus careret. Ergo non esset omniperfectus.

**1.001.** II. Deus est auctor entium habentium formaliter voluntatem. Atqui omnis causa continet perfectionem effectus. Ergo Deus continet voluntatem et quidem formaliter. Nam

**1.002.** III. Deus continet omnes perfectiones creaturarum et quidem simpliciter simplices formaliter. Atqui voluntas est perfectio simpliciter simplex. Ergo Deus continet formaliter voluntatem.

*Maior.* Iam probata est in praecedentibus.

*Minor.* Voluntas in se considerata est aliquid, aliqua perfectio positiva, et ex suo conceptu nullam dicit imperfectionem. Prout est in creatis dicit imperfectionem quia importari potest desiderium circa bonum absens, vel circa bonum a volente distinctum... quod in Deo non datur. Ex evidentia obiectiva apparet perfectius esse habere formaliter voluntatem, quam non habere illam formaliter.

**1.003. SCHOLIUM. De appetitu innato in Deo.**

Utrum Deus habeat appetitum innatum necne multum inter auctores disputatur. Haec videntur tenenda cum Suárez (132) et aliis (133). Appetitus ex suo conceptu generali dicit per-

(132) DM 30. s. 16. n. 4.
(133) URRABURU. *Theod.*, 2. p. 447.

fectionem et praescindit ab imperfectione; non enim sunt de conceptu generali appetitus sequentes imperfectiones: carere bono quod appetitur, vel appetitum perfeci ab illo bono... Unde

1) *Quoad bona intrinseca* Deo datur in Deo appetitus innatus, nam nihil aliud esset nisi aptitudo subiecti ad bona propria plene identificata cum subiecto appetente; et insuper inclinatio ad illa bona conservanda.

2) *Quoad bona extrinseca* Deo distinguendum est:

*a)* Si appetitus innatus indicat inclinationem necessariam ad terminum tum non datur in Deo, quia Deus non necessario ligatur ad creationem et conservationem rerum externarum.

*b)* Si appetitus innatus intelligitur perfectissima aptitudo ad profundenda bona externa propter infinitam potentiam, largitatem, liberalitatem etc.; etiam liberrima convenientia propter suam gloriam extrinsecam obtinendam, tum concedi potest appetitus innatus circa bona extrinseca Deo.

## 1.004. OBIECTIONES.

1) Voluntas est appetitus quidam. Atqui appetitus dicit imperfectionem, quae in Deo non est. Ergo nec voluntas.

Dist. mai. Est appetitus quilibet N.; rationalis C.

Contr. min. omnis N.; rationalis Subd. in creatis C.; in Deo N.

Atqui etiam in Deo appetitus importat imperfectionem. Ergo.

2) Appetitus est inclinatio in bonum absens. Atqui talis inclinatio importat imperfectionem, quae in Deo non est. Ergo etiam appetitus importat imperfectionem, nec est in Deo.

Dist. mai. Solum N.; etiam Subd. aliquando C.; semper N.

Atqui nullus appetitus seu voluntas potest dari in Deo. Ergo.

3) Actus voluntatis est tendere in finem. Atqui Deus non potest in finem tendere. Ergo Deus non habet voluntatem.

Dist. mai. Operatione aliqua versari circa finem C.; se movere ad finem assequendum Sub. Hoc est proprium voluntatis creatae C.; hoc est proprium voluntatis divinae N.

Atqui Deus se moveret ad finem assequendum. Ergo.

4) Qui operatione sua versatur circa finem, finem habet. Atqui Deus operatione sua versatur circa finem. Ergo finem habet.

Dist. mai. Finem habet formaliter vel virtualiter C.; praecise formaliter Subd. in ente creato C.; in ente increato N.

Explicatio. Finis formaliter sumptus est bonum externum ac distinctum, quod est causa illius cuius dicitur finis et quietat tendentiam voluntatis. Eius amore allicitur et movetur subiectum volens ad operandum.

Finis virtualiter sumptus est bonum ab appetente indistinctum, nullam exercens in eum causalitatem, est tamen ratio sufficiens consequentis operationis.

Atqui Deus haberet finem formaliter sumptum. Ergo.

5) Voluntas divina moveretur a suo obiecto i. e. esset movens motum. Atqui quod movetur a suo obiecto habet finem formaliter sumptum. Ergo Deus haberet finem formaliter sumptum.

Dist. mai. Si obiectum primarium et principale esset bonum externum C.; si est ipsum volens Subd. moveretur sensu proprio N.; sensu improprio C.

Atqui Deus moveretur sensu proprio. Ergo.

6) Deus amaret se propter suam bonitatem ut finem. Atqui hoc idem est ac asserere Deum bonitate sua moveri proprie ad se amandum. Ergo Deus moveretur proprio sensu.

Dist. mai. Si particula propter indicat causalitatem N.; si designat tantum rationem volendi C.

Atqui esset in Deo vera causalitas. Ergo.

7) Causalitas causae finalis est motio metaphorica. Atqui haec motio daretur in Deo. Ergo etiam causalitas.

Dist. mai. Stricte dicta N.; dicitur metaphorica quia non est physica, etsi sit realis C.

## ARTICULUS II

### De obiecto divinae voluntatis

**THESIS 41. Deus se ipsum vult ita ut pro divina voluntate obiectum quasi formale specificum sit infinita Dei bonitas, materiale autem primarium Deus. Reliqua vero bona a se distincta etiam vult at solum ut obiectum materiale secundarium.**

1.005. **Bibliographia.**—S. Th., 1, q. 19, a. 2 ad 2; 1 CG, c. 74.—Suárez, DM 30, 16, 15-17: *De Deo*, 1. 3, c. 6, n. 3-5.—Urraburu, *Theod.*, 2, p. 488-527.—Loinaz, *Prael. e Theol. Nat.*, p. 306 ss.—Hellín, *Theol. Nat.*, p. 713.—Gisquière, *Prael. Theol. Nat.*, 2, p. 68 ss. Confert etiam auctores in thesi praecedenti citatos.

**1.006. Nexus.** In thesi praecedenti egimus de exsistentia voluntatis in Deo; nunc de eius obiecto agendum est.

### 1.007. NOTIONES.

**Obiectum** *in genere* alicuius facultatis est id circa quod facultas versatur.

Obiectum adaequatum voluntatis est totum illud ad quod utcumque terminari potest voluntas, nempe omne ens quod est bonum.

Obiectum adaequatum voluntatis potest esse materiale et formale.

*Materiale* seu extensivum sunt omnia et singula obiecta quae attingi possunt a voluntate.

**1.008.** *Formale* seu sub ratione attingibilitatis est ratio illa sub qua vel ratione cuius obiectum materiale attingitur. Potest esse formale genericum et formale specificum.

*Formale genericum* voluntatis est ratio illa, quae facit aptum obiectum materiale ut attingatur a voluntate, quam certe specificat eam separans ab aliis potentiis diversis. Unde in omnibus et singulis obiectis materialibus voluntatis includi debet ut singula a voluntate attingi possint. Sic omne ens quatenus est bonum seu ratio entis ut boni est obiectum formale genericum pro omni voluntate specificans et separans eam a potentiis non volitivis, sed non magis.

*Formale specificum* (stricte formale, specificativum, proportionatum relate ad hanc facultatem) est illud quod primo et per se attingitur a voluntate et ratione cuius voluntas attingit quaecumque attingit. Specificat potentiam eam

separans ab aliis potentiis similibus. Unde habet vim movendi eam sive efficienter sive finaliter sive exemplariter. Sic obiectum formale specificum voluntatis humanae est bonitas honesta et delectabilis creata, finita, i. e. ratio finis in entibus finitis.

**1.009.** Obiectum quasi formale voluntatis erit illud quod est ratio cur exsistat actus et quidem talis perfectionis obiectivae etiamsi illa ratio non sit causa ulla. Unde tali bonitate non exsistente nec voluntas nec volitio exsisterent, sed sub alia constitutione aut sub nulla. Sic distinguendo in Deo secundum explicitum et implicitum actum volendi et obiectum formale, quod est ratio exsistentiae et specificationis actus, dicimus tale obiectum esse solum essentiam divinam ut bonam.

**1.010.** Obiectum materiale potest esse primarium et secundarium.

*Materiale primarium* voluntatis est illud quod inter diversa obiecta materialia primo ratione obiecti formalis a voluntate attingitur; seu est illud in quo reperitur obiectum formale specificum.

Sic obiectum materiale primarium pro voluntate divina est Deus ut bonus; pro voluntate humana est bonum honestum et delectabile, v. c. virtus est honesta et delectabilis.

*Materiale secundarium* voluntatis est illud quod inter diversa obiecta materialia, quae attinguntur ratione obiecti formalis, non primo sed secundario a voluntate attingitur. Seu est illud in quo non invenitur obiectum formale specificum sed solum obiectum formale genericum. Bonum utile habet rationem medii, non vero rationem finis. Sic pro voluntate divina sunt bona distincta a Deo; pro voluntate humana est bonum utile v. c. pecunia ad libros emendos et scientiam comparandam.

N. B. Pro voluntate divina obiectum materiale primarium est Deus concretus prouti est in se; quia vero respectu Dei concreta et abstracta non realiter solum, sed vel formaliter identificantur, materiale primarium dici potest sive Deus bonus sive rursum bonitas Dei.

**1.011.** Reliqua bona: sunt bona finita quae quomodocumque participant de bonitate divina.

## 1.012. STATUS QUAESTIONIS.

Thesis habet quattuor partes.

*In prima parte* quaeritur utrum Deus se ipsum velit seu amet necne.

*In secunda parte* quaeritur quodnam sit obiectum quasi formale et materiale primarium pro voluntate divina. Et dicimus solam essentiam divinam ut bonam esse quasi obiectum formale divinae voluntatis (eo quod volitio divina nullam dependentiam quoad exsistentiam et specificationem ab aliquo extra Deum permittat) et Deum esse obiectum materiale primarium.

*In tertia parte* quaeritur utrum Deus alia bona a se distincta velit seu amet

necne. Affirmative respondemus, sed in *quarta parte* asserimus ea omnia velle solummodo ut obiectum materiale secundarium.

**1.013. SENTENTIAE.**

*Omnes scholastici* admittunt thesim nostram prout initio enuntiatur.

**CENSURA.** Certa.

**1.014. PROBATUR.**

**1.ª Pars.** I. Omne volens vult seu amat se ipsum. Atqui Deus est formaliter volens. Ergo Deus vult seu amat se ipsum.

*Maior.* In omni re, inde in omni ente volitivo datur inclinatio naturalis respectu proprii boni seu sui ipsius. Atqui illa inclinatio respectu boni proprii seu sui ipsius, quae in omni ente volitivo sequitur cognitionem intellectivam, est volitio et amor. Ergo in omni ente volitivo datur volitio seu amor sui ipsius.

*Minor.* Iam probata est in praecedentibus.

**1.015.** II. Voluntas divina vult seu amat suum obiectum formale. Atqui obiectum formale divinae voluntatis non potest esse nisi Deus. Ergo voluntas divina seu Deus vult seu amat se ipsum.

*Maior.* Voluntas et volitio tendunt, tamquam in bonum proprium, ad suum obiectum formale, sine quo obiecto nec voluntas nec volitio exsisterent. Atqui illa tendentia est amor. Ergo voluntas divina vult seu amat suum obiectum formale.

*Minor.* Probabitur in parte sequente.

**1.016. 2.ª Pars.** I. Obiectum quasi formale est illud, quod est ratio exsistentiae et specificationis actus. Atqui ratio exsistentiae et specificationis pro voluntate divina solummodo potest esse essentia divina ut est bona. Ergo obiectum quasi formale volitionis divinae est sola essentia divina ut est bona.

*Maior.* Est definitio.

*Minor.* Omnis voluntas etiam divina debet habere rationem sufficientem suae exsistentiae et specificationis in obiecto: voluntas et volitio non possunt esse nec intelligi sine obiecto. Atqui nullum obiectum extra essentiam divinam potest esse ratio sufficiens tum exsistentiae tum specificationis voluntatis divinae quia penderet a rebus creatis, quod repugnat. Ergo ratio exsistentiae et specificationis pro voluntate divina est solum essentia divina et quidem ut est bona.

**1.017.** II. Obiectum materiale primarium est illud quod inter diversa obiecta materialia primo a facultate attingitur ratione obiecti formalis. Seu est illud in quo invenitur obiectum formale specificum. Atqui quod primo a voluntate divina attingitur ratione formalis obiecti et in quo invenitur obiectum

formale specificum est solus Deus ut bonus. Ergo obiectum materiale primarium divinae volitionis est solus Deus ut bonus.

*Maior.* Est definitio.

*Minor.* Nam obiectum quasi formale specificum est essentia divina ut est bona. Atqui essentia divina ut est bona solummodo in Deo invenitur. Ergo Deus ut est bonus est obiectum materiale primarium divinae voluntatis.

**1.018. 3.ª Pars.** Volitio divina non potest velle bonitatem divinam seu essentiam divinam ut est bona nisi uno eodemque actu attingat etiam omnia bona, quae ut cognita utcumque, in essentia divina continentur. Atqui omnia bona finita in illa tamquam participationes finitae et cognitae, respective etiam efficaciter volitae, continentur. Ergo volitio divina etiam vult omnia bona finita.

*Maior.* Ex paritate cum cognitione divinae essentiae et omnium intelligibilium ratione essentiae. Sicut enim Deus cognoscendo primario essentiam suam, secundario cognoscit omnia intelligibilia, quae aliquo modo essentiam divinam participant, quae est fons omnis veritatis... Ita etiam volendo et amando essentiam divinam vult et amat omnia alia a se, quae divinae perfectionis et bonitatis similitudinem habent.

*Minor.* Patet: bona creata sunt participationes bonitatis infinitae Dei et cognitionem horum bonorum sequitur inclinatio Dei in illa bona.

**1.019. 4.ª Pars.** Obiectum materiale secundarium est illud quod inter diversa obiecta materialia non primo, sed secundario a facultate attingitur ratione obiecti formalis, seu est illud in quo invenitur solummodo obiectum formale genericum. Atqui obiecta distincta a Deo non primo sed solum secundario a voluntate divina attingi possunt et in illis invenitur solum obiectum formale genericum. Ergo reliqua bona a se distincta vult Deus solum ut obiectum materiale secundarium.

*Maior.* Est definitio obiecti materialis secundarii.

*Minor.* Nam obiecta distincta a Deo: *a)* sunt obiecta voluntatis divinae siquidem libere ab eo creantur; *b)* et non attinguntur a voluntate divina quia sunt ratio exsistentiae et specificationis illius secus daretur in Deo dependentia a rebus creatis; *c)* Ergo non primo et per se (in illis non invenitur obiectum formale specificum) sed solummodo secundario propter perfectionem actus, qui iam praesupponitur specificatus ab essentia divina et tantam habet perfectionem ut possit terminari ad res alias sine ulla dependentia ab illis.

**1.020. Argumentum generale** *quo breviter tota thesis probatur.*

Deus potest tantum aliquid velle quia et in quantum est bonum. Atqui essentia divina *a)* est bona et *b)* sola essentia divina est bona ratione sui ipsius, omnia autem alia sunt bona, quia et quatenus imitantur hanc essentiam divinam. Ergo Deus solum essentiam divinam vult propter se i. e. primo et per se seu ut obiectum quasi formale et materiale primarium, alia autem propter eam seu ut obiectum materiale secundarium.

*Maior.* Quia omnis voluntas attingit ens unice sub ratione boni et insuper voluntas divina, utpote ordinatissima, debet amare res prout amorem merentur.

*Minor.* *a)* Quia omne ens est bonum.

*b)* Sicut essentia divina exsistit a se, ita est etiam a se summa bonitas. Alia vero habent esse imitans eam et sic bonitatem imitantem et participatam. Ergo essentia divina est bona ratione sui ipsius, reliqua vero in quantum participant bonitatem essentiae divinae.

**1.021. SCHOLIUM. De ratione divinae voluntatis.** (134).

a) *Nulla datur causa proprie dicta divinae voluntatis.*

*Non efficiens* quia actus voluntatis Dei est ipse Deus, qui omnino causam efficientem excludit; *nec materialis et formalis*, quae divinae simplicitati obstant; *nec finalis*, nam finis exercet veram causalitatem, inde dependentiam causalem, quae Deo repugnat.

b) *Tamen datur ratio sufficiens* exsistentiae et specificationis voluntatis et volitionis divinae, quae unice esse potest essentia divina ut est bona.

*c)* Unde particula—*propter*—loquendo de Deo nullam veram causalitatem nec multiplicitatem actuum significare potest, sed solummodo rationem obiectivam, qua actum volendi cum ratione et consilio poni, non temere; aut unum eumdemque actum diversa respicere obiecta, unum propter aliud.

**1.022.** *d)* His positis bene intelligi possunt loquutiones seu formulae sequentes:

1.ª *Deus amat se propter se ipsum. Deus amat omnia bona a se distincta propter se ipsum.* SENSUS: Deus non est finis sui ipsius, nulla enim vera causalitas, nullus finis formaliter sumptus, nullum obiectum motivum et determinativum respectu volitionis divinae dari potest: ratio quasi specificativa actus divini est solummodo bonitas Dei infinita.

2.ª *Deus vult omnia bona externa propter se ipsum, propter suam bonitatem.* SENSUS: Si Deus aliquid vult, necessario illud propter se ipsum debet velle, quin eo ipso volitio Dei erga bona externa sit et ipsa necessaria.

3.ª *Deus bona externa vult et operatur propter finem.* SENSUS: bona externa non sunt finis et vera causa respectu actus volitivi Dei. Deus enim amat illa bona externa non ut fines, sed ut pure media et quidem ad bonitatem suam communicandam, non ad utilitatem propriam obtinendam. Potest tamen in his bonis amatis voluntas divina unum ad aliud referre et ordinare et omnia ad se Ipsum. Unde in uno simplicissimo actu Dei possumus concipere diversos actus secundum explicitum ita ut unus sit ratio alterius; et ex parte obiecti externi diversas rationes obiectivas ita ut una sit ratio alterius. Sic volitio salutis peccatoris est ratio volitionis sacramentorum, volitio sacramentorum est ratio volitionis sacerdotis etc... Sed ultima ratio quasi specificativa volitionis divinae solummodo potest esse essentia divina ut est bona. S. Thomas: «*Deus non vult hoc propter hoc, sed vult esse hoc propter hoc*».

4.ª *Deus movetur seu agit ad extra propter nostras orationes, sacrificia*, etc... SENSUS: orationes nostrae sunt rationes obiectivae, non vero motivae, causativae, specificativae; determinant enim actum Dei solummodo obiective et Deus vult accommodare exigentiis, orationibus... creaturarum suos effectus externos.

5.ª *Deus amat amicum* (v. c. hominem) *non propter amicum, sed propter se Ipsum.* SENSUS: Ultima ratio amandi cui amici amor subordinatur est bonitas divina; tamen talis amoris utilitas, lucrum etc... totum quantum pro amico non pro amante est. Unde non deest amor benevolentiae in Deo erga creaturas rationales in quarum utilitatem Deus ordinat et hoc sensu amat amore concupiscenciae entia irrationalia.

## 1.023. OBIECTIONES.

1) Velle Dei est ipsum esse Dei. Atqui Deus non est aliud a se. Ergo nec vult alia a se.
   Dis. mai. Est ipsum esse Dei realiter C.; etiam ratione et conceptu adaequate N.
   Contrd. min.

Atqui Deus non potest velle alia a se. Ergo.

(134) S. TH., 1, CG. c. 83 et 37.—SUÁREZ, DM 23, s. 9: *Opusc.* 4, d. 1, s. 2, n. 15.—URRABURU, *Theod.*, 2, p. 463 ss.—HELLÍN, *Theol. Nat.*, p. 719.

2) Actus voluntatis multiplicantur secundum obiecta volita. Atqui in Deo actus est unus. Ergo etiam obiectum est unum i. e. Deus non alia a se.

Dist. antec. multiplicantur cum obiectis formalibus C.; cum obiectis materialibus N.
Conc. minor. Dist. conseq. Formale, primarium et principale est unum C.; secundarium N.

Atqui obiectum volitum est unicum pro Deo. Ergo...

3) Cui sufficit aliquid volitum, ille non quaerit alia ab illo distincta. Atqui Deo sufficit sua bonitas. Ergo obiectum volitum est unicum pro Deo.

Dist. mai. Non quaerit aliud tamquam principaliter et propter se dilectum C.; tamquam dilectum solum ratione prioris obiecti N.
Conc. min. et dist. pariter cons.

Atqui non omnia vult Deus propter se Ipsum. Ergo...

4) Deus vult irrationalia propter hominem. Ergo non omnia vult propter se.

Dist. antec. ut finem ultimum N.; ut finem proximum C.

Atqui Deus non potest velle omnia propter se ut finem ultimum. Ergo...

5) Qui omnia refert ad se ipsum est egoista. Atqui Deus ita agit in volendo omnia propter se. Ergo Deus esset egoista.

Dist. mai. Qui hoc facit inordinate contra rectum ordinem et contra veritatem ontologicam usurpando primatum sibi non debitum C.; secus N.
Contrd. minorem.

Atqui si Deus amaret omnia propter se inordinate ageret. Ergo.

6) Voluntas Dei debet omnia eo modo amare, quo sunt amabilia. Atqui quaevis res est amabilis propter suam intrinsecam bonitatem. Ergo si Deus amaret omnia propter se inordinate ageret.

Conc. mai Dist. min. Pro voluntate creata Tr. pro voluntate divina Subd. spectata re ut termino divini amoris C.; spectato motivo amandi N.

Atqui Deus non potest amare res propter suam bonitatem ut ultimum motivum amoris. Ergo.

7) Si Deus omnia vellet propter se Ipsum, non posset amare creaturas rationales amore benevolentiae. Atqui Deus diligit angelos et homines iustos amore amicitiae. Ergo Deus non omnia vult propter se.

Nego maiorem.

8) Amor amicitiae consistit in eo quod amicus ametur propter amicum et non propter amantem. Atqui in nostra sententia Deus amat sanctos propter se Ipsum, non propter illos. Ergo non amore amicitiae.

Resp. Dist. mai. Non propter amantem i. e. non propter commodum aut utilitatem et fruitionem amantis C.; non propter subordinationem amati ad amantem Subd. Si amans non est ultimus finis C.; si est ultimus finis N.
Contr. minorem.

Explicatio. Unde si bonum amati non refertur ad bonum amantis, tunc amor benevolentiae sistit in bono amati; si vero bonum amati omnino refertur ad bonum amantis, tunc amor benevolentiae non sistit in bono amati.

9) Si Deus amaret omnes creaturas propter se Ipsum, omnes aequaliter amaret. Atqui hoc videtur absurdum, cum non omnes sint aequaliter amabiles. Ergo Deus non amat omnia propter se.

Dist. antec. Omnes aequaliter amaret subiective spectato motivo amoris (intensive) Tr.; terminative, efficaciter (appretiative) N.

Explicatio. In actu subiectivo amoris quomodo possint haberi diversi gradus, vix intelligitur, cum hic actus sit ipsa simplex essentia Dei. Quoad amorem efficacem Dei possumus dicere Deum eas res plus efficaciter amare, quibus tribuit plus perfectionis.

10) Ubi idem motivum est ibi idem est amor. Atqui idem motivum est in amore Dei creaturarum (bonitas Dei). Ergo idem et aequalis est amor omnium.

Resp. Dist. mai. Ubi idem motivum est ibi idem est amor ex parte actus C.; ex parte obiecti Subd. si motivum finitum est Tr.; si infinitum N.
Conc. min. distinguo pariter consequens.
Bona finita vario modo participant de bonitate infinita Dei.

## ARTICULUS III

### DE VOLUNTATE NECESSARIA ET LIBERA DEI

**THESIS 42. Voluntas divina quoad amorem Ipsius Dei est necessaria, quoad alia a se distincta est libera, sed eius indifferentia est mere terminativa.**

1.024. **Bibliographia.**—S. TH., I, q. 19, a. 3 et 10; *De Veritate*, q.23, a. 4; 1 CG, c. 81, 82, 83, 88.—SUÁREZ, DM 30, 16, 15-17; *De Deo*, l. 3, c. 6, n. 1 et 2.—KLEUTGEN, *De ipso Deo*, n. 567-580.—HONTHEIM, *Prael. Theod.*, n. 912 ss.—RUIZ DE MONTOYA, *De voluntate Dei*, d. 7 ss.—URRABURU, *Theod.*, 1, p. 537 ss.; idem, 2, p. 484.—LOINAZ, *Prael. e Theol. Nat.*, n. 900 ss.—PINARD, art. *Création*: DTC, col 2.144 ss.—HELLÍN, *Theol. Nat.*, p. 688 ss.—GISQUIÈRE, *Prael. Theol. Nat.*, 2, p. 85 ss.

**Nexus.** Egimus in thesi praecedenti de divinae voluntatis obiecto tum primario tum secundario. Nunc agendum est de habitudine divinae voluntatis quoad talia obiecta, nempe de voluntate Dei necessaria et libera.

### 1.025. NOTIONES.

VOLUNTAS *in genere* est facultas spiritualis appetitiva boni ab intellectu propositi.

VOLUNTAS NECESSARIA est illa qua Deus vult aliquid necessario.

VOLUNTAS LIBERA est illa qua Deus vult aliquid libere.

**1.026. LIBERTAS.** *In genere* est immunitas a vinculo. Et tot modis dicitur quot sunt vincula a quibus quis liberatur.

*Physica* est immunitas a vinculo physico.

*Moralis* est immunitas a vinculo morali v. c. a lege, a voto, ab ordinatione superioris.

**1.027.** Libertas physica potest esse:

*A violentia* est immunitas a vi extrinsecus illata contra appetitum innatum. Hanc habet planta naturaliter crescens in silva. Ei opponitur violentum. Liberum a violentia vocatur naturale.

*A coactione* est immunitas a vinculo extrinseco seu a vi extrinsecus illata contra appetitum elicitum. Hanc habet ad sese movendum rana in rivulo. Ei opponitur coactum. Liberum a coactione vocatur spontaneum.

A NECESSITATE est propietas voluntatis qua dominium habet suorum actuum. Est immunitas a vinculo intrinseco seu a determinatione intrinseca voluntatis ad unum determinatum actum vel obiectum iam in actu primo. Est facultas quae positis omnibus praerrequisitis ad agendum potest agere et non agere, agere hoc vel illud.

Haec libertas vocatur libertas indifferentiae, quae est dos seu proprietas ipsius facultatis; unde primarie et essentialiter est in facultate. De actu et de obiecto dicitur per ordinem ad facultatem liberam.

**1.028.** Libertas a necessitate seu indifferentiae potest esse:

*Contradictionis seu exercitii* est potestas ad ponendum vel non ponendum seu omittendum actum; et ad terminandum seu attingendum vel non attigendum obiectum per actum: v. c. amare, non amare.

*Contrarietatis: Lato sensu* est potestas eligendi inter actus contrarios (vel obiecta contraria) v. c. amare-odisse; velle salutem-infirmitatem; velle et nolle actu positivo. *Stricto sensu* est potestas ad bonum vel malum morale v. c. amare virtutem vel vitium.

*Specificationis* est potestas eligendi inter actus vel obiecta specifice diversa v. c. ambulare-legere.

**1.029.** INDIFFERENTIA activa voluntatis:

*In genere* est potestas voluntatis ad unum vel ad aliud.

*Subiectiva* est potestas ad ponendum vel non ponendum actum.

*Terminativa* est potestas attingendi vel non attigendi obiectum per actum.

## 1.030. STATUS QUAESTIONIS.

Thesis habet tres partes:

a) *In prima parte* quaeritur utrum necne detur in Deo voluntas necessaria quoad amorem sui Ipsius. Affirmative respondemus. Deus se Ipsum necessario amat.

b) *In secunda parte* quaeritur utrum detur in Deo necne voluntas libera. Asserimus Deum esse liberum circa ea quae facienda sunt ad extra, unde quaestio est de libertate a necessitate seu de libertate indifferentiae.

*Difficultas* breviter in hac quaestione sic proponitur.

Ex una parte apparet libertatem concedendam esse Deo: libertas enim apud creaturas inter praecipuas dotes adnumeranda est. Inde etiam Deo tribuenda.

Ex alia parte Deo neganda videtur libertas: nam libertas indeterminationem, contingentiam, limitationem ferre secum videtur: iam vero haec omnia enti immutabili et absolute necessario repugnant, unde etiam libertas amovenda est a Deo.

c) *In tertia parte* affirmamus indifferentiam libertatis divinae non esse subiectivam, sed mere terminativam.

## 1.031. SENTENTIAE.

*Quoad primam partem* omnes consentiunt in eo quod Deus se Ipsum necessario amet.

*Quoad secundam et tertiam partem:*

*Prima sententia* negans Deus esse liberum. Ethnici PLATO et ARISTOTELES negarunt Deo libertatem. Similiter haeretici WICLEFFUS, BUCERUS, CALVINUS. Item *materialistae, pantheistae et evolutionistae.*

ABAELARDUS dixit Deum non alia potuisse facere quam quae reapse fecit. HERMES et GÜNTHER libertatem Dei non in indifferentia activo-electiva, sed in sola independentia divinae operationis ab externo influxu reposuerunt. ROSMINI Deo necessitatem moralem asseruit.

*Agnostici dogmatici* non nisi libertatem metaphorice sumptam Deo tribuunt.

**1.032.** *Secunda sententia* est nostra et omnium catholicorum asserentium Deum gaudere libertate ad extra. Nempe.

Libertas *a violentia* et *a coactione* est in Deo, quia nulli principio extrinseco subici potest.

Libertas *a necessitate intrinseca* non est in Deo relate ad se amandum; utique ad volenda bona creata.

Libertas *contradictionis* seu exercitii adest in Deo quia potest velle bona creata et non velle: sicut de facto hunc mundum voluit sic illum potuit non velle ab aeterno sine ulla suspensione in voluntate divina.

Libertas *a contrarietate: late sumpta* adest in Deo, i. e. quoad obiecta physice opposita: sicut de facto voluit mundum sic potuit de facto positive nolle ab aeterno sine ulla suspensione. *Stricte sumpta*, i. e. ad bonum et malum morale non adest in Deo.

Libertas *specificationis* seu relate ad bona creata specifica diversa adest etiam in Deo.

### CENSURA.

Certa in philosophia. In Theologia Deum esse liberum ad extra est de Fide Catholica definita DB 1783; 1805.

## 1.033. PROBATUR.

**1.ª Pars.** Deus necessario vult seu amat aliquid positive, actu. Atqui Deus nihil potest velle seu amare nisi amet se ipsum seu ratione amoris erga se ipsum. Ergo Deus se ipsum necessario vult seu amat: datur in Deo voluntas necessaria.

*Maior.* Nam voluntas divina non est mera potentia amandi sed est velle seu amor in actu secundo; item primus actus voluntatis debet esse prosecutio et non reiectio alicuius obiecti. Atqui repugnat metaphysice actus amoris qui

nihil amet (ipsum velle nihil vellet, quod repugnat). Ergo voluntas divina seu Deus necessario vult seu amat aliquid.

*Minor.* Nam actus voluntatis habet rationem sufficientem suae exsistentiae et specificationis in obiecto quod primo et per se amatur. Ergo si actus voluntatis Dei amaret aliquid creatum, non amato se prius, haberet in illo rationem sufficientem suae exsistentiae et suae specificationis. Atqui hoc repugnat. Ergo Deus nihil potest velle seu amare nisi ratione sui amoris.

**1.034. 2.ª Pars.** I. Deus est auctor entium libere volentium. Atqui auctor et causa debet continere perfectionem effectus. Ergo Deus est libere volens et quidem formaliter. Nam.

**1.035.** II. Deus continet formaliter omnes perfectiones simpliciter simplices. Atqui libertas est perfectio simpliciter simplex. Ergo datur in Deo voluntas libera.

*Maior.* Iam probata est in praecedentibus.

*Minor.* Libertas est *perfectio* aliqua: est enim aliquid reale positivum. Libertas est perfectio *simpliciter simplex:* haec enim est illa perfectio quae in suo conceptu formali et praecisivo nullam dicit imperfectionem. Atqui definitio voluntatis: immunitas a determinatione voluntatis ad unum determinatum obiectum; vel dominium voluntatis super suos actus (ad ponendum vel non ponendum actum) et inde ad attingendum vel non attingendum obiectum sibi ab intellectu propositum ut non absolute bonum, nullam dicit imperfectionem. Ergo voluntas est perfectio simpliciter simplex.

Certe in voluntate humana dantur multae imperfectiones, nempe:
*potentialitas* siquidem actus perficit facultatem;
*contingentia:* siquidem ita habet de facto actum ut possit eum non habere;
*limitatio:* gaudet enim perfectione actus iam habiti; sed caret perfectione actuum ad quos est in potentia; etiam potestas ad bonum vel malum morale etc... Sed huiusmodi imperfectiones sunt de conceptu talis voluntatis determinatae, non vero sunt de conceptu voluntatis ut sic, ut talis.

**1.036.** III. Quaelibet voluntas solummodo necessario potest velle illud, quod constituit eius bonum perfectum explens naturalem eius tendentiam et insuper ea, quae sunt media necessario connexa cum illo. Atqui bona finita non constituunt bonum perfectum voluntatis divinae explens naturalem eius tendentiam nec sunt media necessario connexa cum illo. Ergo voluntas divina omnia bona extra Deum non necessario sed libere vult.

*Maior.* Nam voluntas natura sua tota quanta est seu ordinatur ad obiectum suum, quod est bonum. Ergo non potest non amare obiectum suum, quod continet in se omnem rationem possibilem boni plene satiantis capacitatem voluntatis. Reliqua autem bona utpote finita, imperfecta... in quibus semper apparet aliqua ratio mali, nulla voluntas, nedum divina, necessario vult.

*Minor.* Bona extra Deum: *sunt ab alio*, participata, finita. Ergo non possunt explere infinitam voluntatis divinae capacitatem. *Non requiruntur ut pars aliqua* explens illam tendentiam seu capacitatem: hanc enim implet sola boni-

tas Dei, quae utpote infinita non eget aliquo extra Deum. *Non sunt media necessario connexa cum summo bono.* Nam bonum illud undequaque perfectum est sola divina essentia ut est bona seu Deus, qui est prorsus absolutus et independens ab omui re externa. Sicut Deus libere voluit suam gloriam externam ita libere voluit creare res externas.

**1.037. 3.ª Pars.** Exercitium libertatis importat indifferentiam subiectivam et obiectivam vel alterutram. Atqui indifferentia subiectiva in Deo repugnat. Ergo indiferentia libertatis in Deo est mere terminativa.

*Maior.* Patet ex definitione libertatis.

*Minor.* Indifferentia subiectiva importat potentiam activam et receptivam actus distincti ab ipsa facultate. Iam ille actus, qui est contingens, vel identificatur cum Deo et tum Deus erit contingens sicut actus; vel non identificatur cum Deo et tum datur in Deo compositio realis ex potentia et actu. Atqui utrumque repugnat. Ergo repugnat etiam in Dei voluntate indifferentia subiectiva.

**1.038.** Explicatio totius argumenti.

*Libertas in actu primo importat:*

1) Capacitatem, potentiam, facultatem activam ad eliciendum vel non eliciendum actum distinctum a facultate. Et capacitatem seu potentiam passivam recipiendi vel non recipiendi talem actum.

Libertas in hoc sensu non convenit Deo, nam multiplex imperfectio quae apparet in hac definitione libertatis imputanda est non solum imperfectioni obiecti, sed etiam imperfectioni ipsius facultatis et actus. Certe convenit creaturis, cum eius libertas consistat in indifferentia potentiae ad actum.

2) Capacitatem, potentiam, facultatem attigendi vel non attingendi obiectum per actum. Sic convenit Deo et in hac terminabilitate consistit libertas Dei in actu primo, qui est infinitae virtutis et saltem implicite includit libertatem in actu secundo.

*Libertas in actu secundo importat:*

1) Positionem actus eliciti a voluntate (ita ut potuisset non poni), distincti quidem ab ipsa voluntate et in ea recepti. Sic non convenit Deo, certe creaturis. Sed talis actus non versatur circa nihil. Ergo infert:

2) Terminationem actus ad obiectum, qua de facto vult hoc potius quam illud. Sic convenit Deo et in hac terminatione consistit libertas Dei in actu secundo. Ita enim unicus actus Dei attingit obiectum ut potuisset non attingere.

**1.039.** Unde: *a)* Nos sumus liberi ad ponendum vel non ponendum actum et sic libertas apud nos respicit ipsam entitatem actus i. e. actus entitative possunt esse diversi in volitione et in nolitione, in volitione unius et in volitionem alterius. Sed posito actu seu volitione in essentia sua iam constituta, voluntas nostra iam non est libera ut volitio praedicta terminetur ad tale vel ad tale obiectum; hoc iam non pendet a nostro arbitrio.

*b)* Deus autem non est liber ad ponendum vel non ponendum actum distinctum: nam libertas Dei non respicit ipsam entitatem actus volitionis i. e. actus entitative non potest esse diversus siquidem est identicus cum essentia divina. Respiciet unice terminationem actus substantialis Dei ad creaturas in quantum posito actu seu volitione divina in sua essentia iam constituta, ille actus infinitae virtutis potest ab aeterno attingere vel non attingere quaelibet alia a se distincta sive ut volenda sive ut nolenda.

**1.040. SCHOLIUM. De optimismo.**

*Optimismus* est opinio, quae docet Deum necessario optimum velle et operari. Diversimode ab auctoribus sustinetur.

*Leibnitz* tenet Deum simpliciter teneri ad optimum secus sine ratione sufficiente ageret. Unde hic mundus praesens est optimus omnium possibilium, non quoad singulas res, sed in complexu et harmonia. Deus necessitatur ut hunc mundum optimum creet.

*Ruiz de Montoya* docuit Deum, manente eius libertate physica, moraliter necessitari ex magna eius propensione ad optimum eligendum, saltem inter contradictoria v. c. inter creare et non creare moraliter tenetur ad creandum, secus irrationabiliter ageret.

*Scholastici communiter* docent Deum non teneri ad optimum, ne moraliter quidem, sed liberrimum esse ad creandum et non creandum, ad creandum mundum optimum vel minus bonum.

1. *Reicitur optimismus. a)* Perimit omnem libertatem Dei ad extra, nam Deus teneretur ad optimum, quia non eligere optimum esset contra innatam eius propensionem aut contra rationem sufficientem in volendo; iam vero Deus nulla omnino gaudet libertate ad agendum contra eius propensionem innatam aut contra rationem sufficientem in volendo. *b)* Res absolute optima repugnat, quia divina essentia est indefinite imitabilis ad extra. *c)* Propensio innata Dei ad beneficia largienda datur; sed ad optimum eligendum gratis asseritur, quia Deus creaturis nullatenus indiget; certe gradus gloriae extrinsecae determinatus obtinendus est, sed talis gradus ab ipso liberrime electus.

2. *Mundus noster est valde bonus multis de causis: a)* ratione operationis infinite perfectae, qua factus est; ratione *finis cui*, siquidem est Ipse Deus; item ratione finis *qui* nempe ratione bonitatis Dei communicandae. *b)* Supposito determinato fine totali mundi, hic mundus est medium aptissimum ad talem finem obtinendum. *c)* Ratione tot generum rerum optimarum sive naturalium, ut sunt anorganica, vegetativa, sensitiva, rationalia, pure intellectualia; sive supernaturalium ut gratia, gloria sive visio beatifica, unio hypostatica...

3. *Tamen mundus noster non est absolute optimus. a)* Mundus absolute optimus repugnat, quia Deus est indefinite imitabilis ad extra; omnis autem creatura est necessario finita. *b)* Status praesens huius mundi quamvis optimus sit, procul dubio melius ordinari potuerit. *c)* Mala mundi tum physica tum moralia pauciora et minora esse potuerunt.

## 1.041. OBIECTIONES.

1) Omne aeternum necessarium est. Atqui volitio Dei est aeterna. Ergo volitio Dei non est libera sed necessaria.

Dist. Mai. Absolute vel hypothetice C.; solum absolute N.; concedo minorem.

Dist. conseq. Entitative spectata C.; terminative Subd. quoad amorem divinae essentiae C.; quoad alia entia iterum dist. hypothetice necessaria C.; absolute N.

Atqui volitio Dei est absolute necessaria. Ergo.

2) Actus divinae voluntatis est ipse Deus. Atqui Deus est absolute necessarius. Ergo etiam volitio Dei est necessaria.

Dist. mai. Entitative C.; terminative Subd. quoad obiectum primarium C.; quoad obiectum secundarium N.

Conc. minor. et dist. pariter conseq.

Atqui volitio divina etiam quoad obiectum secundarium est necessaria Ergo.

3) Quidquid Deus vult, naturaliter et spontanee vult. Atqui quidquid naturaliter amatur est necessarium. Ergo quidquid Deus vult necessario vult.

Dist. mai. i. e. sine violentia et sine coactione ab extrinseco inducta C.; sine libertate i. e. necessario vult Subd. si agitur de obiecto primario C.; si de secundario N.

Contr. minorem.

Atqui quidquid Deus vult sine libertate vult. Ergo.

4) Si in Deo esset libertas, esset indeterminatio. Atqui in Deo nulla indeterminatio. Ergo nec libertas.

Dist. mai. Esset indeterminatio ad diversos actus N.; in quantum idem actus voluntatis potest ab aeterno libere sese ad obiecta secundaria determinare C.

Contrad. min.

Atqui nec potest esse illa indeterminatio ad obiecta diversa. Ergo.

5) Actus ille liber et indeterminatus ad diversa obiecta supponit deliberationem, consilium... Atqui in Deo haec repugnant. Ergo etiam illa indeterminatio ad diversa obiecta.

Dist. mai. In creatis C.; in Deo N.

Contr. min.

6) Si Deo indifferens est creare vel non creare; creare hoc vel illud, creatio, ut de facto habetur, caret ratione sufficienti et convincitur esse inintelligibilis. Ergo dicendum est res a Deo procedere non libera creatione, sed dimanatione necessaria, quae non sit nisi consectarium tendentiae primi principii in suam perfectionem plenam.

Resp. Nego antecedens.

Explicatio. Volitio libera non caret ratione sufficienti. Quoties enim voluntas libere eligit unum prae alio, in illud tendit, quia ab intellectu praesentatur ut bonum et conveniens: unde haec electio non est irrationabilis, sed ratione fundata. Ceterum contraria electio posset pariter ratione fundari et voluntate elici. Unde Deus voluntate sua libere decrevit creationem rationabiliter, quia hoc apparebat valde conveniens sapientiae suae. Ratio illa fit sufficiens ipso actu quo Deus ob eam de facto creationem decernit.

7) Quaedam extra Deum possunt dici necessario volita a Deo. Ergo Deus non gaudet libertate circa omnia quae facienda sunt ad extra.

Resp. dist. antec. absoluta necessitate N. Ex suppositione aliqua C.

Explicatio. Immutabilitas divina petit ut quod semel vult necessario semper debeat velle. Item qui sapienter agit, si aliquid libere vult simul quoque necessario vult ea quae requiruntur ad hoc vel quae sequuntur ex hoc. Cum vero Deus sit sapientissimus ita etiam debet procedere. Tandem si Deus libere velit creare, necessario debet ordinare creaturus in suam gloriam extrinsecam.

8) Si habet libertatem eam exercet pluries unde iam daretur aliqua successio in Deo. Atqui omnis successio in Deo repugnat. Ergo etiam libertas.

Resp. Nego maiorem.

Explicatio. Deus exercuit suam libertatem semel tantum, in actu videlicet aeterno, quo decrevit praesentem ordinem creationis cum successione omnium quae per totum decursum temporis vel aevi esse et contingere praevidebat. Vel potius numquam cessat Deus uti libertate sua, siquidem, omni successione carens, numquam desinit exercere libertatem suam, siquidem, omni successione carens, numquam desinit exercere actum quem ab aeterno posuit.

## ARTICULUS IV

### De constitutivo libertatis divinae et de conciliatione immutabilitatis Dei cum eius libertate

**THESIS 43. Actus Dei liber quatenus liber non constituitur sive adaequate sive inadaequate per aliquid extrinsecum, sed solummodo per aliquid intrinsecum, nempe ipso actu neccessario; quatenus vero terminatus ad creaturas et secundum partem intrinsecam spectatus est etiam idem re cum actu necessario ideoque prorsus indefectibilis. Unde libertas divina cum eius immutabilitate non pugnat.**

1.042. **Bibliographia.**—S. Th.., 1, CG, c. 82 ad finem.—Suárez, DM 30, 9, n. 4 et ss. — Urraburu, *Theod.*, 1, p. 550 ss.—Hontheim, *Inst. Theod.*, p. 689, obl. 1.—Loinaz, *Prael. e Theol. Nat.*, p. 319.—Brosnan, *Theol. Nat.*, p. 174.—Mz. del Campo, *Theol. Nat.*, p. 341.—Hellín, *Theol. Nat.*, p. 517 ss.—Gisquière, *Prael Theol. Nat.*, 2, p. 91.—Dalmau, *De Deo uno* (BAC, 1952), p. 153.

**1.043. Nexus.** In thesi praecedenti egimus de libertate Dei in genere, nunc de constitutivo libertatis seu actus liberi tum qua liberi (aliquid absolutum) tum qua terminati iam de facto ad creaturas (quem concipimus ut aliquid relativum).

### 1.044. NOTIONES.

Actus Dei liber qua liber est actus qui et quatenus potest respicere vel non respicere terminum contingentem. Unde libertas intelligitur in actu secundo, sed etiam prout aequivalet libertati ut facultati.

Actus Dei liber quatenus terminatus ad creaturas est actus qui et quatenus iam respicit de facto terminum contingentem seu mundum ita ut potuisset eum non respicere. Iam vero.

Actus Dei liber considerari potest: a) *entitative:* est entitas actus tota quanta intrinseca Deo et indefectibilis. b) *Terminative* seu prout significat terminationem ad mundum.

**1.045.** Terminatio *in genere* est tendentia, inclinatio, directio potentiae sive actus ad aliquid. Iam vero sicut quaelibet actio etiam tendentia considerari potest:

a) *principiative* seu in ipso principio; hoc sensu est aliquid intrinsecum agenti;

b) *in fieri effectus* seu in ipsa actione formaliter sumpta;

c) *terminative* seu in ipso effectu vel termino producto. Actio vero et effectus sunt extra agens.

Unde complexus meae tendentiae v. c. in deambulationem consideratus sive in potentia volitiva sive in executiva est partim intrinsecus partim extrinsecus. Applicemus haec ad Deum:

**1.046.** *Terminatio divina* ad mundum est tendentia, inclinatio, directio divinae voluntatis ad mundum. Haec tendentia principiative sumpta prout est in voluntate seu in actu Dei ut agente est intrinseca et prorsus indefectibilis; actio autem seu fieri mundi et mundus ipse sunt aliquid extrinsecum et defectibile. Unde tota tendentia divina in mundum complexive sumpta comprehendens volitionem et executionem est aliquid intrinseco-extrinsecum.

Iuvat considerari in actu simplicissimo Dei terminato ad mundum:

1) *Pars intrinseca: a)* Entitas ipsa actus divini. *b)* Libertas seu actus liber potens respicere vel non respicere mundum seu terminum contingentem. *c)* Exercitium libertatis (prout se tenet ex parte Dei), i. e. actus liber iam terminatus ad creaturas ita ut potuisset non terminari. Hinc, *d)* Terminatio, directio principiative sumpta seu in ipso principio seu quoad partem intrinsecam.

2) *Pars extrinseca: e)* Actio seu fieri mundi. *f)* Effectus seu mundus iam productus, i. e. terminatio quoad partem extrinsecam.

## 1.047. STATUS QUAESTIONIS.

*Ratio difficultatis* in hac quaestione sic breviter adumbrari potest:

*a)* Deus ab aeterno ratione posterius ad cognitionem omnium possibilium et futuribilium elegit uno decreto libero hunc mundum actualem creandum ita ut potuisset eligere alium vel nullum et quidem sine ulla mutatione ex parte Dei. Iam vero videntur sibi contradicere haec duo facta sc. libertas Dei eiusque immutabilitas, quas aliunde scimus esse certas fide et ratione.

*b)* Et primum quidem *actus Dei liber quatenus liber est*, vel addit aliquid actui necessario qua tali vel non. Si nihil addit, Deus vere liber esse nequit. Si addit aliquid, hoc vel est intrinsecum vel extrinsecum. Si est pure extrinsecum quomodo Deus est liber? Si est intrinsecum quomodo Deus est immutabilis? Item hoc intrinsecum vel est defectibile vel indefectibile. Si primum Deus non est immutabilis. Si secundum Deus non est liber.

*c)* Item actus Dei liber non iam quatenus liber sed *quatenus terminatus ad creaturas*, nempe terminatio actus liberi Dei ad res creatas, vel est vera formalitas intrinseca actui necessario, quae intrinsece deficere potuit vel non. Si intrinsece deficere potuit simplicitas et immutabilitas perire videntur. Si non deficere potuit... quomodo per eamdem tendentiam seu terminationem

quoad partem intrinsecam potest Deus ad diversa obiecta tendere, ad Se et ad mundum ad volitionem et ad nolitionem mundi?

**1.048.** *d) Difficultas non est* in eo quod una eademque entitas necessaria valeat ad diversa obiecta tendere diversimode, i. e. necessario aut libere: eadem etiam facultas in homine tendit ad alia obiecta necessario, libere ad alia, sed tendit ita ut diversae tendentiae ferant secum diversos actus. Si possent dari in Deo tendentiae seu terminationes realiter distinctae (intrinsecae) cum se vult et cum mundum vult, cum vult mundum et cum non vult mundum nullum esset mysterium ut nullum est apud hominem, qui tendit eadem facultate per diversas tendentias et per diversos actus.

*e)* Difficultas proinde *stat* in eo quod in Deo actus volitivus est unicus et unica etiam tendentia quoad partem intrinsecam et in ea solvenda tot insudarunt ingenia.

Ut vero in diversis explicationibus exponendis et iudicandis clarius procedamus iuvat diversa statuere asserta, quae totidem in hac re explicationes designabunt.

**1.049. Assertum I.—Actus Dei liber quatenus liber non constituitur per aliquid adaequate extrinsecum.**

Aureolus (135), Capreolus, Gregorius Ariminensis... asserunt actum Dei liberum quatenus liberum constitui per aliquid adaequate extrinsecum i. e. per ipsum mundum. Nempe datur in Deo volitio intrinseca et necessaria qua se necessario amat. Datur etiam volitio divina libera huius mundi; haec autem ex eius definitione potest esse et non esse et sic nullatenus intrinsece in Deo inveniri potest.

Inde libertas in Deo:

—non consistit in indifferentia intrinseca voluntatis vel actus ut attingat vel non attingat obiectum contingens; non est aliquid in linea potentiae volendi et nolendi ita ut Deus velit ut aliquid extra sit quod potuisset non velle actu formaliter vitali et immanenti, qui nequit constitui aliqua realitate Deo extrinseca. Sed consistit in indifferentia obiecti contingentis ut ponatur vel non ponatur a potentia executiva seu ab operatione Dei ad extra. Inde libertas Dei est aliquid in linea efficiendi vel non efficiendi i. e. in eo quod faciat aliquid extra se (formaliter libere velle) quod potuisset non facere (formaliter libere nolle) operatione Dei transeunte, quae ex parte Dei non constituitur nisi relatoine rationis ad effectum. Unde in hac sententia libertas solum metaphorice Deo tribueretur, nihil enim aliud est nisi mera denominatio extrinseca proveniens ex effectione vel non effectione rerum contingentium.

**1.050.** *Argumentum 1.* Libertas est dos voluntatis in eaque formaliter residet. Atqui haec sententia ponit eam extra voluntatem. Ergo reicienda est.

*Maior.* Libertas qua talis est intrinseca et necessaria ipsi facultati; actus vero et effectus ex se tantum sunt contigentes quatenus possunt esse et non esse et dicuntur liberi per extrinsecam denominationem a facultate libera ita illos eliciente ut potuerit non elicere. Atqui facultas in creatis seu actus aequivalens in Deo, est aliquid adaequate intrinsccum. Ergo etiam libertas in Deo est aliquid adaequate intrinsecum.

*Minor.* Patet.

**1.051.** *Argumentum 2.* Effectus numquam est constitutivum formale causae. Atqui exsistentia vel non exsistentia mundi est effcctus respectu potcstatis volendi et nolendi scu libertatis. Ergo exsistentia vel non exsistentia mundi non est constitutivum formale libertatis divinae.

(135) *In I Sent.*, d. 47, q. 1, a. 1.

*Maior.* Patet: effectus enim est aliquid posterius causa.

*Minor,* Ideo mundus fit quia Deus eum libere vult aut non vult; non e converso Deus libere vult aut non vult quia mundus fit aut non fit: secus effectio mundi esset ante et praeter Dei voluntatem et sic non esset effectio libera volitionis divinae contra thesim de libertate divina, quam patroni huius sententiae admittunt.

**1.052. Assertum II.—Actus Dei liber quatenus liber non constituitur duplici elemento: uno intrinseco, extrinseco altero.**

CONNOTATORES ut VÁZQUEZ (136), ARRUBAL (137), PLATEL (138), TORRES et *alii* dicunt actum Dei liberum quatenus liberum constitui duplici elemento: partim per aliquid intrinsecum partim per aliquid extrinsecum, ita ut altero deficiente volitio libera Dei non detur integra. Elementum intrinsecum et principale est actus voluntatis quo Deus se amat necessario et est penitus immutabilis et indefectibilis. Elementum extrinsecum est exsistentia mundi vel relatio rationis Dei ad mundum et relatio realis mundi ad Deum. Iam vero elementum extrinsecum, mundus exsistens (vel relationes praedictae) potest esse et non esse, quod sufficit ut possit dici de toto complexu actus liberi quatenus liberi posse esse aut non esse.

Unde in hac sententia Deus non esset liber mundo non exsistente, sicut non esset creator, omnipraesens... si mundus non exsisteret.

**1.053.** *Argumentum 1.* Constitutivum formale actus liberi Dei nequit esse, ne inadaequate quidem, illud quod est natura posterius ipso actu. Atqui exsistentia mundi (vel relationes in ea fundatae) est natura posterior ipsa volitione libera. Ergo exsistentia mundi nequit esse, ne inadaequate quidem, constitutivum formale actus liberi Dei quatenus liberi.

*Maior.* Patet.

*Minor.* Quia effectus externus procedit ab efficaci voluntate Dei ut a causa. Non ideo Deus liber est quia mundum facit (vel facturus est), sed contra facit mundum (vel facturus est) quia prius mundum libere vult.

**1.054.** *Argumentum 2.* Deus est libere volens mundum ab aeterno. Atqui non esset ab aeterno libere volens mundum, si mundus esset elementum constitutivum actus liberi. Ergo mundus ne inadaequate est constitutivum elementum actus liberi.

*Maior.* Ab aeterno libere decrevit mundum. Ergo etiam ab aeterno voluit libere.

*Minor.* Quia mundus physicus in tempore est.

**1.055.** *Argumentum 3.* Libertas est vera et intrinseca perfectio Dei. Atqui repugnat veram et intrinsecam perfectionem Dei constitui per operationem intellectus. Ergo actus Dei liber qua liber non constituitur per relationem rationis ad obiectum creatum.

*Minor.* Patet. Notandum est aliud esse actum liberum importare respectum quemdam rationis ad obiectum creatum, aliud libertatem actus praecise consistere in isto respectu et hoc postremum refutamus in hac sententia.

**1.056. Assertum III.—Actus Dei liber quatenus liber non constituitur duplici elemento ad mentem Pallavicini.**

CARDINALIS PALLAVICINI, SILVERTER MAURUS et *alii* affirmat actum Dei liberum quatenus liberum constitui duplici elemento, altero intrinseco extrinseco altero. Elementum vero intrinsecum est ipsa volitio Dei necessaria; elementum extrinsecum non est aliquid temporaneum sc. mundus ut in sententia Vázquez, sed est veritas aeterna futuritionis mundi. Ab aeterno, aiunt, verum est hoc: «mundus erit». Iam volitio Dei necessaria ad hanc terminatur veritatem contingentem, quae constituit inadaequate actum Dei liberum qua liberum.

(136) In I. d. 80, c. 2, n. 6, ss.
(137) In I. d. 54.
(138) *Cursus Theol.*, 1, *De Deo*, c. 4, n. 142.

**1.057.** *Argumentum.* Veritas aeterna futuritionis mundi:

*a)* ex una parte est aliquid distinctum et pure extrinsecum et ideale respectu divinae volitionis; *b)* ex alia parte iam praesupponit actum liberum. Ergo non potest esse constitutivum formale actus Dei liberi quatenus liberi.

*Antecedens. a)* Ipse adversarii concedunt hoc; et libertas est dos intrinseca facultati vel actui.

*b)* Propositio—mundus erit—non habet veritatem determinatam nisi praesupponatur Deum libere decrevisse mundum esse futurum.

### 1.058. Assertum IV.—Actus Dei liber quatenus liber non constituitur per entitatulam additam actui necessario.

Cardinalis Caietano (139), iuxta interpraetationem rigidiorem, asserit actum Dei liberum quatenus liberum constitui per aliquid intrinsecum actui volitivo Dei, realiter distinctum ab illo et defectibile. Nempe actus liber Dei addit volitioni necessariae sive realiter sive modaliter aliquam entitatulam, quae importat perfectionem internam, non intensivam sed extensivam (perficientem Deum non in ordine entis sed in ordine exercentis libertatem) quia extendit vel convertit actum necessarium ad alia obiecta praeter Deum volenda, proinde abesse potuisset sine laesione divinae perfectionis, tum in hypothesi nolitionis mundi siquidem est minorata et perfectionis mere extensivae, tum etiam in hypothesi volitionis alius mundi, quia haec volitio contraria aequalem omnino perfectionem Deo attulisset.

**1.059.** *Argumentum 1.* Deus est ens absolute necessarium, simplicissimum, infinitum et immutabile. Atqui si actus Dei liber quatenus liber constitueretur realitate aliqua actui necessario superaddita Deus non esset absolute necessarius, simplicissimus, infinitus et immutabilis. Ergo actus Dei liber non constituitur per aliquam entitatulam actui necessario additam.

*Maior.* Iam probata est in thesibus praecedentibus.

*Minor.* Libertas est dos intrinseca facultati vel actui; si ergo addit actui necessario entitatulam illam realiter distinctam ab illo et defectibilem, Deus est contingens, compositus, mutabilis.

**1.060.** *Argumentum 2.* Libertas est intrinseca facultati, unde in signo priori ad exercitium libertatis datur iam libertas, Atqui volitio huius mundi cum entitatula per hanc volitionem adveniente est exercitium libertatis divinae. Ergo volitio huius mundi cum illa entitatula non est constitutivum formale actus liberi quatenus liberi.

### 1.061. Assertum V.—Explicatio actus Dei liberi quatenus liberi facta a PP. De San (140), Lahousse (141), Van der Aa (142)...

Hi auctores libertatem et exercitium libertatis modo speciali explicant et sic exsistimant bene solvere quaestionem de concilianda libertate divina cum eius immutabilitate. Iuxta ipsos:

**1.062.** *a)* In omni voluntate libere agente datur:

1) *libertas in actu primo* quae consistit in activa indifferentia vel in indeterminatione voluntatis (vel actus aequivalentis) et in eius potestate activa sufficiente sese extrahendi ab hoc statu;

2) *libertas in actu secundo*, quae consistit in determinatione formale, qua voluntas se determinat ad volendum vel non volendum, ad volendum hoc vel illud. *Haec determinatio* nihil reale formaliter superaddit facultati, non distinguitur ab ea, sed identificatur cum ipsa essentia voluntatis et est prior termino activitatis.

---

(139) In I, q. 19, a. 23; In III, q. 1, a. 1.
(140) *De Deo uno*, p. 179.
(141) *Theodicea*, th. 19, n. 209.
(142) *Theol. Nat.*, prop. 53.

*Formale exercitium libertatis* (volitio activa) consistit in illa determinatione seu electione et est perfectio agentis actu, non vero perfectio recepta in agente, siquidem ex se, ex suo conceptu nullam dicit passivitatem nec ullam mutationem in agente.

3) *Terminus illius activitatis* seu exercitium libertatis terminative sumptum vel etiam exercitium consequens.

**1.063.** *b)* In voluntate libera creaturae. Illa indifferentia, determinatio (proveniens ex ipsa propria entitate voluntatis et non per actum aliquem a se distinctum), seu exercitium libertatis, ne in voluntate quidem creata, importat mutationem, quia agens qua agens non mutatur. Certe in exercitio voluntatis liberae crĕatae semper datur aliqua passivitas et receptio, et inde mutatio; recipitur nempe in voluntate terminus seu actus liber immanens. Sed mutatio provenit non ex priori determinatione sed solummodo ex receptione termini.

**1.064.** *c)* In voluntate libera Dei.

Formale exercitium libertatis in Deo fert secum solum determinationem, applicationem, volitionem activam; non habetur ullus terminus immanens receptus ex quo provenit mutatio in voluntate creata, inde nec ulla passivitas aut mutatio.

Unde in hac sententia. Salvatur Dei libertas siquidem datur potestas volendi et nolendi; volendi hoc aut illud. Salvatur Dei immutabilitas quia voluntas divina libera est pura activitas sine ullo termino recepto et agens qua agens non mutatur.

Nulla igitur difficultas adest in concilianda libertate Dei cum eius immutabilitate (saltem physica).

N. B. *Iuxta quosdam antiquiores* (Albertinum, Salazar et alios), datur:

1) Libertas in actu primo seu indifferentia activa, determinatio virtualis seu propensio, applicatio penitus indentificata cum voluntate (est enim ipsa entitas voluntatis ut determinata); et

2) libertas in actu secundo, determinatio formalis, seu exercitium formale libertatis, quod est ipse actus secundus.

**1.065.** *Argumentum.* Haec theoria nititur in peculiari modo explicandi determinationem formalem seu formale exercitium libertatis. Atqui hic peculiaris modus reiciendus est. Ergo etiam theoria reicienda.

*Maior.* Patet.

*Minor. Exercitium formale libertatis:*

a) *Non potest esse ipsa voluntas libera in actu primo* prout talis, prout nondum actu operans: hoc constat tum ex ipsa significatione grammaticali verborum, tum ex sensu communi omnium, qui affirmant formale exercitium libertatis in creatis importare operationem essentialiter immanentem distinctam a facultate et receptam in illa.

*Nec potest esse ipsa operatio in actu secundo:* quia iuxta illos talis determinatio formalis identificatur cum potentia in actu primo; iam vero nulla causa creata identificat secum suam operationem. Item exercitium formale libertatis penitus identificatur cum ipsa entitate voluntatis, est aliquid inseparabile ab illa, inde semper et quidem necessario est in tali formali exercitio; immo in creatis nequit impediri eius terminus immanens. Ergo nec exercitium libertatis nec eius actus subsequens esset aliquid liberum.

*Nec potest esse ipsa voluntas iam actu operans:* complexus enim voluntatis et operationis immanentis non identificatur adaequate cum ipsa potentia.

b) *Determinatio* illa praevie ad actum secundum vel est inutilis vel est nociva libertati. *Est inutilis:* si enim posita illa determinatione posset adhuc voluntas abstinere ab actu secundo, maneret adhuc indeterminata. Unde eget alia determinatione et haec alia et sic usque infinitum. Item si potest ex propria virtute transire ad determinationem virtualem cur non potest transire immediate ad ipsam formalem determinationem seu ad actum secundum voluntatis?

*Est nociva:* si posita determinatione, voluntas non posset iam abstinere ab actu secundo, hic actus secundus non est liber in se ipso, siquidem procedit ex determinatione, quae est natura prior illo actu.

c) *Voluntas meretur* propter suos actus et propter opera sua. Iam vero in hac sententia: Non potest mereri per formale exercitium libertatis: est enim prior ipso actu secundo, et praeterea meritum quod est aliquid supernaturale, esset de facto aliquid naturale, nam procederet ab exercitio libertatis identificato cum potentia naturali.

Nec potest mereri per actum secundum, quia posito tali exercitio libertatis necessario et ineluctabiliter sequeretur actus secundus in creatis.

d) *Punctum difficultatis intactum relinquit.* In hac sententia non explicatur quomodo in illo exercitio libertatis adsit indifferentia requisita ad libertatem prout iam diximus.

Insuper activitas illa divina in qua consistit exercitium libertatis fert secum aliquam actionem: si haec est actio transiens non constituit libertatem; si vero est immanens, tum Deus mutaretur.

**1.066. Assertum VI.—Actus Dei liber quatenus est liber adaequate constituitur ipso actu necessario, a quo tantum ratione cum fundamento in re distinguitur et est prorsus indefectibilis.**

*Doctrinam in hoc asserto contentam sustinent* S. THOMAS et plures *thomistae* (143), SCOTUS (ut videtur) (144), et *nostrates* frequentissime ut SUÁREZ (145), TOLETUS (146), S. R. BELLARMINUS (147), VALENTIA (148), RUIZ DE MONTOYA (149), ALBERTINUS, BECANUS, URRABURU, LOINAZ, HELLÍN et *hodie fere omnes scholastici.*

**1.067.** Iuxta patronos huius sententiae actus Dei liber qua liber est Deo plane intrinsecus et constituitur adaequate per ipsum actum necessarium a quo ratione tantum seu dependenter a mentis consideratione distinguitur et est indefectibilis.

*a)* Ipse simplicissimus et indivisibilis actus volitionis, qui necessario terminatur ad Deum dicitur et est liber quatenus potest terminari et non terminari ad obiectum seu terminum contingentem.

*b)* Haec autem virtualitas necessaria et libera unius eiusdemque actus non potest concipi a nostro deficiente intellectu nisi duobus conceptibus distinctis ratione cum fundamento in re. Unde operatio intellectus supponit non constituit libertatem.

*c)* Item libertas seu actus Dei liber qua liber est in Deo aliquid absolutum sicut ipsa divina essentia, non est aliquid relativum; non est realis relatio actus ad mundum (relatio realis in Deo nulla datur); nec relatio rationis, quae fingitur a nostro intellectu, siquidem libertas aliquid reale et divinum est.

*d)* Tandem ille actus divinus in se absolutus continens omnes perfectiones voluntatum ac volitionum praebet fundamentum ut utramque termina-

---

(143) ÁLVAREZ, *De auxiliis*, disp. 7, n. 32.—GONET, *Clypeus Thomist.*, 1, tr. 4, disp. 3, a. 2.—JOAN. A S. THOMA, *Cursus Theol.*, t. 3, q. 19, d. 4, a. 4.—BILLUART, *De Deo*, diss. 8, a. 4.
(144) Oxon, d. 8, q. 5, n. 23; Quodl. q. 16.
(145) DM 30, s. 9, n. 35-61.
(146) In I, q. 19, a. 2.
(147) *De gratia et libero arbitrio*, l. 3, c. 17.
(148) *Comm. Theol.*, t. 1, q. 19.
(149) *De divina voluntate*, disp. 11 ss.

tionem volitionis ad Deum et ad mundum accipiamus ad instar relationum aeternarum, quarum alia absolute necessaria, contingens alia sit, in ipsa tamen volitione divina totum scimus esse absolutum.

### PROBATUR.

**1.068.** I. Libertas seu actus liber Dei qua liber debet: *a)* esse aliquid intrinsecum; *b)* servare divinam immutabilitatem; *c)* habere aliquam contingentiam. Atqui haec tria obtinentur in nostra sententia. Ergo libertas seu actus Dei liber qua liber constituitur adaequate ipso actu necessario.

*Maior. a)* Quia libertas est dos voluntatis, aliquid divinum.

*b)* Iam probatum est Deum esse absolute immutabilem.

*c)* Patet ex ipa definitione actus liberi.

*Minor. a)* Est aliquid intrinsecum quia adaequate constituitur ipso actu necessario.

*b)* Quia libertas seu actus liber Dei qua liber, utpote perfectio intrinseca Deo, est indefectibilis sicut ipse Deus et quoniam volitio divina continet omnes actus creaturarum eminenter, i. e. potest uno eodemque actu simplicissimo praestare quod nos possumus tantum diversis actibus sibi succedentibus... nulla datur in eo potentialitas, nullus transitus de potentia in actum vel ex uno actu in alterum. Ergo actus liber Dei qua liber servat immutabilitatem Dei.

*c)* Quia potens est respicere vel non respicere terminum contingentem propter eius infinitatem, quae omne obiectum attingit secundum eius meritum.

**1.069.** II. Actus Dei liber qua liber distinguitur ratione ab actu necessario.

Distinctio rationis cum fundamento in re datur cum res in se simplex sese offerat ut pluribus aequivalens ita ut a nostro deficiente intellectu nequeat uno conceptu repraesentari. Atqui talis est actus volitivus Dei. Ergo inter actum necessarium et liberum Dei datur distinctio rationis cum fundamento in re.

*Maior.* Patet. Conf. thesim de distinctione attributorum n. 511.

*Minor.* In actu volitivo Dei datur virtualitas tendentiae necessariae et liberae iuxta diversa obiecta. Iam si considero illum actum tendentem in Deum considero actum volitivum ut necessarium et non possum simul illum concipere ut liberum. Si vero considero illum actum volitivum ut tendentem ad contingentia, considero illum ut liberum et tum non possunt illum concipere simul ut necessarium. Ergo teneor apprehendere illum actum secundum duplicem virtualitatem et inde duplici etiam conceptu ut illum sine contradictione concipere possim.

**1.070.** III. Est prorsus indefectibilis.

Libertas in Deo est aliquid adaequate intrinsecum ipsi actui necessario, proinde aliquid divinum identificatum cum ipso Deo. Atqui Deus prorsus

indefectibilis est. Ergo etiam actus Dei liber quatenus liber est prorsus indefectibilis.

**1.071. Assertum VII.—Actus Dei liber quatenus terminatus ad creaturas seu actualis ad mundum terminatio quoad partem intrinsecam est idem re cum actu necessario et inde nullatenus defectibilis, sed intrinsece indefectibilis est.**

Auctores qui sustinent sententiam in asserto VI propugnatam, cum iam quaeritur in concreto de natura terminationis actualis ad mundum et de eius defectibilitate inter se dividuntur.

**1.072.** 1) GODOY (150), GONET et *alii ex thomistis; aliqui etiam e S. I.* ut ESPARZA (151), VIVA (152), MAYR (153), etc... dicunt terminationem illam actualem ad mundum esse intrinsecam actui, aliquid divinum, et supposito quod adsit de facto iam repugnat metaphysice eam deficere; sed absolute defectibilem esse vere actu et realiter ita ut in hypothesi nolitionis mundi ab actu divino abfuisset: nulla enim est difficultas ut aliquid divinum terminative (non vero entitative) intrinsece deficere possit.

**1.073.** 2) P. BROSNAN et *alii tum thomistae, tum suareziani* ut LUGO, MARÍN... affirmant terminationem Dei ad mundum virtualiter intrinsece differre ab actu necessario et esse etiam intrinsece defectibilem non actu et realiter et entitative, sed virtualiter et terminative etiam intrinsece ante omnem operationem mentalem.

Antecedenter enim ad omnem mentalem operationem, idem actus divinae voluntatis propter suam infinitam virtutem, est ac si esset realiter alius et alius siquidem potest recipere praedicata contradictoria sine contradictione volentis et nolentis mundum; et insuper haec praedicata contradictoria amittere non actu et realiter (quia nihil reale actualiter amittitur) sed virtualiter tantum. Unde in hypothesi nolitionis mundi abfuissent mundus, et relatio rationis Dei ad mundum et formalitas qua voluntas divina denominatur libere volens hunc mundum; non quia in Deo aliquid realiter abfuisset, sed quia Deus esset ac si aliquid realiter et actualiter ab eo abfuisset, nam realiter et actualiter creator huius mundi non esset.

**1.074.** 3) *Thomistae communiter, plures e nostratibus et fere omnes moderni* affirmant actum liberum Dei qua terminatum ad creaturas (directionem actus in terminum) seu actualem ad mundum terminationem quoad partem intrinsecam esse aliquid idem re cum actu necessario, ab hoc ratione cum fundamento

(150) In I, t. 2, tr. 6, disp. 48, p. 5, n. 8.
(151) *De Deo uno*, q. 22.
(152) *De Deo uno*, d. 4, a. 2.
(153) *Theol. Schol.*, t. 1, tr. 1, d. 4, q. 1, a. 2.

in re distinctum et insuper intrinsece indeffectibile; extrinsece vero defectibile, siquidem nihil aliud est quam ipse mundus.

## PROBATUR.

**1.075.** I. NON DATUR DISTINCTIO REALIS.

In Deo nulla est compositio et mutabilitas. Atqui si terminatio quoad partem intrinsecam actui necessario aliquid realiter distinctum adderet, esset in Deo intrinseca compositio et mutabilitas. Ergo actualis terminatio ad mundum quoad partem intrinsecam est idem re cum actu necessario.

**1.076.** II. NON DATUR DISTINCTIO VIRTUALIS INTRINSECA.

Non est admittenda illa distinctio quae videtur esse contra principium contradictionis. Atqui talis est distinctio virtualis intrinseca. Ergo reicienda est.

*Maior.* Patet.

*Minor.* Iam demonstrata est in Ontologia. Nam fieri non potest ut de una eademque re independenter a mentis consideratione verificentur simul ea, quae inter se sunt vere contradictoria.

Insuper non apparet quomodo aliquid independenter a mentis consideratione possit esse defectibile virtualiter et non actu et realiter.

**1.077.** III. DATUR DISTINCTIO RATIONIS.

Distinctio in casu: vel est realis; vel virtualis intrinseca; vel virtualis extrinseca seu rationis ratiocinatae cum fundamento in re. Atqui prima et secunda iam reiectae sunt. Ergo non remanet nisi tertia, nempe distinctio rationis.

*Maior.* Enumeratio est adaequata.

*Minor.* Constat ex primo et secundo argumento.

*Consequens.* Patet. Et quidem

1) *Quoad actum necessarium.* Si enim actus Dei liber qua liber distinguitur ratione ab actu necessario a fortiori actus Dei liber qua terminatus ad creaturas quoad partem intrinsecam etiam ratione distinguitur. 2) *Quoad actum liberum qua liberum.* Actus Dei liber quatenus terminatus ad mundum: *quoad partem intrinsecam* distinguitur etiam ratione ab actu libero qua libero, siquidem primo sensu consideratur ut aliquid relativum; altero sensu ut aliquid absolutum, inde tendentia distinguitur ab actu volitivo libero entitative spectato fere sicut relatio a suo fundamento distinguitur;

—*quoad totam terminationem complexive sumptam* distinguitur realiter inadaequate, siquidem actus liber qua liber est aliquid absolutum et penitus intrinsecum; terminatio vero complexive sumpta est aliquid relativum intrinseco-extrinsecum.

**1.078.** IV. EST INTRINSECE INDEFECTIBILIS.

Terminatio actualis seu directio actus divini ad mundum quoad partem intrinsecam est aliquid divinum identificatum cum essentia et volitione neces-

saria. Atqui repugnat ut aliquid divinum identificatum cum essentia et volitione pereat. Ergo terminatio actualis ad mundum quoad partem intrinsecam intrinsece indefectibilis est.

*Maior.* Ipsi adversarii hcc fatentur.

*Minor.* Sicut repugnat perire ipsum Deum. Unde illa terminatio actus ad mundum est defectibilis solummodo quoad terminum extrinsecum, i. e. quoad mundum sive in fieri sive in facto esse.

### 1.079. Assertum VIII.—Unde libertas Dei cum eius immutabilitate non pugnat.

Hoc assertum est corollarium ex iis quae probata manent. Ut diximus argumenta proposita ostendunt potius rem ita debere esse, quin modum declarent, quo idem divinum velle sine sui mutatione possit terminari ad diversa obiecta vel non terminari.

Tamen haec argumenta debent sufficere ad veritatem certo probatam amplectendam; sapienter enim monet Suárez: «In huiusmodi rebus id de Deo esse credendum quod ineffabili eius perfectioni sit magis consentaneum, quodque ab omni imperfectione alienum sit, etsi modum, quo id Deo conveniat, non assequamur.» (Disp. 30, 1-9).

**1.080.** *Argumentum.* Libertas repugnaret immutabilitati, si actus liber adderet aliquid actui necessario et libertas importaret aliquam potentialitatem. Atqui

*a)* actus liber in Deo identificatur cum actu necessario;

*b)* et libertas divina nullam potentialitatem importat. Ergo libertas Dei cum eius immutabilitate non pugnat.

*Maior.* Patet; tunc enim daretur aliqua mutatio.

*Minor.* *a)* Iam probatum est in praecedentibus.

*b)* Nam volitio necessaria qua se ipsum vult est infinita et subiective et obiective ideoque continet sua virtute quidquid perfectionis est in genere volitionis ita ut ipsa sola habeat potestatem sese convertendi ad se necessario, ad contingentia libere et quidem sine ullo transitu aut potentialitate et sine imperfectionibus, quae sunt in nostra libertate, provenientibus ex eo quod voluntas sit potentia, quae completur per actum supperadditum et quod actus liber supperadditus est natura sua ordinatus ad proprium obiectum.

Exercitium enim libertatis quo Deus vult vel sese determinat ad creata est iam in exercitio purissimo volitionis divinae necessariae et infinitae, propterea quia infinita est.

### 1.081. OBIECTIONES.

1) Actus liber est ille, qui potuit esse et non esse. Atqui actus, qui potest esse et non esse non est necessarius. Ergo actus liber non identificatur cum necessario.

Dist. mai. In creatis C.; in Deo N.

Conc. min. et disting. consequens.

Atqui etiam in Deo actus liber non identificatur cum necessario. Ergo...

2) Libertas in Deo seu terminatio contigens potens respicere vel non terminum contingen-

tem est relatio quaedam exurgens in divina voluntate ex rebus ipsis existentibus, utpote correspondens illi relationi, qua res ipsae ad Deum tamquam ad causam sui esse referuntur. Ergo actus liber qua liber non constituitur adaequate per aliquid intrinsecum, sed requirit terminum externum tamquam sui constitutivum.

Resp. Dist. antecedens. Terminatio ista (seu libertas) est fundamentum relationis rationis exurgentis in voluntate divina ad creaturas C. Terminatio seu libertas in Deo constituitur ipsa relatione N. Constituitur adaequate actu necessario Dei.

Distig. consequens.

Explicatio. *a)* Terminatio seu tendentia est aliquid et ens et entitas, sed non est necesse ut sit realiter distincta a potentia et actu neque in creatis; ratio terminationis distingui potest a ratione entitatis fere sicut relatio distinguitur a suo fundamento. *b)* In creatis habetur: 1) *sine actu realiter a potentia distincto* v. c. tendentia cuiuslibet appetitus innati ad suum obiectum; 2) *per actus realiter distinctos a potentia* ita ut singulae tendentiae ferant secum actus distinctos neque uno actu v. c. volitionis possimus tendere in diversas actiones vel effectus. 3) Cum de voluntate agitur tendentia maxime aestimatur in ipso actu, qui importat relationem transcendentalem realem ad obiecta volita.

*c)* In Deo libertas seu tendentia plene identificatur cum ipso actu necessario et relatio, quam concipimus in Deo libere volente ad effectus volitos: non est relatio realis, quae nulla datur in Deo; non est relatio transcendentalis, quia relatio in casu nostro est contingens; non est relatio praedicamentalis, quia datur ante exsistentiam termini realis; non est illa relatio rationis, quae in Deo concipitur resultans ex creaturarum effectione ac respondens reali relationi, qua illae ad suum creatorem referuntur quia libertas est ante effectum futurum. Est potius relatio secundum dici (i. e. relatio improprie dicta seu quae habetur cum res in se absoluta per respectum ad aliud explicatur v. c. potentia creatrix, scientia visionis licet in se absolutae per respectum ad creaturas intelliguuntur) ad quam non requiritur exsistentia termini; nec proinde, ut actus liber qua liber sit constitutus et habeat hanc relationem, non est necesse ut exsistant creaturae.

Atqui actus liber in Deo non potest identificari cum actu necessario. Ergo...

3) Actus qui ita exsistit ut possit non existere non identificatur cum necessario. Atqui sic exsistit libera volitio Dei circa mundum. Ergo actus liber in Deo non identificatur cum necessario.

Dist. mai. Si ita exsistit ut possit non exsistere quoad entitatem. C.; si solum quoad terminationem extrinsecam N.

Contrd. minorem.

Atqui etiam quoad entitatem non est idem actus necessarius et liber. Ergo...

4) Diversi termini voliti supponunt diversitatem in ipso actu volente. Atqui in casu termini voliti sunt diversi (Deus terminus necessarius, creaturae terminus liber). Ergo etiam quoad entitatem non est idem actus necessarius et liber.

Dist. mai. In nobis C.; in Deo N.

Conc. min. et dist. consequens.

Atqui etiam in Deo diversi termini voliti inferunt diversitatem actus. Ergo...

5) Actus inter se contrarii non possunt identificari. Atqui in Deo actus necessarius et liber, velle et nolle (actu positivo) mundum contraria sunt. Ergo diversi termini voliti inferunt diversitatem actus etiam in Deo.

Resp. Disting. mai. si actus sunt contrarii contrarietate ipsorum actuum realiter inter se distinctorum C.; si tales actus non sunt contrarii re, sed solum per diversam habitudinem unius actus ad obiecta opposita N.

Contrd. min.

Atqui obiecta opposita supponunt in Deo diversitatem actus. Ergo...

6) Secus in Deo velle se ipsum et velle mundum, velle et nolle mundum idem essent. Atqui hoc est absurdum. Ergo diversi termini voliti inferunt diversitatem actus.

Resp. Disting. mai. Quoad entitatem actus et terminationem indefectibilem C.; quoad totalitatem actus propter quam Deus denominaretur «volens mundum» N.

Contrd. minorem.

Atqui terminatio etiam quoad partem intrinsecam non potest esse eadem in hypothesi volitionis et nolitionis mundi. Ergo...

7) In hypothesi nolitionis mundi mundus revera non daretur. Atqui si maneret eadem terminatio actualis ad mundum quoad partem intrinsecam in hypothesi nolitionis mundi, etiam in hac hypothesi mundus daretur. Ergo non manet eadem terminatio quoad partem intrinsecam, sed haec perit.

Resp. Conc. mai. et nego minorem.

Explicatio. Cum Deus vult mundum vel libere ad mundum terminatur nihil in se nec physice nec metaphysice recipit supra suum actum necessarium. Cum vero non vult mundum nihil in se amittit. Et sic: a) *Ante volitionem mundi* datur in Deo actus necessarius quo se Ipsum necessario amat;

b) *Post volitionem mundi* datur extra Deum mundus. In Deo vero datur actus necessarius cum actuali terminatione libera ad mundum quoad partem intrinsecam. Hic veluti complexus nihil aliud est in ipso Deo nisi simplicissima entitas divina cum duplici virtualitate, quae praebet nobis fundamentum ad duplicem conceptum ita ut unus conceptus repraesentet actum necessarium, alter terminationem ad mundum veluti additam actui necessario.

Tamen haec terminatio non datur in re formaliter sicut nos eam concipimus, nempe veluti formam internam relativam actui necessario additam. Utique est aliquid reale et entitas et ens et praebet fundamentum ut eam concipiamus tamquam aliquid relativum quin tamen constituatur per relationem, quae exsurgit ex nostro modo concipiendi actum liberum ad modum relationis rationis cum fundamento in re: constituitur solummodo per actum necessarium et repraesentatur a nobis ut denominatio intrinseca indefectibilis.

c) *In hypothesi nolitionis mundi* non datur mundus extra Deum: inde perit terminatio ad mundum quoad partem extrinsecam et sic Deus non denominatur volens mundum. Tamen in Deo datur actus necessarius cum actuali terminatione ad mundum, quoad partem intrinsecam. Utraque praedicta virtualitas etiam adest in re ut antea, sed deest nobis fundamentum ad duplicem conceptum; inde in hoc casu terminatio perit, sed solummodo prout a nobis concipiebatur sub *b)*, nihil tamen divinum intrinsecum perit et deficit nec iudicamus perire.

Atqui Deus esset volens mundum et denominaretur volens mundum si in hypothesi nolitionis mundi daretur in re eadem terminatio quoad partem intrinsecam. Ergo stat difficultas.

8) Stante forma denominante subsistit eius effectus formalis denominatio. Atqui in utraque hypothesi stat ipsa forma denominans. Ergo in utraque hypothesi esset volens mundum et denominaretur volens mundum.

Resp. Dist. mai. Subsistit effectus formalis primarius et intrinsecus debitus soli formae et denominatio debita soli formae C. Subsistit effectus formalis complexus et denominatio supponens etiam aliud elementum N.

Concedo minorem.

Dist. pariter consequens. Si talis effectus deberetur soli formae C.; secus N.

Explicatio. Terminatio quoad partem intrinsecam eadem est in utraque hypothesi et per eam constituitur Deus aptus ut appelletur «volens mundum, nolens mundum» sine ulla ipsius mutatione aut desitione. Talis aptitudo est effectus formalis primarius et intrinsecus. Sed effectus formalis complexus, qui est ipsa denominatio «volens mundum, nolens mundum» requirit terminum extrinsecum ut conditionem. Unde si datur mundus, Deus denominatur volens mundum; si non datur, Deus non denominatur volens mundum.

Simili modo: Deus est immensus et talis forma eadem est sive exsistat sive non exsistat mundus; mundo non exsistente Deus non denominaretur omnipraesens, mundo exsistente utique denominaretur omnipraesens.

Atqui stante eadem forma Deus in utraque hypothesi volitionis et nolitionis denominaretur volens mundum. Ergo...

9) Eadem forma non dat effectus formales contrarios. Atqui terminatio illa intrinseca daret effectus formales contrarios. Ergo terminatio...

Resp. Dist. mai. primarios C.; secundarios Subd. mere intrinsecos ipsique formae adaequate debitos C.; extrinsece complendos N.

Atqui non intelligitur quomodo eadem forma, eadem terminatio possit habere illos effectus formales contrarios extrinsece complendos. Ergo stat difficultas.

10) In tua sententia idem manens actus et eadem terminatio quoad partem intrinsecam in una hypothesi vult et facit mundum; in alia nec vult nec facit. Atqui hoc non apparet quo pacto verificari possit. Ergo non intelligitur...

Resp. Concedo maiorem.

Dist. minorem. Non possumus explicare modum quo id fieri possit. Tr. non probatur sic debere esse N.

Explicatio. Probatur et explicatur ex infinitate divina, quae eadem manens potest utrumque facere: mundum in hypothesi volitionis; non mundum in hypothesi nolitionis et in hoc casu terminatio non esset inanis et frustranea, sicut non est inanis ipse actus necessarius.

Unde potius nequimus hoc explicere, sed tantum demostrare sic debere esse. Nam in solutione difficultatum circa hanc quaestionem fatendum est tandem pervenire ad stadium in quo contenti simus dicere: sic debet esse, non vero possumus via positiva determinare modum nisi per recursum ad infinitatem seu aliis verbis ultimatim rem ad mysterium amandando. Sed nota bene utrumque membrum est certissimum (libertas, immutabilitas in Deo) ut iam probatum est. Ergo a parte rei amice cohaerent, quamvis nos non videamus positive modum.

**1.082. APPENDIX.** De actibus et virtutibus divinae voluntatis. Cfr. Urraburu, *Theod.* II, p. 527 sqs.

*Passiones* seu affectus proprie sunt actus appetitus sensitivi; sed etiam passiones dicuntur actus seu affectus appetitus rationalis seu voluntatis, quatenus obiectum simile obiecto passionum appetitus sensitivi habent.

Tales affectus sunt duplicis generis:

—*concupiscibiles*, qui versantur circa bonum et malum absolute spectata; et sunt sex: amor, gaudium, desiderium, odium, fuga, tristitia.

—*irascibiles*, qui versatur circa bonum et malum ut ardua et sunt quinque sc. spes, desperatio, audacia, timor, ira.

Iam vero actus Dei volitivus unicus et infinite perfectus est, inde debet continere omnes perfectiones actuum, quos nostra voluntas elicit. Actus vero, qui ex suo conceptu nullam includunt imperfectionem proprie et formaliter in Deo inveniri debent; illi vero, qui dicant perfectionem admixtam imperfectioni solum eminenter, improprie seu metaphorice in Deo dari possunt. Privationes, negationes.,. Deo repugnant.

**1.083.** 1. ***Actus et affectus voluntatis divinae respondentes apud nos passionibus appetitus concupiscibilis.*** Non eadem est ratio quoad modum quo in Deo tales affectus contineantur.

*Amor* est inclinatio voluntatis in bonum. Proprie in Deo est tum relate ad suam infinitam bonitatem, tum relate ad creaturas. *Zelus* est amor ardens gloriae Dei a creaturis accipiendae. Proprie etiam de Deo praedicatur.

*Gaudium* est fruitio boni praesentis. Proprie in Deo adest relate ad felicitatem sive propriam sive beatorum. *Delectatio* est fruitio propriae felicitatis. Etiam proprie in Deo datur.

*Desiderium* est inclinatio in bonum absens, quo desiderans caret. Unde desiderium respectu boni ipsius Dei repugnat Deo, siquidem nullo bono carere potest. Respectu boni aliorum—vult omnes salvos fieri—plures Deum vere et proprie, alii solum metaphorice desiderare concedunt.

*Odium.* Potest esse duplex: abominationis et inimicitiae.

*O. abominationis* est affectus animi, quo malum detestamur et reprobamus et terminatur directe ad rem malam. Hoc sensu iuxta plures proprie in Deo adest; vere enim et proprie Deus abominatur peccatum et peccatorem ut peccatorem. *Odium inimicitiae* est affectus animi quo quis alicui personae vult malum sub ratione mali. Directe terminatur et detestatur personam. Unde non nisi metaphorice Deo tribui potest.

*Fuga* est aversio a malo absenti prout tali, quod subiecto advenire potest. Si agitur de malis, quae creaturis accidere possunt, controvertitur utrum fuga in Deo dari possit necne, aliis affirmantibus, negantibus aliis.

*Tristitia* est affectus ex malo praesenti qua tali, quod quis invite patitur. Iam vero nullum malum Deo accidere potest, ergo nec tristitia; et solum metaphorice dicitur Deum dolere de malis alienis.

**1.084.** 2. *Actus voluntatis respondentes apud nos passionibus appetitus irascibilis.* Hi affectus, si stricte sumantur, cum semper includant aliquam arduitatem in bono adipiscendo et in malo fugando proprie in Deo inveniri non possunt, sed solum improprie et metaphorice.

*Spes* est desiderium boni absentis supponens arduitatem obtentionis. Unde spes metaphorice solum de Deo dici potest.

*Desperatio* seu recessus a desiderato ex impossibilitate saltem putata obtentionis, Deo repugnat.

*Audacia* connotat intenti difficultatem, ignorantiam, incertitudinem... quae omnia Deo repugnant.

*Timor* est trepidatio mentis ex imminentia proprii mali difficile vitabilis. Ut est manifestum Deo repugnat.

*Ira*, si stricte sumitur prout est appetitus vindictae cum mixtione doloris et turbationis Deo proprie convenire non potest. Si vero sumatur pro—iuxta vindicta—Deo proprie asserenda est.

**1.085.** 3. *Actus divinae voluntatis circa finem et media.*

*Intentio* finis (de fine bono) seu intendere finem est velle finem; *electio* mediorum i. e. acceptare alia aliis relictis; *executio* seu usus... perfectionem dicunt et nullam imperfectionem ex suo conceptu important, ergo proprie in Deo inveniuntur.

**1.086.** 4. *Virtutes divinae voluntatis respondentes voluntatis creatae virtutibus*, quas Deus debet continere proprie et formaliter aut eminenter, improprie, metaphorice.

*a)* Nulla virtus in Deo proprie adest ut habitus accidentalis.

*b)* Virtutes, quae circa passiones versantur et quarum operatio in organo fit ut continentia, castitas, sobrietas, modestia... non proprie ac formaliter, ut patet, sed solum metaphorice de Deo dici possunt.

*c)* Item virtutes, quae respectum dicunt inferioris ad superiorem ut humilitas, oboedientia, religio, observantia, cultus, adoratio, reverentia... non proprie et formaliter, sed solum metaphorice Deo tribui possunt: nullum enim Deus superiorem agnoscit, cum sit ens summum.

**1.087.** d) *Sanctitas* latissime est coniunctio cum summo bono. Potest esse entitativa et moralis. *S. entitativa* respicit ipsam entitatem rei et hoc sensu Deus est proprie sanctus, nam est ipsa infinita bonitas subsistens. *S. moralis* respicit conformitatem voluntatis cum illo bono et etiam hoc sensu Deus est proprie et absolute et perfecte sanctus in voluntate, quae utpote infinite amans illud summum bonum arctissime cum illo coniungitur. Deus nec peccare nec facere ut alius peccet, potest.

**1.088.** e) *Virtutes theologales. Fides et spes* repugnant Deo. *Charitas* autem perfecta in Deo adest tum erga se ipsum tum erga creaturas rationales, quas amat amore amicitiae.

**1.089.** f) *Virtutes cardinales.*

*Prudentia* (ad intellectum pertinens; rectum iudicum agendorum) proprie in Deo adest.

*Iustitia* est constans et perpetua voluntas ius suum cuique tribuendi. I. *distributiva, remunerativa* et *vindicativa* proprie dantur in Deo, utpote rerum omnium summo et provido gubernatori. De i. *commutativa* disputatur utrum proprie an solum metaphorice Deo conveniat. Si enim ex suo conceptu respicit aequalitatem inter utramque partem liquct proprie Deo tribui non posse; secus proprie de Dco etiam praedicari potest.

*Fortitudo* et *temperantia* versantur circa passiones moderandas appetitus sensitivi, unde in Deo proprie dari non possunt.

**1.090.** g) *Aliae virtutes.*

*Clementia* est diminutiva poenarum et sic proprie Deo attribuitur.

*Mansuctudo* est mitigativa irae et solum metaphorice de Deo dicitur.

*Misericordia* est virtus inclinans ad alienam miscriam sublevandam.

Iuxta plurimos in Deo proprie datur. Iuxta aliquos solum improprie et metaphorice de Deo dici potest quia ex se importare videtur tum voluntatem miseriam sublevandi tum mixtionem doloris compasivi de aliena miseria.

*Magnanimitas* est virtus quae tendit ad ea quae sunt digna magno honore et modum ac medium ponit circa magnos honores. Deo tribuenda est solum improprie quia respicit essentialiter difficultatem medium constituendi.

*Patientia* est virtus cuius munus est mala tolerare ac bonum rationis conservare contra impetus tristitiae. Tantum improprie dicitur de Deo, quia iniurias non statim ulciscitur et ad poenitentiam spectat.

*Longanimitas*, intime unita cum magnanimitate et patientia, extendit animum ad aliquid longe distans et post diuturnum tempus observandum. De Deo solum improprie praedicari potest.

*Perseverantia* et *constantia:* haec addit super patientiam arduitatem malorum; illa vero diuturnitatem. Unde etiam improprie solummodo de Deo dici possunt.

*Magnificentia* est virtus factiva rerum magnarum mirabilium. Seclusa ergo arduitate ex magnis dispendiis rerum temporalium proveniente, proprie de Deo dicitur.

*Liberalitas* seu largitas est virtus inclinans ad donandum libenter et abundanter aliquid in bonos usus propter bonitatem ipsam donationis. Proprie Deo tribuenda est.

*Gratitudo* est virtus inclinans ad reddendum debitum benefactoribus. Iam vero repugnat Deo accipere ullum proprie beneficium, ergo etiam illi repugnat gratitudo proprie dicta et sic solum improprie Deo tribui potest.

*Benignitas* est virtus inclinans ad propriam bonitatem inferioribus communicandam pro captu cuiusque. Iam vero Deus est summum bonum et summopere diffusivum sui. Ergo benignitas proprie de illo praedicatur.

*Veracitas* est virtus cuius munus est manifestare conceptus adaequando externa signa conceptibus et rebus. Proprie Deo inest.

*Fidelitas* est virtus inclinans ad implenda promissa et convenit Deo proprie ac sine metaphora.

# CAPUT V

## De Omnipotentia Dei in genere

### ARTICULUS I

### De realitate et perfectione potentiae activae Dei

**THESIS 44. Datur in Deo potentia activa ad extra, quae est simpliciter infinita et o mnipotens.**

**1.091. Bibliographia.**—S. Th., 1, q. 25, a. 1-6; 2 CG, c. 6-7.—Suárez, DM 30, 17, 1-37; *De Deo*, l. 3, c. 6-7.—Urraburu, *Theod.*, 2, p. 646 ss.—Schaaf, *Theol. Nat.*, p. 395.—Billot, *De Deo uno* (1935), p. 332 ss.—Van der Mersch, *De Deo uno*, n. 616.—Loinaz, *Prael. e Theol. Nat.*, p. 336 ss.; et 343.—Hellín, *Theol. Nat.*, p. 727.—Gisquière, *Prael. Theol. Nat.*, 2, p. 126 ss.; et 138.—Dalmau, *De Deo uno* (BAC, 1952), 163.

**1.092. Nexus.** Egimus in praecedentibns de potentiis Dei immanentibus i. e. de intellectu et voluntate. Gradus iam faciendus est ad potentiam et virtutem activam, quae est operatio Dei ad extra.

### 1.093. NOTIONES.

**Potentia** in genere est capacitas ad aliquid.

*Passiva* est capacitas recipiendi aliquid.

*Activa* est capacitas producendi aliquid a se adaequate distinctum per actionem physicam.

Potentia absoluta et ordinata (154).

*Potentia Dei absoluta* intelligitur potentia divina secundum se considerata. Hoc sensu Deus de potentia absoluta potest facere omnia quae sunt intrinsece possibilia.

*Potentia Dei ordinata* intelligitur potentia divina prout operans secundum sapientiam, praescientiam et voluntatem. Hoc sensu potentia Dei ordinata respicit solummodo ea possibilia, quae Deus secundum liberrimum suae sapientiae et voluntatis consilium decrevit facere.

---

(154) Urraburu, *Theod.*, 2, p. 600.—Loinaz, *Prael. e Theol. Nat.*, p. 345.

**1.094.** N. B. Potentia Dei absoluta et ordinata non eodem modo ab auctoribus explicatur, unde terminologia in hac re non est universalis et constans. Pro aliis ita intelligitur: (155)

*Potentia Dei absoluta* est ea quae se extendit ad ea quae Deus de facto non statuit, et tamen non intrinsece repugnant. Unde hoc sensu Deus de potentia absoluta potuit hominem creare non destinatum ad visionem beatificam.

*Absoluta simpliciter* est potentia Dei absoluta prout congruit cum reliquis Dei attributis, nempe cum sapientia, iustitia... Talis est potentia faciendi omnia quae non fiunt de facto sed possent fieri simpliciter v. c. alius mundus, plures vel pauciores stellae...

*Absoluta secundum quid* est potentia Dei absoluta seiuncta ab aliis attributis divinis. Sic potentia faciendi omnia quae entitative spectata non sunt intrinsece repugnantia, sed non conveniunt cum reliquis attributis divinis et hoc sensu non possibilia. Talis est potentia annihilandi res.

*Potentia Dei ordinata* est potentia divina quatenus subest decretis divinis. Sic potentia faciendi omnia quae fiunt in aliqua temporis differentia. Inde de potentia ordinata Deus iam non potest facere hominem non destinatum ad visionem beatificam, quia iam decrevit destinationem omnium ad ordinem supernaturalem.

*Potentia ordinaria:* quatenus subest decretis divinis et sese accommodat legibus et cursui naturae. Talis est potentia praestandi concursum ad omnes et singulas operationes creaturarum in ordine vel naturali vel etiam in ordine supernaturali modo consueto v. c. potentia convertendi peccatorem modo consueto.

*Potentia extraordinaria* quatenus subest decretis divinis derogando cursum naturae per miraculum; vel in ordine supernaturali per interventum extraordinarium. Talis est potentia resuscitandi Lazarum vel convertendi Paulum in via Damasci.

**1.095.** POTENTIA INFINITA est ea quae limitibus caret. Et potest esse infinita: a) *in ratione entis*, intensive, subiective, est aliquod ens, quod habet omnem perfectionem possibilem et inexhauribilem sicut ipsa essentia divina cum qua identificatur. b) *In ratione potentiae*, extensive, terminative quatenus est virtus operativa capax faciendi alia et alia sine fine, i, e. licet plura faciat, adhuc tamen semper potest plura in numero et in perfectione facere.

**1.096.** OMNIPOTENTIA est activa Dei potentia potens facere omnia possibilia seu omnia illa quae non includunt contradictionem.

Possibile hic intelligitur illud quod non exsistit actu, sed eius exsistentia non involvit contradictionem.

N. B. Stricto sensu virtus infinita et omnipotentia formaliter non sunt idem; sed virtus infinita est radix ontologica omnipotentiae eaque prior; etenim ideo adest capacitas ad omnia quia per prius adest virtus infinita.

## 1.097. STATUS QUAESTIONIS.

Thesis habet tres partes.

*In prima parte* asserimus factum, i. e. dari in Deo potentiam activam.

*In secunda parte* dicimus potentiam divinam esse infinitam tum subiective,

---

(155) GISQUIÈRE, *Prael. Theol. Nat.*, 2, p. 138.

intensive siquidem in se ipsa est inexhauıibilis; tum etiam terminative extensive, non ex eo quod possit facere effectum infinitum simpliciter quod repugnat; sed eo quod licet plura faciat adhuc tamen semper plura in numero et in perfectione facere potest.

*In tertia parte* affirmamus illam potentiam infinitam esse veram Omnipotentiam quae potest facere omnia possibilia, non vero impossibilia sive absolute, ut est circulus quadratus; sive relative, i. e. relate ad aliquid quod repugnet cum essentia divina v. c. peccare, mentiri...

## 1.098. SENTENTIAE.

*Quoad primam partem* nulla est controversia.

*Quoad secundam partem:*

1) PLURALISTAE et FINITISTAE angli et americani dicunt Deum esse finitum et inde non posse facere omnia.

2) WICLEFUS, LUTHERUS, SPINOZA, HOBBES et reliquae fatalistae negarunt Deo libertatem in operibus ad extra, unde non nisi quae fecit facere potuit.

3) SCHOLASTICI OMNES nostram thesim sustinent.

### CENSURA.

Certa in philosophia. De fide catholica definita in Theologia ut constat ex symbolo fidei (D. 428; 1872).

## 1.099. PROBATUR.

**1.ª Pars.** I. Potentia activa est principium agendi. Atqui datur in Deo principium agendi. Ergo datur in Deo potentia activa.

*Maior.* Est definitio.

*Minor.* Quia Deus est causa prima incausata, a qua omnia creata et producta sunt; impossibile vero est creare vel producere aliquid sine principio agendi.

**1.100.** II. Deus continet omnes perfectiones simpliciter simplices etiam formaliter. Atqui potentia activa est perfectio simpliciter simplex. Ergo datur in Deo potentia activa.

*Maior.* Iam probata est.

*Minor. Est perfectio:* potentia enim activa continet actu omnes perfectiones effectuum.

*Sine imperfectione:* nam communicare aliis esse non importat diminutionem in agente, quia mere facit esse de novo quod non erat; neque augmentum in ipso, quia effectus novus non recipitur in agente sed extra agens.

**1.101. 2.ª Pars.** I. Potentia activa identificatur tum in ratione entis tum in ratione potentiae, re et ratione saltem secundum implicitum cum essentia divina. Atqui essentia divina est simpliciter infinita. Ergo etiam potentia divina est simpliciter infinita non solum in ratione entitatis sed etiam in ratione potentiae.

**1.102.** II. Qualis essentia talis potentia. Atqui essentia in Deo est simpliciter infinita. Ergo etiam potentia divina est simpliciter infinita.

*Maior.* Quia inter utramque debet dari proportio.

*Minor.* Iam probata est in thesi.

**1.103. 3.ª Pars.** I. Potentia Dei activa est simpliciter infinita. Atqui potentia Dei simpliciter infinita est omnipotens. Ergo potentia Dei activa est omnipotens.

*Maior.* Probata manet in parte praecedenti.

*Minor.* Potentia simpliciter infinita est illa quae entitative-operative habet omnem perfectionem possibilem inexhauribilem; et capax est faciendi sine fine omnia possibilia seu omnia, quae in se non involvant contradictionem. Atqui potentia activa, quae se extendit ad omne possibile est omnipotens. Ergo potentia simpliciter infinita est omnipotens.

**1.104.** II. Quidquid est intrinsece possibile debet etiam esse extrinsece possibile seu producibile per aliquam potentiam. Ergo vel per divinam potentiam vel per aliam exsistentem in aliqua alia causa. Atqui si per divinam potentiam iam Deus est omnipotens; si per aliam, ergo a fortiori per divinam quia haec alia a Deo pendet.

*Antecedens.* Secus si exsisteret, exsisteret a se quia non daretur causa efficiens illius; et exsisteret non a se, quia cum possit exsistere et non exsistere actu, est contigens.

## 1.105. OBIECTIONES.

1. Potentia est principium operationis. Atqui operatio Dei est eius essentia, quae non habet principium. Ergo neque potentia.

Resp. Disting. mai., operationis aut effectus C.; praecise operationis Subd. aliquando C.; semper N.

Conc. min. et disting. pariter consequens.

2. Deo tribuendum est quod est perfectius. Atqui actus est perfectior quam potentia. Ergo actus, non vero potentia, tribuendus est Deo.

Resp. Conc. mai.

Disting. min... perfectior quam potentia passiva et perfectibilis per ulteriorem actum C.; perfectior quam potentia activa non perfectibilis per ulteriorem actum N.

Disting. pariter conseq.

3. Agens agendo perficitur. Atqui Deus nequit perfici. Ergo Deus non potest agere neque habere potentiam activam.

Resp. Disting. mai. si transeunter... N.; si immanenter Subd. quatenus agens N.; quatenus patiens C.

Conc. min. et disting. pariter consq.

4. Si potentia Dei esset infinita posset producere effectum infinitum. Atqui Deus non potest producere effectum infinitum. Ergo eius potentia non est infinita.

Resp. Disting. mai. Simpliciter infinitum N.; secundum quid Subd. categorematice N.; syncategorematice Tr.

Contrad. min.

Explicatio. Deus certo non potest facere infinitum simpliciter, nam ens productum dicit imperfectiones dependentiae, mutabilitatis, contingentiae..., quae enti simpliciter infinito repugnant. Item Deus non potest facere infinitum actu secundum quid in linea aliqua v. c. in sapientia, nam in eo ordine sapientia divina superaret illud. Natura (simpliciter finita) infinita hoc sensu quia est unica in sua specie et exhaurit totam illius speciei per actionem, ut sunt angeli in theoria thomistica, dari non potest quia natura quae est simpliciter finita multiplicari potest.

5. Potentia manifestatur per effectum et debet habere effectum proportionatum. Atqui effectus proportionatus potentiae divinae infinitae non potest esse nisi effectus infinitus. Ergo si potentia Dei est infinita, debet posse producere effectum infinitum.

Resp Disting. 1. p. maioris: Potentia etiam manifestatur per effectum C.; solum manifestatur ex effectu N. Potentia libera si non ponit ullum effectum non manifestatur per illum.

Conc. 2. p. maioris.

Disting. min. simpliciter infinitum N.; infinitum hoc sensu quod possit facere alia et alia sine fine C.

Disting. pariter consq.

Explicatio. Effectus proportionatus divinae potentiae est ex parte modi creatio ex nihilo ad quam requiritur virtus infinita; et ex parte obiecti posse facere semper alia et alia maiora i. e. ens sine fini maius et perfectius.

6. Quod distinguitur ab alio finitum est. Atqui potentia Dei activa distinguitur ab aliis rebus. Ergo potentia Dei activa est finita.

Resp. Disting. si nullo modo continet hoc aliud C.; si continet illud N.

Contrad. min.

7. Omnipotens dicitur ille, qui potest facere omnia. Atqui Deus multa facere non potest v. c. moveri, pati, mentiri, peccare... Ergo non est omnipotens.

Resp. Disting. mai. omnia quae sint intrinsece possibilia C.; etiam impossibilia N.

Contrd. min. et illa sunt intrinsece possibilia pro Deo N.; sunt impossibilia C.; nam inferunt potentiam passivam aut contradictionem, quae in Deo repugnant.

8. Potentia quae exhauriri possit est finita. Atqui Deus potest facere omnia possibilia et inde exhaurire potentiam suam, faciendo quidquid sibi est possibile. Ergo potentia Dei non est infinita.

Resp. Conc. mai.

Disting. min. collective posset facere N.; solum distributive, singillatim sine fine C.

Disting. pariter cons.

9. Si Deus esset omnipotens posset facere creaturam omnium possibilium optimam. Atqui hoc repugnat. Ergo non est omnipotens.

Resp. Nego mai.

Explicatio. Creatura omnium possibilium optima repugnat, quia posita qualibet creatura alia et alia perfectior esse potest eo quod essentia divina sit indefinite imitabilis ad extra.

10. Deus non potest facere totam collectionem possibilium. Atqui tota collectio possibilium est aliquid possibile. Ergo Deus non potest facere omne possibile.

Resp. Conc. Mai.

Disting. min. Singillatim sumpta C.; collective sumpta N.

Explicatio. Deus probabilius non potest producere multitudinem simultaneam actu infinitam categorematice. Nam posita illa multitudine (vel extensione) in re Deus posset destruere plures unitates in illa v. c. centum; his vero demptis illa collectio iam non esset infinita, ut patet; nec finita, secus posset evadere iterum infinitum illis unitatibus additis, quod repugnat.

Posita vero multitudine creata semper ei addi potest aliquid eo quod imitabilitas essentiae divinae semper sit maior qualibet re creata.

11. Affirmatio—Deus est omnipotens seu Deus potest facere quidquid possibile est—, significaret Deum posse quidquid potest. Atqui hoc est ridiculum. Ergo non est omnipotens.

Resp. Nego mai. Significat enim posse facere ea omnia quae non implicant contradictionem intrinsecam in suis notis, quae possibilitas ultimatim in essentia divina fundatur.

## ARTICULUS II

### De ratione formali potentiae divinae

**THESIS 45. Potentia divina adaequate secundum explicitum distinguitur ab essentia divina et ab intellectu, non tamen ab efficaci voluntate, sed ipsa voluntas efficaciter decernens aut imperans pro talis temporis differentia exsistentiam effectus, potest habere rationem potentiae exsecutricis.**

1.106. **Bibliographia.**—S. Th., 1, q. 25, a. 1 ad 3 et 4; q. 19, a. 4 «Tertio»; a. 11 ad 2; *De Verit.*, q. 2, a. 14.—Suárez, DM 30, s. 17, n. 37-51; *De Deo*, l. 3, c. 9, n. 2.—Urraburu, *Theod.*, 2, p. 663 ss.—Hontheim, *Inst. Theod.*, p. 700.—Loinaz, *Prael. e Theol. Nat.*, p. 339.—Donat, *Theod.*, n. 332.—Hellín, *Theol. Nat.*, p. 741 ss.

**1.107.** Nexus. Iam vidimus dari in Deo potentiam activam seu probavimus factum exsistentiae potentiae; nunc accedimus ad eius naturam, sc. in quo consistat formaliter haec potentia.

### 1.108. NOTIONES.

Potentia dirigens est potentia cognoscitiva seu intellectus, qui dirigit actum. Potentia imperans est potentia appetitiva seu voluntas, quae imperat motum. Potentia exsecutiva est potentia quae exercet motum a cognoscitiva directum et ab appetitiva imperatum.

Potentia in Deo est illa vis, quae intellectus ductu exsequitur opera externa.

### 1.109. STATUS QUAESTIONIS.

1) Quaerimus in quo consistat formaliter potentia exsecutiva Dei, utrum sc. in intellectu an in voluntate, an in utraque, an in essentia divina an in aliqua alia potentia distincta ab his omnibus.

2) In homine actiones productivae: intellectu diriguntur, voluntate imperantur et diversis potentiis efficiuntur. In Psychologia statuitur probabiliorem esse sententiam, quae potentiam, motus executivam a dirigente atque imperante realiter distinguit.

3) In Deo una eademque perfectio realis haec omnia efficit et similis nunc proponitur controversia: utrum potentia Dei activa, quae divina opera exsequitur distinguatur ab aliis potentiis ratione et quomodo distinguantur.

4) In thesi de distinctione attributorum negavimus distinctionem perfectam et adaequatam ut penes excludens et exclussum et admissimus solummodo distinctionem minimam mutuae inclusionis secundum implicitum. Hic loquendo de potentia divina relate ad essentiam, intellectum et voluntatem, omnes secundum explicitum consentiunt in aliquali rationis distinctione. Sed haec distinctio est adaequata penes explicitum ita ut potentia sit perfectio seu formalitas extra lineam intellectus et voluntatis an solum inadaequata ita ut potentia sit formalitas quidem diversa, sed intra eamdem lineam perfectionis intellectus et voluntatis constituta?

5) Discrimen inadaequatum a voluntate vix est qui neget at acriter disputatur utrum potentia distinguatur adaequate ab intellectu et voluntate ceu formalitas ac perfectio alterius lineae.

## 1.110. SENTENTIAE.

*1.ª sententia* est P. SUÁREZ, DURANDI, AUREOLI, qui tenent potentiam divinam ratione distingui et quidem adaequate secundum explicitum tum a voluntate tum ab intellectu et esse ipsam essentiam divinam quatenus continet actu perfectiones creaturarum et per se efficax est principium rerum ad extra. Unde intellectus dirigit, voluntas imperat, essentia, qua aliis se communicans, exsequitur.

Cum vero concipio essentiam divinam ut constituentem Deum et ut originem creaturarum seu omnipotentiam in utroque casu concipio explicite essentiam divinam cum diversa connotatione: ad Deum nempe et ad creaturas.

**1.111.** *2.ª sententia. Thomistae* ut I. A S. THOMA (156), GONET (157), GOTTI (158), BILLUART, etc... tenent potentiam esse ipsum intellectum inadaequate sumptum sc. secundum aliquam eius operationem; in quantum est imperium intellectuale, quod sequatur post decretum voluntatis creandi et quod non potest exprimi indicativo modo, sed imperativo: «Fac hoc», quia non est ulla cognitio, sed mera impulsio ut sit extra quod antea conceptum est per ideas et quod decretum est per voluntatem.

«Deus res efficit per actum imperii formaliter immanentem et virtualiter transeuntem: atqui actus imperii quamvis sit radicaliter et praesuppositive a voluntate et ideo dicatur quandoque quod voluntas imperet, est tamen formaliter elicitive ab intellectu.» (Billuart, *De Deo*, dis. 5, a. 3, dico 3.)

**1.112.** *3.ª sententia* sine patronis a P. SUÁREZ adducitur. Tenet potentiam consistere in intellectu inadaequate spectato in quantum habet ideas exemplares, quae applicantur a voluntate ad agendum; sed semel atque applicatae sunt per voluntatem, ipsae sunt quae eliciunt actionem et impellunt creaturas immediate ad esse, non autem voluntas aut alia facultas.

**1.113.** *4.ª sententia* est P. TONGIORGI, REMER, SAN SEVERINO, VALENTIA, RUIZ DE MONTOYA... qui tenent potentiam activam Dei consistere in complexu intellectus et voluntatis.

---

(156) *Curs. Theolog.*, t. 2, q. 25, d. 11, a. 2, n. 5.
(157) *Clypeus*, t. 1, tr. 3, d. 1, a. 4, par. 2.
(158) *Theolog. scholastico dogmatica*, t. 1, tr. 4, q. 4.

**1.114.** *5.ª sententia* est COMPTON, DE BENEDICTIS, etc... tenet omnipotentiam Dei consistere in aliqua potentia speciali distincta ab essentia et ceteris facultatibus, cuius officium sit efficere extra Deum creaturas.

**1.115.** *6.ª sententia* est PP. TOLETI (159), VÁZQUEZ (160), *plurium Scotistarum*, MOLINA, URRABURU, DONAT, PALMIERI, LOINAZ, MENDIVE (161), TEPE, HONTHEIM, LAHOUSSE (162), BROSNAN, etc... Tenent potentiam Dei activam consistere in voluntate secundum quod est principium exsecutivum et effectivum. Unde non est tota voluntas, ut ita dicam, sed solum voluntas efficax quatenus decernens et imperans effectionem rerum pro tali differentia temporis; nempe est voluntas inadaequate spectata in quantum tendit ad effectum absolute decernendo ut sit.

Et ratio est quia sine voluntate efficaci Dei Deus nihil facit et cum ea facit. Ergo in ea consistit formaliter potentia activa. Voluntas mundum efficaciter volens sine alio est iam potentia activa in actu suo; ex parte sc. Dei activitas est in actu operativo; hinc inter voluntatem efficaciter volentem et opus externum nulla adest vis nova, quae activa potentia nuncupetur. Intellectus divinus est etiam principium operationis, sed remotum tantum, dirigendo principium formale et proximum quod est ipsa voluntas efficax.

**CENSURA.** Probabilior.

**1.116. PROBATUR.**

**1.ª Pars.** POTENTIA DISTINGUITUR ADAEQUATE AB ESSENTIA.

Potentia distinguitur sola ratione, sed adaequate secundum explicitum ab essentia si alius est conceptus et expressio mentalis qua essentiam Dei et potentiam activam nobis repraesentamus. Atqui ita est. Ergo potentia divina adaequate distinguitur ab essentia.

Unde vel nullum attributum ab essentia Dei distinctum agnoscendum est, vel ab illa distinguenda quoque est potentia.

**1.117. 2.ª Pars.** DISTINGUITUR AB INTELLECTU SEU AB ACTU IMPERII.

I. Operatio intellectus est intelligere. Atqui imperium non est ulla cognitio. Ergo non est operatio intellectus, et si non est operatio cognoscitiva non debet tribui intellectui, sed alteri facultati.

**1.118.** II. Imperium illud:

—*vel dirigeretur ad Deum* et tum est supervacaneum posito decreto divinae voluntatis de rebus faciendis; et insuper ipsum non esset factivum immediate sed solummodo applicativum facultatis factivae; *vel dirigeretur ad creaturas*; Et tunc si hae sunt irrationales non sunt capaces talis imperii; rationales vero in illo signo adhuc non exsistunt.

Ergo potentia divina in imperio intellectuali consistere non potest.

**1.119. 3.ª Pars.** DISTINGUITUR AB INTELLECTU PROUT HABET IDEAS EXEMPLARES.

Intellectus non potest esse principium operationis nisi in quantum est practicum. Atqui intellectus practicus non est talis nisi ratione voluntatis. Ergo intellectus non potest esse principium operationis nisi mediante voluntate.

---

(159) In I. p. q. 25. a. 1.
(160) In I. p. disp. 102. c. 3.
(161) *De Deo uno*. diss. 3. c. 3. n. 284.
(162) *Theol. Nat.*, n. 431 ss.

**1.120. 4.ª Pars.** POTENTIA NON CONSISTIT IN COMPLEXU INTELLECTUS ET VOLUNTATIS.

Patet ex partibus praecedentibus: nam saltem ab intellectu sola ratione secundum explicitum sed adaequate distinguitur.

**1.121. 5.ª Pars.** NON CONSISTIT IN ALIQUA POTENTIA SPECIALI.

Nihil Deo tribuendum est quod imperfectionem importet. Atqui potentia mere exsecutiva distincta ab aliis potentiis imperfectionem importare videtur. Ergo potentia non consistit formaliter in aliqua potentia speciali.

*Maior.* Patet.

*Minor.* Quia talis potentia concipienda esset instar instrumenti moti per alias potentias. Iam vero tum esse merum instrumentum, tum instrumento egere, subiectionem atque adeo imperfectionem importat. Ergo potentia activa Dei non potest esse distincta ab aliis potentiis.

**1.122. 6.ª Pars.** EST IPSA VOLUNTAS DIVINA...

Voluntati divinae tribuenda est omnis perfectio, quae intra naturam voluntatis sit. Atqui intra naturam voluntatis est perfectio faciendi aliquid ad extra. Ergo voluntas divina efficax sine potentia effectiva ab illa distincta operari ad extra dicenda est.

*Maior.* Quia voluntas divina est infinite perfecta.

*Minor.* Proprium est voluntatis non solum proprios actus immanentes elicere, sed etiam movere et applicare efficienter alias potentias ad snas actiones. Atqui haec applicatio efficienter est operativa ad extra. Ergo intra naturam voluntatis est perfectio faciendi aliquid ad extra.

**1.123. OBIECTIONES.**

1. Potentia exsecutiva est immediatum principium producendi. Atqui voluntas non potest esse immediatum principium producendi. Ergo neque potest esse potentia exsecutiva.

Resp. Conc. Mai. et nego Min.

2. Immediatum principium producendi est suo modo necessarium in exsistendo. Atqui voluntas est potentia libera, quae potest esse et non esse. Ergo voluntas non potest esse immediatum principium producendi.

Resp. Disting. mai. Voluntas est libera in exsistendo N.; in operando C.; et Contr. min.

3. Nos intelligimus divina per species et per analogiam ad res creatas. Atqui potentia exsecutiva in creatis concipitur saltem ratione adaequate distincta ab intellectu et a voluntate. Ergo etiam in Deo.

Resp. Disting. mai. ita ut aliquando illae cognitiones reformandae sint C.; secus N. Conc. min. et disting. pariter consq.

4. Voluntas habet actus immanentes, quibus ens constituitur volens efficere. Atqui actus immanens non transit ad extra, sed solum manet ad intra. Ergo voluntas non est idem ac potentia.

Resp. Conc. mai.

Disting. min. actus mere speculativus aut merae complacentiae inefficacis C.; actus immanens prout practice respicit obiectum N.; et Disting. pariter cons.

5. Ratio potentiae diiudicanda est ex eius actu. Atqui actus intellectus et voluntatis est immanens, actus vero potentiae exsecutivae est transiens. Ergo ratio formalis potentiae exsecutivae in voluntate consistere nequit.

Resp. Conc. mai.

Disting. min. in creatis C.; in Deo Subd. actus intellectus C.; actus voluntatis divinae iterum Subd. sub omni respectu N. sub aliquo respectu C.

Disting. pariter cons.

EXPLICATIO. Iuxta nos omnis actio transiens qua talis non est in agente sed in passo tamquam in subiecto et realiter a causa et ab effectu modaliter distinguitur. Inde actio Dei ad extra seu actio Dci qua effectus ad extra producitur non est in Deo tamquam in subiecto, sed in passo circa quod versatur operatio. Quare est actio formaliter transiens et realiter distincta ab agente (a Dco) et a tcrmino modaliter. Tales sunt omnes saltem actiones eductivae quas Deus vel solus efficiat vel simul cum causis secundis concurrendo ad producendos earum effectus.

# CAPUT VI

## De operationibus divinae Omnipotentiae

## ARTICULUS I

### De creatione

### THESIS 46. Deus est causa efficiens mundi per creationem.

1.124. **Bibliographia.**—S. Thomas, 1, q. 44, a. 1-2; q. 45, a. 1-6; 2 CG. c. 15-21.—Suárez, DM 20, 1; D. 29, 3, 14; *De opere sex dierum*, l. 1, c. 1-8.—Hontheim, *Inst. Theod.*, p. 705.—Palmieri, *De Creatione*, th. 1-5.—Urraburu, *Theod.*, 2, p. 536; *Cosm.*, p. 157.—Schiffini, *Theol. Nat.*, p. 261.—Brosnan, *Theol. Nat.*, p. 285.—Van de Woestyne, *Curs.*, 2, p. 38 ss.—Pinard, DTC, art. *Création*, col. 2.034-2.115.—Loinaz, *Prael. e Theol. Nat.*, p. 345.—Mz. del Campo, *Theol. Nat.*, p. 348.—Hellín, *Theol. Nat.*, p. 753.—Sagüés, *De Deo Creante* (BAC, 1952), p. 456.—Gisquière, *Prael. Theod.*, 2, p. 163 ss.

**1.125. Nexus.** Egimus in thesi praecedenti de omnipotentia divina in genere. Nunc agendum est de eius operationibus ad extra, quae tres recensentur, nempe creatio, conservatio et cooperatio. Age vero in hac thesi breviter (multa enim in Cosmologia circa hanc rem tractantur) de creatione agemus.

### 1.126. NOTIONES.

*Causa efficiens* est principium per se extrinsecum quod actione sua determinat exsistentiam rei contingentis.

Iam vero influxus ille bifariam exerceri posse concipitur:

*a)* transmutando praevium; *b)* totum de novo efficiendo. Hinc actio causae efficientis duplex distinguitur: actio transmutativa et actio creativa.

**1.127.** *Actio transmutativa* est illa, quae ens praevium ex uno in alium statum reducit.

*Eductio* est productio alicuius formae accidentalis vel etiam substantialis per actionem receptam in subiecto. Unde est productio ex nihilo sui, non autem ex nihilo subiecti. Sic fiunt in corporibus figura, motus, anima plantarum, brutorum...

**1.128.** *Emanatio* est processio alicuius substantiae completae ab alia in qua formaliter continetur, per separationem, scissionem; sicut rivulus a fonte, sanguis e vulnere...

**1.129.** ACTIO CREATIVA est illa quae ens primo trahit ad esse, seu facit totaliter rem nihil praevium transmutando.

PRIMA DEFINITIO SPECTATO TERMINO A QUO. *Creatio* est productio rei ex nihilo sui et ex nihilo subiecti.

EXPLICATIO. *Productio rei* seu causatio rei per actionem. His verbis exprimitur genus proximum in quo creatio cum aliis effectionibus convenit.

*Res:* terminus creationis est ens per se subsistens v. c. angelus, anima humana, corpus... Formae enim reliquae sive substantiales sive accidentales, cum non propria sed realitate compositi subsistant, non creari, sed concreari dici debent, quatenus in composito per se subsistente producuntur et a quo, etiam dum fiunt, in esse dependent. Si vero accidentia absoluta a Deo producerentur sine subiecto tunc crearentur. Unde de notione creationis est ut excludat omne subiectum inhaesionis et omne subiectum sustentationis, non vero excludit subiectum informationis, quale relate ad formam independentem in fieri et in esse habetur v. c. anima humana, quae creatur etiam si materia apte disposita natura praerrequiritur.

*Ex nihilo: Non significat* to nihilum esse causam materialem, seu materiam ex qua res fiat, quasi res constet ex nihilo et ex alia re. Sed solum significat eam non fieri ex aliquo et simul merum ordinem successionis, non quidem realem, sed rationis ut cum ex tenebris fit lux, ex mane fit meridies, i. e. post mane fit meridies...

Talis ordo successionis potest esse sive naturae cum nihilum praecedat natura actionem productivam; seu res quae dicitur creari sit prius natura quodammodo nihilum physicum, unde sibi relicta nihilum physicum esset, aliquid pure possibile; sive etiam temporis cum res non creata ab aeterno sit etiam aliquo modo prius nihilum physicum.

*Nec significat* ex nihilo *causae efficientis*, quia daretur effectus sine causa; nec ex *nihilo logico*, cum hoc sit negatio tou esse idealis; neque ex nihilo metaphysico cum hoc sit negatio tou esse essentiae.

*Sed significat ex nihilo sui physico*, ex nihilo causae formalis, quod est negatio tou esse exsistentiae, nam de conceptu productionis est ut aliquid fiat ex nihilo sui, cum non producatur quod est, sed quod non est. His verbis adhuc genus proximum definitionis creationis exprimitur.

*Et ex nihilo subiecti* seu causae materialis aut potentiae passivae, i. e. nullum subiectum praesupponitur quod recipiat actionem agentis. His verbis iam exprimitur differentia specifica creationis.

**1.130.** SECUNDA DEFINITIO SPECTATO TERMINO AD QUEM. Creatio est productio rei secundum totam suam substantiam, nempe secundum substantiam primario completam, secundario incompletam intrinsecus independentem a subiecto.

**1.131.** TERTIA DEFINITIO EX OBIECTO FORMALI vel ex ratione formali sub qua creatio rem attingit. Creatio est productio entis in quantum est ens. Actio enim eductiva semper aliquod substratum sc. materiam supponit, unde facit ut res secundum aliquid iam exsistens sit talis per formam receptam. Actio vero creativa entia nondum exsistentia secundum nihil ad ipsam exsistentiam vocat, eius effectus est ipsum non-nihilum vel ens in quantum est non-nihilum physicum, i. e. ens simpliciter seu totaliter hoc ens concretum, quod compositum ex esse et taleitate concipitur.

MUNDUS intelligitur complexus omnium rerum extra Deum exsistentium sive corporalium sive spiritualium.

## 1.132. STATUS QUAESTIONIS.

1. Iam demonstravimus Deum esse causam efficientem, improductam, unicam et primam omnium rerum contingentium tam spiritualium quam corporalium.

2. Nunc investigamus mundi originem seu modum quo omnia illa entia a Deo orta sint.

3. Quoad mundum materialem attinet, materia intelligitur, non materia prima, sed secunda, nempe elementa illa primitiva ex quibus per combinationes mundus est formatus. Mundus enim qualis nunc est non est factus per creationem ex nihilo, sed per eductionem multarum formarum supra substratum primum sive a solo Deo sive per concursum virium naturalium Deo illas gubernante.

4. In hac thesi praescinditur utrum origo mundi sit aeterna an temporanea.

## 1.133. ADVERSARII.

1) PAGANI PHILOSOPHI etiam ARABES creationem ignorantes vel non intelligentes, mundum aeternum et improductum iudicarunt. Materia aeterna iuxta illos nec creatur nec annihilatur. Solas patitur modificationes accidentales. Sic: *a)* PLATO putavit materiam esse increatam, et probabiliter etiam ideas subsistentes. *b)* ARISTOTELES etiam negavit creationem materiae et intelligentiarum.

2) MATERIALISTAE dicunt dari materiam aeternam et increatam ornatam etiam viribus increatis et per eas paulatim et per gradus fieri omnem varietatem rerum mundanarum: vegetalia, bruta, homines. Praeter materiam autem nullam dari entitatem. Sic Haeckel, Moleschott, Büchner, etc...

3) PANTHEISTAE, qui res omnes huius mundi identificant cum Deo in una eademque substantia; sive quia res emanant a Deo veluti partes aut radii; sive quia sunt totidem formae inhaerentes, in quas se Deus explicat, et per quas se manifestat.

4) AGNOSTICI ET POSITIVISTAE hodierni, qui sunt innumeri problema de origine mundi insolubile esse putant; ideoque huiusmodi quaestiones, non ad scientiam, sed ad fidem, i. e. ad affectiones animi, phantasiam et fictiones amandant.

5) ROSMINI negat etiam creationem veram. Nam dicit productionem rerum factam esse a Deo per abstractionem, imaginationem, synthesim. *a)* Per abstractionem concipit esse abstractum a Verbo. *b)* Per imaginationem concipit multos terminos limitatos illius entis. *c)* Per synthesim concipit coniuncta et esse illud quod abstraxit ex Verbo et terminos limitatos, qui ponuntur iam extra nihilum.

Apparet autem absurditas tribuendi Deo abstractionem, imaginationem et synthesim. Praeterea tota haec creatio esset opus merae repraesentationis idealis, nulla autem productio realis. Denique esset pantheismus crudus siquidem constaret ex esse divino et limitatione supperaddita.

6) *Plurimi alii* negant creationem quia nequeunt concipere hanc miram actionem. Sic COUSIN, etc., qui tamen postea videtur retractasse suam theoriam.

**1.134.** VERA SENTENTIA *SS. Patrum, Scholasticorum, multorumque scientificorum* docet una cum revelatione, materiam mundi non esse a se, verum a Deo productam per veram creationem.

### CENSURA.

Philosophice certa. In Theologia est de fide catholica definita. DB 428; 706; 1783; 1805.

### 1.135. PROBATUR.

Deus est causa efficiens mundi seu omnium rerum contingentium quae sunt in mundo. Atqui effectio illarum rerum non potuit esse nisi per creationem. Ergo Deus est causa efficiens mundi per creationem.

*Maior.* Probata manet in praecedentibus. Deus est causa efficiens incausata, unica et prima omnium rerum contingentium.

*Minor.* Entia de quibus in thesi agitur:

Non sunt facta ex praeiacente aliquo subiecto creato, quia agitur de prima actione Dei ad extra et de prima molitione mundi, unde in casu non datur aliquid praevium; nec ex praeiacente subiecto increato, quia ens increatum ct a se est unicum; nec per emanationem ab ente increato, quia tum ens increatum esse mutabile, finitum, compositum, quae omnia repugnant enti increato.

Ergo per creationem, siquidem enumeratio est exhaustiva.

**1.136. SCHOLIUM I. De natura actionis creativae.**

*Actio in genere* est id quo causa formaliter constituitur actu agens. Actio potest considerari: a) *principiative* prout est in subiecto seu in principio. Repugnat enim actio absque principio

agente. b) *Terminative* prout est in termino; repugnat enim actio sine termino. c) *Formaliter* seu actio in se ipsa: actualis rerum effectio.

*Actio immanens* est illa cuius terminus manet in agente; seu illa quac recipitur in agente a quo ponitur v. c. intellectio, volitio... *Actio transiens* est illa cuius terminus est extra agens, seu illa, quae non in agente sed in alio adaequate distincto recipitur v. c. pingere, calefacere...

*Actio formaliter immanens et virtualiter transiens* est illa quae in se et quoad sui constitutiva manens intra agens, tamen efficax est ad ponendum effectum; est ac si esset transiens. *Actio formaliter transiens et virtualiter immanens* est illa quae manet extra agens et aliquo vero sensu manet, nempe virtute, in agente. *Actio praedicamentalis* est illa quae realiter distinguitur a causa et a termino. *Actio transcendentalis* est illa quae non distinguitur realiter ab eius principio et a suo termino v. c. intellectio et volitio Dei.

**1.137.** A. *Circa quaestionem quid sit actio principiative* sumpta in Deo nulla possibilis est disputatio inter catholicos nisi verbalis; est decretum seu volitio Dei aeterna, Deum ab aeterno denominans volentem creare. Inde est aliquid voluntatis quae dicit ordinem ad executionem et proinde formaliter immanens et virtualiter transiens.

**1.138.** B. *Quid sit actio creativa formaliter sumpta.*

In creatione haec dumtaxat assignari possunt, quae ab omnibus admittantur oportet: Deus, productio creaturae et creatura producta. Quibus positis quaeritur, quodnam ex his tribus elementis sit denominandum formaliter actio.

Creatio est quaedam actio. Actio autem concipi solet ut via ad terminum, ut quid medium inter causam (seu actionem principiative sumptam) et effectum (seu actionem terminative sumptam). Sic etiam creatio formalis concipi potest ut quid medium inter creationem principiative (actum creativum, volo mundum) et creationem terminative (mundum, creaturam).

**1.139.** C. Quaeritur ubinam proprie sit actio creativa non principiative nec terminative sumpta, sed formaliter seu secundum se sumpta: in Deo an in creatura. Quid sit actio creativa in creatura.

*1.ª sententia:* Creatio formaliter sumpta non est in Deo sed in solo termino: inde nullo modo est immanens sed totaliter transiens. Est ipse terminus prout fluens et dependens a Deo, actio non praedicamentalis, nempe ipsa relatio creaturae pendentis a creatore sola ratione distincta a re creata. Sic VÁZQUEZ (163), MENDIVE (164) *et alii...*

*2.ª sententia:* Actio creativa *active sumpta* seu ex parte Dei est intellectio et volitio creandi, inde est actio formaliter immanens et virtualiter transiens quatenus exercet virtutem actionis transeuntis producentis effectum extra agens. Non ergo est aliquid quasi medium inter causam et effectum sicut est actio creaturarum, sed est ipsa divina potentia continens in se quidquid virtutis continetur in potentia et in actione causarum secundarum.

*Passive* vero sumpta seu ex parte creaturae creatio nihil aliud est nisi effectus actionis creativae active sumptae; relatio realis dependentiae creaturae ad creatorem resultans in creatura iam exsistente, quae si consideratur ut est actio est prior natura creatura, si consideratur ut est relatio posterior illa est. Tandem etsi actio creativa formaliter immanens sit aeterna, ut virtualiter transiens non est aeterna et hoc sufficit ut mundus non sit necessario aeternus. Hanc sententiam tuentur S. THOMAS (165), *thomistae*, quibus adhaerent VALENTIA (166), TOLETUS (167), PALMIERI (168) *aliique multi.*

**1.140.** *3.ª sententia:* Actio non in agente sed in passo est. Hinc Creatio formaliter sumpta est aliquid in creatura, non in Deo; et quidem est ipsum nasci creaturae in tempore sub decreto Dei seu ab actu creativo non successive, sed momentanee totum esse de novo producendo. Sic

---

(163) In I, d. 73, c. 2-4.
(164) *Theod.*, n. 214-219.
(165) I, q. 45, a. 3, ad 1; 2 CG, c. 8, 9, 23, 35; *De Pot.*, q. 3, a. 3.
(166) In I, d. 3, q. 2, punct. 1.
(167) In I, q. 25, a. 1.
(168) *De Creatione*, th. 6.

intellecta est actio solum formaliter transiens et de hac formali creatione dicimus quod non est in Deo, sed in sola creatura. Non se habet ut quod, sed ut quo; non enim est aliquid quod fit, sed ipsum fieri, non aliquid quod fluit sed ipse fluxus creaturae a Deo.

Unde creatio formaliter sumpta est actio mira quidem ac instantanea; actio praedicamentalis, realiter distincta a suo principio et a suo termino, non distinctione reali absoluta seu maiori, sed distinctione modali seu reali minori (inter rem et modum eius).

Haec entitas modalis fundat et dicit realem ad Deum relationem, sola ratione distinctam a suo fundamento (ab entitate modali), sed realiter distinctam a termino seu a creatura et a Deo.

Igitur ereatio non est mera relatio, sed est complexus ex entitate modali et relatione.

Haec relatio huius creationis (et haec actualis dependentia de qua est quaestio) est relatio praedicamentalis seu accidentalis, separabilis, quamvis dependentia creaturae ad Deum sit essentialis.

Sic rem explicant SUÁREZ (169), MOLINA (170), ARRIAGA (171), LOSADA (172), HELLÍN (173). LOINAZ (174), *aliique multi.*

Nam: *a)* Actio creativa non est perfectio agentis nec est in agente sed in passo. Unde formaliter sumpta est in creatura non in Creatore, a quo realiter distinguitur. *b)* Item actio creativa realiter distinguitur etiam a creatura, nam eadem res v. c. quantitas in Eucharistia ante consecrationem conservabatur actione eductiva et post consecrationem conservatur actione creativa et independente ab omni subiecto. *c)* Est modus, nam est ultima formalis determinatio agentis ut agat, et effectus ut emanet a causa creante. *d)* Est prior natura termino, nec indiget subiecto in quo sustentetur, quia nullum subiectum praesupponit, sed solum terminum cui adhaereat.

**1.141. SCHOLIUM II. De subiecto vis creativae.** (175).

1. NULLA CREATURA UT CAUSA PRINCIPALIS CREARE POTEST.

*Creatio* est productio rei ex nihilo sui et ex nihilo subiecti.

*Creatura* est ens ab alio, contigens, finitum.

Causa eiusque divisiones. Cfr. th. 6.

*Causa principalis* est illa quae producit effectum sibi aequalem aut inferiorem et proinde attingit formam effectus ita ut non egeat iuvamine superioris agentis. *Causa instrumentalis* est illa quae elevatur ad producendum effectum se superiorem, cuius naturam seu formam per se non attingit.

*Causa physica* est illa quae producit effectum per applicationem directam propriae virtutis ad formam alius v. c. ille qui facit actum contritionis. *Causa moralis* est illa quae suasionibus movet moraliter voluntatem alius ad producendum effectum ut se habet v. c. concionator movens peccatores ad faciendum actum contritionis.

**1.142.** QUAERITUR an creatura possit esse causa principalis creationis saltem quoad certum ordinem creabilium.

*Quaestio est* de causa physica, causa enim moralis seu ministerialis potest esse. Sic potest creatura suis precibus obtinere ut Deus creet. Parentes dicuntur esse causae creationis animae humanae quatenus nempe ponunt conditionem qua posita animam Deus creat quin tamen ipsi quidquam de nihilo producant.

Agitur de creatura prout haec sub divino concursu operatur, sine quo sane nulla creatura quidquam efficere valet.

**1.143.** *1.ª sententia* est *gnosticorum*, *Plotini* et *Avicennae*, qui tenent Deum creavisse primum aliquod ens, ab hoc creatum esse tertium, ab hoc quartum atque ita deinceps donec tandem

(169) DM 20, s. 4; s. 5, n. 8-10; D. 30, s. 17, n. 49.

(170) In I, q. 45, a. 3.

(171) *Physica*, d. 9, s. 4.

(172) *Phys.*, tr. 3, d. 1, c 3.

(173) *Theol. Nat.*, p. 747.

(174) *Prael. e Theol. Nat.*, p. 351.

(175) S. TH., I, q. 45, a. 5; CG, l. 2, c. 21; *De potent.*, q. 3, a 4.—SUÁREZ, DM 20, s. 2.—URRABURU, *Theod.*, 2, p. 689.—LOINAZ, *Prael. e Theol. Nat.*, p. 364.—BERAZA, *De Deo creante*, n. 151-173.—MZ. DEL CAMPO, *Theol. Nat.*, p. 353.—HELLÍN, *Theol. Nat.*, p. 758.—SAGÜÉS, *De Deo creante* p. 480.

ultima intelligentia creavit terram et omnia quae in ea sunt. Haec sententia est contra fidem catholicam.

*2.ª sententia* tenet posse dari aliquam creaturam quae creari aliquid possit ut causa principalis sive cum concursu causae primae et naturaliter ut docet ARRIAGA, sive sine ullo concursu sed supernaturaliter ut docet DURANDUS.

*3.ª sententia* tenet nullam creaturam dari posse, quae creare aliquid possit ut causa principalis nec supernaturaliter nec naturaliter cum concursu ordinario Dei. Haec est sententia *communissima inter catholicos*, licet plerique fateantur hucusque argumentum validum et apodicticum nondum repertum esse. Haec est etiam nostra sententia.

**1.144.** *a)* Si aliqua creatura haberet virtutem creatricem illimitatam posset creare naturaliter omnia creabilia sc. se ipsam et alia superiora etc... Atqui hoc repugnat. Ergo nulla creatura potest habere virtutem creatricem illimitatam.

*b)* Ad creandum etiam aliquid minimum requiritur virtus infinita, quia potentia ex qua est nulla, nempe est nihilum. Atqui nulli creaturae communicari potest virtus infinita. Ergo nulla creatura creare potest.

*c)* Actio sequitur esse. Atqui nulla creatura potest ullo modo partem habere in essentia divina. Ergo nulla creatura potest operationem habere, quae ullo modo sit in eodem ordine cum actione divina

*d)* (ex obiecto formali creationis, apud Loinaz).

Causa creatrix, ut suum obiectum formale, ideoque primo ac per se, tenetur attingere to esse in effectu causato, qui effectus est iam tale esse. Atqui saltem naturaliter et in linea causae principalis illud nulli creaturae permittitur. Ergo vis creatrix, saltem ut causae principali, non competit creaturae.

*Maior.* Actio creativa ab eductiva in hoc praecise differt, quia eductiva tamquam obiectum formale sibique proprium attingit taleitatem effectus et educit formam de praesupposito subiecto, unde nec effectui dat to esse, quod iam exsistebat. Actio autem creativa dat effectui to esse primum, quia non praeexistebat.

*Minor.* Quia virtus factiva finita esset, cum non a se, sed a Deo fuerit communicata: agitur enim de virtute creaturae seu quae in creatura subiectatur. Atqui virtus finita nequit attingere effectum in ratione τοῦ esse simpliciter ac primi (cfr. arg. I). Ergo attingere rationem τοῦ esse primo et per se nulli competit creaturae.

**1.145.** 2. CREATURA NULLATENUS INSTRUMENTUM CONNATURALE CREATIONIS ESSE POTEST.

*Instrumentum connaturale* est illud quod est naturaliter sufficiens ad aliquod opus peragendum vel quia ita est institutum a natura vel quia apte fabricatum est. Sic v. c. calor ad nutritionem (naturale); calor est instrumentum ignis ad comburendum (naturale); calamus ad scribendum (artificiale); penicillus respectu picturae (artificiale).

**1.146.** Comuniter ut certum negatur ab auctoribus creaturam posse esse instrumentum connaturale creationis.

**1.147.** *Argumentum.* Suárez D. M. 20, sec. 3, n. 1 et 2.

Tale instrumentum *a)* non requiritur, *b)* sed excluditur. Ergo creatura non est instrumentum connaturale creationis.

a) *Non requiritur.* Non ex parte materiae praeparandae, quia non datur talis materia in actione creativa. Neque ex parte Dei causae principalis ita ut determinetur simpliciter ad agendum vel ad facilius agendum, quia talis determinatio iam est in ipsa causa principali, quae omnem potentialitatem excludit. Neque ad supplendam deficientiam causae principalis pro obtentione totalis effectus, quia creatio debetur unice nutui vis volitivae infinitae, unde pugnat excogitare adiutorium vel completionem.

b) *Excluditur.* Evidenter ad primam creationem. Etiam ad reliquas: Nam angelus instrumentum naturale Dei ad creandum, necessario ageret per virtutem naturalem instrumentalem, creativam, accidentalem, cnm causa secunda instrumentalis sic se habet. Atqui hoc admitti non potest. Nam cum agere sequatur esse, modus agendi cuiuslibet formae, etiam instrumentariae, debet esse proportionatus modo essendi talis formae. Atqui modus connaturalis essendi

accidentis est dependere a subiecto. Ergo modus connaturalis operandi virtutis instrumentariae accidentalis est dependere a subiecto, educere, non creare.

**1.148.** 3. NEC INSTRUMENTUM SUPERNATURALE CREATIONIS CREATURA ESSE POTEST.

*Instrumentum elevatum* (potentia obedientialis) est illud, quod nec natura nec arte habet aptitudinem ad effectum, sed ultra omnem proportionem divinitus assumitur.

*Potentia obedientialis passiva* est capacitas recipiendi formam naturaliter non receptibilem (ut animae ad recipiendam gratiam).

*Potentia obedentialis activa* est capacitas ad producendum aliquid ad quod naturales vires non habet (ut animae ad eliciendum actum supernaturalem).

**1.149.** Quaestio est de potentia obedientiali activa: utrum a Deo elevari queat ad concursum activum instrumentalem pro creanda re aliqua etiam minima, an vel id pugnet, fere sicut pugnat v. c. quod lapidem Deus ad intelligendum elevet.

**1.150.** *1.ª sententia.* S. THOMAS senior et *maior pars thomistarum*, suarezianorum et scotistarum tenent nullam creaturam posse esse intrumentum obedientiale Dei ad creandum.

*2.ª sententia.* PETRUS LOMBARDO, SUAREZIUS, ARRIAGA, LOSADA, DE BENEDICTIS S. J., HELLÍN..., tenent non probari impossibilitatem talis elevationis.

Utraque sententia videtur probabilis, prima probabilior.

**1.151.** *Argumentum I.* Etiam in casu requiritur vis infinita. Atqui nulli creaturae communicari potest infinita virtus. Ergo nulla creatura neque ut instrumentum elevatum creare potest.

**1.152.** *Argumentum II.* Instrumentum nequit elevari extra propriam sphaeram v. c. lapis nequit esse instrumentum intellectionis. Atqui id in casu eveniret creaturae. Ergo creatura nequit esse instrumentum elevatum creationis.

*Maior.* Patet.

*Minor.* Ut constat ex parte praecedenti, huic instrumento intercluditur omne ministeriale servitium sive in praeparando seu praedisponendo viam, sive in determinando, sive in complendo utcumque causam principalem et quidem ex essentia sive creationis sive causae secundae. Atqui essentiae nec supernaturaliter mutari qucunt, nisi destruantur. Ergo elevaretur instrumentum extra propriam sphaeram si esset instrumentum obedientiale creationis.

**1.153. SCHOLIUM III. De Creatione mundi ab aeterno.** (176).

a) *Creatio mundi non est necessario ab aeterno.* Certissimum enim est in Philosophia et de fide catholica definita in Theologia Deum libcre mundum creavisse. Item de fide divina catholica et definita est Deum in tempore mundum creasse. Tandem creaturae sunt contingentes et inde indifferentes ad exsistendum et non exsistendum. Ergo creatio mundi non est necessario ab aeterno.

b) *Estne possibilis creatio mundi ab aeterno?*

*Alii* ut S. THOMAS, VÁZQUEZ et *communiter thomistae* affirmant creationem omnium rerum ab aeterno esse possibilem.

*Alii* ut SUÁREZ, J. A S. THOMA, URRABURU..., tenent possibilitatem creationis ab aeterno rerum esse permanens habentium, non vero si agatur de rebus esse successivum habentibus.

*Alii* denique ut S. BONAVENTURA, S. ALBERTUS MAGNUS, TOLETUS, VALENTIA, TANNER, PETAVIUS, PALMIERI, BILLOT, HUARTE..., sustinent impossibilem esse cuiusvis rei creationem ab aeterno.

---

(176) HELLÍN, *Theol. Nat.*, p. 769 ss.—SAGÜÉS, *De Deo creante* p. 513.

## ARTICULUS II

### De conservatione

**THESIS 47. Deus res omnes positive, directe et immediate conservat.**

1.154. **Bibliographia.**—S. Th., 1, q. 104, a. 1 et 2; 3 CG, c. 65; *De Potent.*, q. 5, a. 1-4.—Suárez, DM 21, s. 1-3.—Piccirelli, *De Deo*, DM, p. 344.—Hontheim, *Inst. Theod.*, p. 766.—Urraburu, *Theod.*, 2, p. 707 ss.—Brosnan, *Theol. Nat.*, p. 295.—Pinard, art. *Conservation:* DTC, col. 1.195 ss.—Loinaz, *Prael. e Theol. Nat.*, p. 372.—Gisquière, *Prael. Theod.*, 2, p. 223 ss.—Hellín, *Theol. Nat.*, p. 779.—Sagüés, *De Deo creante*, p. 541.

**1.155.** **Nexus.** Egimus in thesi praecedenti de operatione Dei creatrice; nunc de divina conservatione agendum est.

### 1.156. NOTIONES.

**Conservatio** est continuatio rei in esse semel accepto. Seu est continuatio exsistentiae productae.

Unde conservatio aliquid magis dicit quam simplex duratio. *Duratio* convenit enti quatenus est ens. Ergo Deus durat. Conservatio vero convenit enti quatenus est ens productum. Ergo Deus non conservatur.

1. Conservatio potest esse passiva et activa.

*Passiva* (conservari, ex parte termini) est perseverantia rei conservandae in esse dependenter ab influxu causae conservantis.

*Activa* (ex parte agentis, conservare) est influxus causae conservantis, quo aliquo modo causatur permanentia illius rei in esse.

2. Conservatio activa potest esse negativa et positiva.

*Negativa* (permissiva) est non destructio rei seu omissio actionis destructivae rei per ens potens eam destruere adeoque permittit rem in esse persistere v. c. captivi conservantur a victore. Nullam importat in conservante actionem positivam ad rem conservandam.

*Positiva* est actualis influxus positivus agentis quo res persistit in esse semel accepto. Unde ille dicitur conservare positive rem, qui aliquid positive praestat, quo res persistat in esse semel accepto.

**1.157.** 3. Conservatio positiva potest esse per accidens et per se.

*Per accidens* est influxus positivus alicuius agentis in aliquam rem prote-

gens eam a contrariis et corrumpentibus, i. e. removens impedimenta permanentiae rei.

Sic influxus positivus salis per se destruit vermes, per accidens conservat carnem ne corrumpatur. Sic etiam influxus positivus vestis per se vitat frigus, per accidens protegit, conservat homines ne corrumpantur. Sed hae causae nihil intrinsecum conferunt rebus, quae conservari dicuntur.

*Per se* est influxus positivus agentis in aliquam rem intrinsecum quid rei conferens vi cuius in esse perseverat.

**1.158.** 4. Conservatio per se potest esse indirecta et directa.

*Indirecta* est influxus positivus agentis in aliquam rem conferens rei aliquid intrinsecum (qualitates, dispositiones) sine quo esse essentiale physicum rei passive non conservaretur.

Sic sol dicitur indirecte conservare viventia, quatenus in ipsa immittit calorem necessarium ad vitam producendam. Nam tali influxu favet ut viventia habeant eas dispositiones accidentales v. c. temperiei etc... sine quibus esse essentiale rei i. e. forma unita materiae permanere non potest. Sic etiam alimenta conservant indirecte animalia. Nam vita vegetativa conservatur nutritione, non ita ut nutritio sit formaliter conservatio; nutritio enim est operatio necessaria ut esse essentiale viventis a Deo conservetur.

*Directa* est influxus positivus tendens directe et conferens aliquid intrinsecum, non solum rei, sed ipsi esse essentiali physico rei, quod passive conservari dicitur.

**1.159.** 5. Conservatio directa potest esse mediata et immediata.

*Mediata* est influxus positivus tendens directe ad ipsum esse essentiale rei et conferens mediante aliquo agente intermedio aliquid intrinsecum ipsi esse essentiale rei.

Sic cum talis influxus terminatur directe ad esse causae a qua subinde conservatur esse effectus essentiale. Unde causa conservatrix directe tendit ad conservationem esse essentiale tum causae tum effectus; tamen immediate conservat solum esse causae, mediate esse essentiale effectus. Sic si Deus intenderet conservare esse causae A et esse eius effectus B et quidem mediante et a sola causa A, Deus conservaret directe sed mediate esse rei B.

*Immediata* est influxus positivus tendens directe et sine ullo agente intermedio in ipsum esse essentiale physicum rei, quod passive conservari dicitur. Haec conservatio clare apparet in spiritibus; si enim positive conservantur etiam directe et immediate, quia a nulla causa creata corrumpi possunt et a nulla causa secunda in exsistentia dependent.

Iuxta aliquos conservator immediatus semper est in contactu directo cum re conservata. Conservator autem si est mediatus non est in contactu directo cum re conservata. Tamen in hoc casu talis conservatio non fit ponendo conditiones sine quibus res durare non potest, sed tendendo directe ad ipsum esse rei.

6. Conservatio immediata potest esse.

*Restricta* si solum versatur circa quaedam tantum entia.

*Absoluta* (universalis) si versatur circa omnia omnino entia.

*Principiative* sumpta seu prouti est in Deo, est decretum conservandi res.

*Terminative* sumpta seu prout est in creatura est conservatio formaliter sumpta.

## 1.160. STATUS QUAESTIONIS.

QUAERIMUS utrum omnia extra Deum indigeant actione divina conservativa necne quoad suum esse simpliciter seu quoad esse prout opponitur nihilo.

Nulla est difficultas quoad conservationem negativam quatenus Deus res non destruit; nec quoad conservationem positivam per accidens et per se indirectam: hoc procul dubio Deus facere potest et facit protegendo res contra elementa corrumpentia, dando alimenta, etc...

AGIMUS de conservatione positiva, directa et immediata (i. e. de influxu efficiente positivo, per se, physico, directo et immediato causae primae seu Dei, non in to incipere rei (de hoc in creatione et in concursu), sed in esse rei quod permaneat etiam ad brevissimum tempus. Et asserimus talem influxum esse prorsus necessarium pro omnibus rebus exsistentibus extra Deum sive sint res subsistentes, ut sunt materia primaeva seu corporum fundamentalis materia et substantiae spirituales, quae indigent creatione ut exsistant; sive sint non subsistentes, quae possunt venire in exsistentiam per meram productionem.

*Thesis est affirmativa*, i. e. Deus conservat efficienter directe et immediate omnes res nulla excepta; non est exclusiva, i. e. solus Deus eas conservat: alia enim solus Deus conservat, alia simul (non mediantibus) cum causis secundis.

Tamen quoad conservationem rerum a se ipsis argumenta probant nullam rem extra Deum se ipsam, ne inadaequate quidem, conservare posse efficienter quoad esse essentiale suae exsistentiae, quamvis possit se conservare quoad esse accidentale.

Argumenta pro thesi difficilia sunt, sed certo evincunt rem.

## 1.161. ADVERSARII.

1. PHILOSOPHICI GRAECI, qui creationem ignorantes, a fortiori ignorant conservationem.

2. DEISTAE (angli) secundum quos Deus res semel creatas non amplius curat.

3. OMNES THEISTAE admittunt aliquod genus conservationis. Cum vero agitur de determinanda conservatione et pro quibus rebus in concreto, adest varietas iudiciorum ita ut inter catholicos citentur adversarii. Sic:

a) *Alii* admittunt conservationem Dei immediatam quoad omnia entia subsistentia, quae ipse creavit, ut sunt materia fundamentalis corporum et substantiae spirituales. Cetera omnia, quae non sunt subsistentia, quae possunt venire in exsistentiam per meram productionem, ut sunt formae mate-

riales et accidentia, possunt conservari solummodo ab aliis causis contingentibus sine concursu Dei immediato, quem negant isti auctores. Sic DURANDUS, IGLESIAS (177)...

b) *Aliqui theologi* recentiores ut BERLAGE (et ut videtur etiam KLEE) admittunt conservationem negativam pro substantiis spiritualibus et pro materia fundamentali corporum; et conservationem positivam indirectam pro entibus corruptibilibus.

c) NOSTRA SENTENTIA, quae est communis inter scholasticos, enuntiatur in carmine theseos.

## CENSURA.

Certa in philosophia. De fide divina et catholica in Theologia quoad res subsistentes (D. 1784).

## PROBATUR.

**1.162.** I. *(Ex perfectione dominii Dei in creaturas.)*

Omniperfectio Dei postulat summum dominium Dei supra omnes res et summam dependentiam omnium rerum a Deo. Atqui dominium Dei est longe perfectius et dependentia effectus maior si omnes res positive directe et immediate conservat.

*Maior.* Quia dominium supra aliquam rem est perfectio et Deus habet omnes perfectiones in summo gradu possibili. Ergo etiam dominium Dei supra res debet esse summum possibile.

*Minor.* Res est manifesta si conservatio positiva et immediata non repugnat; non repugnare patet, quia etiam a causis creatis fieri potest v. c. conservatio actuum vitalium a suis potentiis.

**1.163.** II. *(Ex contingentia rerum.)*

Perseverantia in exsistendo rei contingentis est aliquid reale et positivum et pro illa assignari debet ratio sufficiens; haec autem ratio esset: *a)* actio creativa Dei qua talis seu causa rei in fieri; *b)* ipsa res seu substantia iam producta; *c)* actio quaedam ipsius rei productae; *d)* alia res finita contingens; *e)* actio Dei conservativa directa et immediata.

Atqui non *a)* nec *b)* nec *c)* nec *d)*.

Ergo *e)* i. e. Deus res omnes positive, directe et immediate conservat.

*Maior.* Enumeratio est exhaustiva.

*Minor.* Non: a) *Nam actio Dei creativa qua talis* est ratio sufficiens ad hoc ut res transeat de non-esse ad esse tantum pro primo instanti rei, non pro secundo, tertio, etc... Si autem influxus conservativus perseverat, hoc iam non debetur actioni creativae ut tali, sed alii actioni.

---

(177) *De Deo in operatione naturae et voluntatis operante* (México, 1946).

Non: b) *Illa enim substantia producta* semper est contingens seu nihil ex sua essentia, ex suis constitutivis in ordine ad exsistentiam propriam (proprietas eius essentialis est ex se non esse). Unde conservatio talis substantiae est continuata effectio physica illius. Atqui nulla res potest se ipsam efficere. Ergo nulla substantia producta potest se ipsam conservare.

Si enim exsistentia substantiae semel positae in primo instanti esset ratio sufficiens pro eius perseverantia in secundo, tertio... momento, etc... nulla res, ne corruptibilis quidem, naturaliter periret; quia ante corruptionem exsistit, et ratio sufficiens pro secundo, tertio momento... invenitur in eius exsistentia in primo momento, etc...

Non: c) *Nam talis virtus* ex essentia sua semper est contingens; unde in singulis momentis ex suis constitutivis est nihil in ordine ad exsistentiam propriam et a fortiori in ordine ad perseverantiam exsistentiae sive propriae sive ipsius substantiae.

Nec potest dici quod virtus conservetur per substantiam, quia tum virtus supponit quod debet efficere sc. perseverantiam substantiae, quae et ipsa est contingens et de hoc est quaestio.

Si vero dicis Deum conservare immediate virtutem et solam virtutem conservare immediate substantiam, hic casus coincidit cum hypothesi sequenti.

Non: d) I. e. *alia creatura seu res contingens.*

1) Etenim ens contingens A (idem dic de omni contingente), cum exercet et dum exercet suum influxum conservativum immediatum in ens contingens B, ex suis constitutivis est nihil in ordine tum ad exsistentiam tum ad perseverantiam propriae exsistentiae et a fortiori est nihil ex se solo in ordine ad operationem. Ergo eget conservatione directa et immediata alius entis non contingentis, a quo pendet *saltem mediate* influxus conservativus entis contingentis A in ens contingens B.

2) *Etiam immediate* talis influxus pendet ab alio ente non contingente. Ille enim influxus conservativus immediatus quatenus immediatus, est aliquid, est aliquod ens et proveniret a sola creatura, a solo ente contingente. Hoc autem repugnat, quia quodlibet ens contingens in instanti in quo operatur et dum operatur suum influxum conservativum immediatum in ens B cum non habeat rationem sufficientem adaequatam ad suam exsistentiam, a fortiori nequit habere rationem sufficientem adaequatam ad operandum, ad conservandum aliud ens, quod supponit exsistentiam.

Praeterea, ut diximus in argumento praecedenti dominium absolutum Dei et maxima dependentia creaturae a Deo exigit conservationem immediatam, secus non daretur in ente contingente summa dependentia possibilis a Deo.

Ergo nihil aliud remanet nisi *e).* Patet exclusione; si enim nullum ens contingens potest esse ratio adaequata conservationis alius entis contingentis, semper debet intervenire conservatio directa et immediata entis Necessarii seu Dei sive sit solus sive simul cum causis creatis.

**1.164.** III. *(Ex omnipotentia divina;* valet solum pro rebus subsistentibus). Omnipotentia divina potest omnes res subsistentes in nihilum redigere

Atqui id non posset Deus nisi illas positive, directe et immediate conservet in esse. Ergo Deus res omnes positive et immediate conservat.

*Maior.* Deus potest facere omnia quae sunt possibilia; res vero creata subsistens ex natura sua est contingens, inde ex se est indifferens ad exsistendum vel non exsistendum. Unde eius desitio totalis est possibilis.

*Minor.* Nam annihilatio fieret aut per actionem positivam aut per actionem negativam.

*a)* Non per actionem positivam, quia omnis actio positiva debet habere terminum directum positivum ideoque non ferret secum plenam desitionem; actio enim est id quo formaliter causa actu dat esse alicui et quo effectus manat a causa sua. Atqui annihilatio non est aliquid positivum, sed mera negatio seu totalis desitio rei. Ergo annihilatio nequit fieri actione positiva.

*b)* Ergo per actionem negativam, i. e. per omissionem seu substractionem actionis positivae immediate conservantis rem. Ergo Deus iugiter res omnes directe et immediate conservat.

**1.165.** IV. *(Ex ratione causalitatis in fieri et in esse).*

Res, quae absolute ex essentia sua postulat influxum alicuius causae efficientis quoad to incipere exsistere, pendet positive, directe et immediate ab illa: *a)* in fieri *b)* in esse *c)* etiam in conservari ita ut non possit in esse permanere nisi per positivam, directam et immediatam actionem illius causae.

Atqui res cunctae creatae absolute ex essentia sua postulant influxum efficientem actionis Dei quoad to incipere exsistere. Ergo cunctae res creatae egent positiva, directa et immediata conservatione Dei.

*Maior. a)* Quia hic et nunc producitur ab illa.

*b)* Hoc significat pendere in esse ex eius definitione.

*c)* Quia omnis effectus a sua causa dependet secundum quod est eius causa et quidem ea lege ut cessante influxu causae, effectus quoque desinat.

Unde sicut cum effectus pendet ab aliqua causa in fieri non potest cessare influxus talis causae dum fit, quia cessante illo influxu cessaret fieri rei (cessante labore operariorum cessat constructio seu fieri aedificii); ita cum effectus pendet ab aliqua causa in esse, maxime si illa dependentia est simpliciter et absoluta, non potest cessare influxus illius causae dum est seu dum exsistit, quia cessante tali influxu cessaret esse rei. Quare?

Quia si in instante quo res fit, illa res ex essentia sua eget influxu positivo, per se, directo et immediato alicuius causae efficientis determinatae, procul dubio semper eget influxu talis causae: quamdiu enim illa res durat non mutat suam naturam et quod essentialiter convenit alicui in aliquo instanti semper convenit.

*Minor.* 1) *Quoad res creatas a Deo.* Creaturae sunt entia causata, contingentia. Atqui entia causata, contingentia absolute ex essentia sua postulant actionem immediatam Dei ut sint aliquando in rerum natura. Ergo cunctae res creatae absolute et simpliciter postulant actionem Dei ut sint.

2) *Quoad res productas etiam a creaturis.* Sine divina efficientia nihil potest esse omnino etiam eorum, quae a causis secundis producuntur, ut deinde probabitur in thesi de concursu. Immo sola divina efficientia potest producere quamlibet rem. Ergo res omnes absolute et simpliciter postulant actionem Dei ut sint.

3) Deus est causa effectus creaturae quoad esse, creatura est causa effectus quoad fieri (quia absolute potuisset fieri a solo Deo). Causa prima seu Deus est causa tou esse, creatura vero est causa effectus sub aliquo aspectu particulari. Deus est causa contingentis quatenus est contingens, creatura vero sub ratione talis contingentis. Unde contingens ex essentia sua, ex suis constitutivis est nihil in ordine ad exsistentiam. Ergo ex essentia sua eget influxu immediato causae primae ut exsistat.

**1.166. SCHOLIUM I. De auctore, subiecto et natura conservationis.** (178).

1. *Solus Deus* conservat efficienter et immediate res subsistentes ut sunt materia prima corporum et substantiae spirituales, quae non fiunt ex praesupposito subiecto, sed per se creantur.

Actio Dei conservativa quoad res subsistentes non differt ab actione creativa re: utraque enim tendit ad esse termini independenter ab omni subiecto. Effectus conservationis idem est re ac effectus creationis i. e. ipsum esse rerum seu ipsa totalis exsistentia rei.

Unde conservatio est creatio continuata, non vero iterata seu indefinita successio productionis et annihilationis, quia periret unitas entis contingentis. Iam vero creatio est opus solius Dei. Ergo...

Actio creativa et actio conservativa differunt solummodo ratione cum fundamento in re, quatenus creatio importat effectionem rei connotando quod antea non fuerit; conservatio dicit eamdem effectionem, connotando quod res antea fuerit.

Actio conservativa est eadem numero actio ac creativa siquidem res conservantur per eamdem causam per quam producta est.

**1.167.** 2. *Solus Deus* absque interventu effectivo causarum secundarum conservat efficienter et immediate illas res non subsistentes, quae perseverant in exsistendo cessante influxu conservativo efficiente causarum secundarum: ut sunt formae omnes materiales eductae ex praesupposito subiecto de potentia materiae: anima animalium, formae substantiales mineralium, domus facta ab architecto, quaedam accidentia producta a causis secundis, ut ubi, figura...

Hae res non subsistentes debent conservari efficienter ab aliquo ut constat ex argumentis propositis in thesi. Si vero non conservantur a causis secundis, ut dictum est, solummodo conservantur a Deo.

Ut vides in hoc casu, non conservantur res per easdem causas per quas producuntur: actio productiva est a Deo et a creatura. Actio vero conservativa est a solo Deo. Ergo actio productiva et conservativa realiter distinguuntur inter se.

**1.168.** 3. *Deus simul cum causis secundis* conservat efficienter et immediate illas formas, quae producuntur a Deo et a creatura et huius influxus requiritur dum res est: tales sunt proprietates essentiales rerum ut, intellectus, voluntas; actus immanentes intellectus et voluntatis, lumen solis, motus, quantitas...

Hae formae egent conservari, requiritur influxus efficiens immediatus Dei ut constat ex thesi. Requiritur etiam influxus efficiens causae secundae, quia dum sunt habent actualem et naturalem dependentiam a suis causis.

Unde in hoc casu, quoniam res conservantur per easdem causas per quas productae sunt, actio productiva et actio conservativa est eadem numero actio cum diversa connotatione.

**1.169.** *Ergo Deus conservat omnes res contigentes nulla excepta* directe et immediate et quidem solum conservatione effectiva seu solum in genere causae efficientis. Tamen cum semper ac Deus operatur mediis causis secundis i. e. cum causis secundis, praesupponat materiam et ab hac dependenter formas educat, conservat res efficienter, sed dependenter a materia; et materiam conservat dependenter a forma, et accidentia dependenter a substantia... etc...

**1.170.** *Causae secundae* possunt conservare alias res aliquando in genere causae efficientis simul cum Deo; aliquando in genere causae sive formalis sive materialis. Sic materia conservatur per formam, forma materialis per materiam; materia et forma conservant compositum; substantia conservat accidentia et proprietates; accidentia et proprietates conservant substantiam. Sic intellectio conservatur ab intellectu ut a causa efficiente eiusdem; ut a causa materiali seu a subiecto ex quo intellectio educitur et in quo sustentatur et tamquam a causa efficiente unionis intellectionis cum intellectu. Deus autem solummodo potest sustentare intellectionem tamquam causa efficiens ita tamen ut intellectui creato det et conservet esse et proprietates et sic det illi ipsam sustentationem in omni genere causae.

---

(178) Suárez, DM 21, s. 2.—Urráburu, *Theod.*, 2, p. 724.—Loinaz, *Prael. e Theol. Nat.*, p. 375.—Hellín, *Theol. Nat.*, p. 784.

**1.171.** 4. Relatio inter actionem productivam et conservativam.

Si causae producentes et conservantes sunt eaedem et terminus etiam idem, actio erit eadem quia actio specificatur et a causis et a termino.

Si vero causae conservantes sunt diversae etiam partialiter a causis producentibus etsi terminus sit idem, actio erit diversa.

Iuxta Suárez actio conservativa est modus distinctus a conservante et a re conservata; sicut actio creativa et eductiva est modus distinctus a creante et a re creata et educta.

**1.172. SCHOLIUM II. De rerum annihilatione.** (179).

*Annihilatio* est totalis rei interitus ut nihil de illa, ne materia quidem aut subiectum remaneat.

a) *Deus potest de potentia absoluta annihilare omnes res creatas:* per se solum res subsistentes; per accidens etiam formas sive substantiales materiales sive accidentales, quae connaturaliter immediate annihilari non possunt, sed solum mediate, substracto subiecto.

Nam Deus libere creavit res et libere conservat esse iugiter influendo. Ergo potest Deus absolute (de potentia physica seu absoluta) cessare a conservatione. Atqui res eo ipso quod a Dco non conservantur annihilantur. Ergo Deus absolute potest annihilare res.

b) *Solus Deus potest annihilare res.*

Ab eo enim solum possunt res in nihilum redigi, a quo absolute dependent in esse. Atqui a solo Deo pendent res in esse, a causis autem creatis solum possunt pendere in fieri (res subsistentes). Ergo solus Deus potest annihilare.

c) *Deus de facto nihil annihilat.*

Nam Deus redigeret aliquid in nihilum:

*a)* vel agendo secundum naturalem rei conditionem.

*b)* vel contra aut praeter eam quasi miraculose operando.

Atqui neutro modo potest Deus de ordinaria potentia.

Ergo Deus de facto nihil annihilat.

*Maior.* Non datur tertium.

*Minor.* Non *a)* Nulla est in rerum natura naturalis exigentia annihilationis entis cuiuslibet creati: omnis enim substantia tum immaterialis (in qua non est potentia ad non-esse) tum materialis (quae semper remanet secundum materiam) de se capacitatem importat ad permanendum in esse si a Deo conservetur.

Non *b)* Nam hoc non fieret a Deo nisi ad ostensionem suae gloriae et gratiae ut dicitur agendo de fine miraculorum. Atqui annihilare res non pertinet ad ostensionem gloriae ac gratiae Dei cum sit negatio actionis et potius conservatio rei commendat potentiam et bonitatem Dei. Ergo Deus non potest annihilare de potentia ordinaria agendo contra naturalem rerum conditionem.

**1.173. SCHOLIUM III. De causa rei in fieri et in esse.** (180).

Causa rei in fieri et in esse diversis sensibus potest intelligi.

1) *Causa rei in fieri est illa a qua pendet fieri et esse rei.* Nulla autem est causa quae proprie ac per se ac directe faciat ipsum fieri, quae non sit per se et directe causa ipsius esse, nam ad illud per se terminatur ipsum fieri. Immo non potest aliter ipsum esse primo causari nisi per fieri. Unde hoc sensu omnis causa rei in fieri est etiam causa in esse.

Sic: Ignis in instanti quo efficicnter generat ignem, causando generationem dat esse igni genito, unde est causa illius in csse.

Deus in primo instanti quo res creat est causa illius esse, quia est causa fieri eius.

Architectus et operarii cum disponunt cementum, lapides, ligna ex quibus forma, compositio ct ordo domus consistunt, sunt causae cfficientes illius domus in fieri; sed illud fieri per se et directe infert esse ipsius domus. Ergo etiam hoc sensu sunt causae efficientes esse illius.

---

(179) S. Th., I, q. 104, a. 3-4.—Urraburu, *Theod.*, 2, p. 737.—Mz. del Campo, *Theol. Nat.*, p. 363.

(180) Gisquière, *Prael. Theod.*, 2, p. 226.—De Regnon, *La metaphysique des causes*, [2] (1906), p. 505-513.—Urraburu, *Theod.*, 2, p. 711.—Suárez, DM 21, s. 1, n. 7 et 8.

*Causa rei in esse* significaret hic et nunc causam rei in conservari, quod est fructus probationis theseos.

**1.174.** 2) *Causa rei tantum in fieri* est ea, quae disponit de facto ea omnia quae requiruntur ut res fiat, ut effectus habeatur v. c. applicando agentia ad egendum sic vel sic. Ita domus directe pendet tantum in fieri ex actione architecti et operariorum siquidem disponunt cementum, lapides, ligna ex quibus esse domus consistit.

*Causa rei tantum in esse* est illa a qua pendet ut res constituatur et consistat in suo esse in primo momento. Sic cementum, lapides, ligna... ex quibus forma, compositio et ordo domus constituitur et consistit sunt causa materialis domus tantum quoad esse: hoc enim dependet ex naturis illorum elementorum.

**1.175.** 3) *Causa rei tantum in fieri* est illa quae producit effectum hic et nunc de facto, potuisset tamen esse seu produci sine illa causa determinata. Unde non postulat talem causam determinatam simpliciter et absolute ut sit; sed solum ut sit per talem actionem vel effectionem.

Ita domus pendet tantum in fieri ab hoc architecto et ab his operariis determinatis. Anima bruti pendet tantum in fieri ab his parentibus determinatis. Petrus pendet tantum in fieri a suo patre Antonio, quia potuisset eadem natura individua fieri ab aliis vel etiam a solo Deo.

*Causa rei in esse* est illa quae producit effectum ita ut simpliciter et absolute requiratur actio illius causae determinatae ut exsistat talis effectus.

Sic Deus est causa Adami quoad esse (inde etiam quoad fieri) quia simpliciter et absolute requiritur actio Dei ut Adamus exsistat.

**1.176.** 4) *Causa rei simul in fieri et in esse.*

*a)* Est illa a qua pendet ut res fiat et simul ut constituatur et consistat in esse. Sic sol est causa in fieri et in esse illuminationis alicuius obiecti.

Intellectus et voluntas sunt causae in fieri et in esse intellectionum et volitionum.

*b)* Est illa quae hic et nunc producit talem effectum ita ut requiratur simpliciter et absolute actio illius causae determinatae ut exsistat talis effectus. Hoc sensu proprie solus Deus est causa omnium rerum in fieri et in esse, quia nullum ens ita fit a causa creata ut absolute et simpliciter illa indigeat ut recipiat esse: posset enim provenire a solo Deo sine interventu alius causae.

Tamen iuxta naturalem causarum ordinem, de quibusdam causis creatis dici potest, et hoc modo, ut diximus, sol est causa luminis, lumen autem postulat natura sua talem causam ut sit.

Hinc iuxta dicta sub 3) et 4).

—Quod pendet ab alio in esse semper pendet in fieri.

—Quod pendet ab alio in fieri non semper pendet in esse.

—Quod non pendet ab alio in fieri, nec pendet in esse.

—Non est idem aliquid pendere ab alio in esse seu quoad to incipere, et pendere in conservari i. e. ut in illo esse iam exsistente ulterius perseveret.

## 1.177. OBIECTIONES.

1) Deus est causa efficiens rerum. Atqui cessante actione causae efficientis remanet saepe effectus. Ergo cessante actione conservativa Dei possunt res perseverare in esse.

> Dist. mai. Deus est causa efficiens quoad fieri et quoad esse C.; tantum quoad fieri N. Contrd. minorem.

Atqui cessante actione causae efficientis quoad esse remanet effectus. Ergo...

2) Creatura potest effectui suo tribuere ut non amplius indigeat conservatione creaturae. Ergo etiam Deus suis effectibus dare potest ut non indigeant sua conservatione.

> Dist. antec. Creatura... indigeat tamen conservatione divina C.; secus N. nam eo ipso creatura sibi sufficeret, non esset contingens.

Atqui nec divina conservatione eget creatura. Ergo...

3) Deo tribuendum est quod est perfectius. Atqui perfectius est ita rem facere ut ipsa sola se conservet. Ergo creatura non eget divina conservatione.

Conc. mai et N. minorem. Deus debet facere res eo modo, qui concordet cum esse creaturae, quod petit totalem dependentiam a Deo.

Probo minorem.

4) Artefactnm de se instabile demonstrat imperfectionem artificis. Ergo perfectius est rem facere ita ut ipsa sola se conservet, secus Deum imperfectum faceret.

Dist. ant. in artifice creato Tr.; in divino artifice N. Res enim sunt absolute contingentes et imperfectae, non privative ex carentia alicuius debiti, sed negative ex carentia sibi indebitae ulterioris perfectionis.

Atqui aliquae res creatae ita factae sunt ut non egeant conservatione. Ergo...

5) Quod non potest non esse non indiget ut conservetur in esse. Atqui quaedam creaturae (nempe substantiae immateriales) secundum suam naturam non possunt non esse. Ergo non indigent conservari.

Conc. maiorem et N. minorem.

6) Quae non habent potentiam subiectivam ad non-esse, perseverant in exsistentia et non egent conservari. Atqui spiritus non habent potentiam subiectivam ad non-esse. Ergo non egent conservari.

Dist. mai. Non egent conservari indirecte removendo corrumpentia C.; non egent conservari directe per influxum tribnentem ipsis perseverantiam in essendo N. Si Dens non conservaret spiritus directe, nec posset annihilare illos.

Conc. Min. et dist. pariter consequens.

Atqui nec directe egent spiritus conservari. Ergo.

7) Quod per se inest alicui necessario inest. Atqui spiritibus per se inest *esse*. Ergo non possunt non esse ac proinde non egent directe conservari.

Dist. mai. Quod per se inest alicui tamquam ad essentiam eius spectans vel ex ea necesario consequens independenter ab influxu alicuius causae C.; quod per se inest alicui, snpposito tamen influxu causae a qua dependet N.

Contr. min. et nego consequens.

Spiritns enim etsi non habeant principium corruptionis intrinsecum, nec possunt destrui ab agentibns externis creatis, tamen sunt contingentia. Ergo egent conservatione quoad primum esse et proinde semper, quia natura semper erit contingens.

Atqui conservatio est superflua, semel supposita exsistentia rei. Ergo...

8) Nulla creatura tendit ad non esse. Atqui conservatio supponit contrarium. Ergo conservatio superflna est.

Dist. mai. positive C.; negative N. i. e. in propria natura non est ratio sufficiens suae exsistentiae.

Contrad. minorem.

9) Res naturaliter appetunt esse seu snam conservationem. Atqui appetitus naturalis non est frustra. Ergo res seipsas conservant.

Resp. Disting. mai. datum et conservatum a causa efficiente, saltem a Deo C. a semetipsis tantum N.

Contrd. min.

10) Nihil violentum aut innaturale contingere potest rei nisi per actionem rei extrinsecam. Atqui tendere ad non esse est innaturale et violentum cuilibet creaturae. Ergo nulla creatura potest tendere ad non esse.

Resp. Trans maior.

Disting. min. Supposita conservatione positiva immediata Dei C.; nulla positiva conservatione Dei supposita, Subd. est violentum tendere positive ad non esse C.; etiam negative N.

11) Quaelibet res retinet, quod sibi datur, donec auferatur ab ea. Atqui Deus dedit unicuique suum esse. Ergo retinet illud.

Resp. Disting. mai. si sit snfficiens retinere illud C.; si non sit N.

Contrad. min.

12) Subiectum conservat accidentia, quae ab alia causa extrinseca sibi adveniunt v. c. ut

paries albedinem etc... Ergo res potest se ipsam efficienter conservare quoad esse proveniens ei ab alio.

Resp. Disting. antec. Si non sustentatur ab alio efficienter N.; quamdiu ipsum conservatur ab alio efficienter in esse Subd. in genere causae materialis C.; in genere causae efficientis iterum Subd. simul cum Deo Tr. ipsum solum N.

Disting. cons. si non conservatur ab alio efficienter in esse N.; si sustentatur, Subd. potest se conservare quoad esse substantiale N.; quoad esse accidentale, iterum subd. solum ipsum subiectum N.; simul cum Deo C.

13) Creatura potest simul cum Deo operari et comproducere aliud etiam essentiale. Ergo potest simul cum Deo se ipsum conservare efficienter.

Resp. Conc. antec.

Disting. cons. quoad partem accidentalem sui esse C.; quoad partem essentialem N.

Explicatio. Conservare se ipsum quoad aliquid essentiale est producere se ipsum quoad illud essentiale et hoc repugnat. Producere simul cum Deo aliam creaturam etiam quoad aliquid essentiale, non infert se producere quoad aliquid essentiale.

14) Multa entia creata habent virtutem producendi seu dandi esse aliis rebus eiusdem speciei. Atqui minus requiritur ad conservandam aliquam rem quam ad primum producendam. Ergo res possunt se ipsas conservare.

Resp. Disting. mai. Si a Deo efficienter immediate conservantur C.; secus N.

Trans. min. (potest esse vera si agitur de accidentibus, non vero relate ad ipsum esse substantiale rei).

Disting. pariter cons.

15) Res conservari possunt mutua causalitate; sic materia conservatur per formam et forma materialis conservatur per materiam; et substantia conservatur per sua accidentia propria sine quibus non potest esse; et proprietates conservantur per substantias a quibus dependent efficienter. Ergo necesse non est omnia conservari directe et immediate a Deo.

Resp. Disting. mai. Et per hoc affirmatur causas secundas concurrere posse ad conservationem rerum in ordine causae materialis aut formalis aut aliquando etiam efficientis C.; Significat Deum non concurrere semper efficienter immediate ad conservationem omnium rernm N.

16) Conservatio positiva et immediata esset continuata creatio. Atqui sic res assidue sine intermissione crearetur, quod est falsum. Ergo conservatio rerum creatarum solummodo negativa est.

Resp. Conc. mai.

Disting. min. per continuationem actus, quo res primo condita est C.; per renovationem illius actus ita ut conservatio sit iterata creatio N.

17) Actio conservativa debet aliquid producere in effectu. Atqui nihil producit. Ergo non conservat Deus res positive.

Resp. Disting. mai. ut esse creatum iugiter permaneat C.; aliud N.

Contrd. min.

18) Argumentum ex omnipotentia divina probat Deum conservare solum illas res, quas potest annihilare. Atqui res non subsistentes non possunt annihilari, sed corrumpi per accidens. Ergo neque Deus potest conservare illas.

Resp. Conc. mai. et minorem.

Disting. cons. Non conservat illas N.; non probatur hoc argumento Deum illas conservare C.

19) Potentia annihilandi res sufficienter salvatur in conservatione mediata. Sic si Deus conservat rem A et res A conservat immediate rem B, sufficit ut Deus desinat conservare rem A ut haec immediate, B. autem mediate annihiletur. Ergo argumentum III nihil probat.

Resp. Nego Antec. Ad dominium Dei spectat ut possit annihilare rem quamlibet conservando, si velit, praeter illam omnia alia, quae forsam iustis de causis velit ut in exsistentia pergant. Iam vero in casu Deus non possit annihilare rem B nisi annihilando rem A.

## ARTICULUS III

### De concursu divino

**THESIS 48. Deus res omnes in singulis actionibus immediato concursu adiuvat. Unde actio creaturae tota et eadem numero indivisibiliter a Deo et creatura procedit.**

1.178. **Bibliographia.**–S. Th., 1, q.105, a. 5; 3 CG, c. 66, 67, 70; *De Potent.*, q. 3, a. 7; 1-2, q. 109, a. 1.–Suárez, DM 18, 1; D. 22, s. 1;–Molina, *Concordia*, in I, q. 14, a. 13, d. 25.–Losada, *Physica*, tr. 2, d. 6, c. 1, n. 2.–Hontheim, *Inst. Theod.*, n. 968.–Urraburu, *Theod.*, 2, p. 743-781.–Loinaz, *Prael. e Theol. Nat.*, p. 378.–V. Frins, art. *Concurs divin:* DTC, col. 781-796.–L. Teixidor, S. J., *Del concurso inmediato de Dios en todas las acciones y efectos de sus criaturas*, EstEcles, 7 (1928), 5-23; 146-160; 9 (1930), 221-250; 11 (1932), 190-227; 289-312.–Mz. del Campo, *Theol. Nat.*, pp. 364 ss.–*Doctrina S. Thomae de actu et potentia et de concursu*, p. 191 ss.–Hellín, *Theol. Nat.*, p. 786 ss.–Gisquière, *Prael. Theod.*, 2, p. 233-310.–Sagüés, *De Deo creante*, p. 550.–C. Urbain, *De concursu divino scholastici quid senserint* (Parisiis, 1894).

1.179. **Nexus.** In thesi praecedenti diximus Deum conservare immediate omnia entia contingentia; haec ergo exsistunt quoad sui esse iam factum in statu dependentiae totalis et immediatae a Deo. Esse vero entis contigentis non est mere, sed agit. Et nunc est quaestio quomodo Deus influat in quodlibet operari et fieri effectuum quos causa creata faciat.

### 1.180. NOTIONES.

Concursus: a) *Vi nominis* idem est ac currere cum alio.

b) *Realiter*, agendo de causis, est influxus alicuius causae operantis cum alia.

c) *Concursus Dei* efficiens est influxus Dei operantis cum causis secundis idem fieri ac eumdem effectum.

1.181. Divisiones concursus Dei efficientis:

1. Negativus et positivus.

*C. negativus* est influxus efficiens Dei non impedientis actionem et effectum causae secundae v. c. per destructionem causae.

*C. positivus* est influxus positivus Dei operantis actionem et effectum causae secundae.

1.182. 2. Concursus positivus naturalis et supernaturalis.

*Naturalis* (generalis, communis) est influxus positivus Dei operantis actio-

nes causarum secundarum et effectus, qui sunt secundum earum naturalem aptitudinem.

*Supernaturalis* (specialis) est influxus positivus Dei operantis actiones et effectus causarum secundarum, qui sunt supra naturalem earum aptitudinem.

**1.183.** 3. Concursus naturalis moralis et physicus.

*Moralis* est influxus positivus naturalis Dei operantis actiones et effectus causae secundae actione morali (causalitate morali efficiente) vi praeceptorum, minarum, quibus dirigitur voluntas in aliquem finem.

Sic pater iubens filium occidere servum concurrit moraliter ad actionem occisivam, quia voluntatem filii ad eliciendum actum occisionis movet, non physice, sed causalitate morali efficiente. Hic concursus moralis efficiens distinguitur a concursu morali finali, qui exercetur per propositionem alicuius obiecti, cuius bonitas alliciat ad consecutionem sui. Causa moralis efficiens movet ut aliud obtineatur; causa finalis movet ut ipsa obtineatur.

Ut vides ex natura sua concursus moralis efficiens proprie est mediatus respectu actionis ad quam movet.

*Physicus* est influxus positivus Dei operantis actiones causarum secundarum per physicam efficientiam.

**1.184.** 4. Concursus physicus mediatus et immediatus.

*Mediatus* est influxus positivus naturalis, physicus et remotus Dei operantis actiones et effectus causarum secundarum.

Unde hic concursus attingit immediate solummodo causam. Sic pater producendo filium, qui solus deinde pingeret tabulam aliquam, influeret mediate in tabulam depictam; item Deus creando et conservando v. c. voluntatem concurreret tantum mediate ad operationes voluntatis.

*Immediatus* est influxus positivus naturalis, physicus et proximus Dei operantis actiones causarum secundarum.

Unde hic concursus influit tum cum elicitur actio non tantum praebendo et conservando virtutem agendi, sed in ipsa operatione, in ipso actu secundo et in ipsa creatura operante, siquidem cum influit non manet Deus extra causam secundam, sed ipsi creaturae intime praesens est.

**1.185.** 5. Concursus physicus immediatus potest esse praevius et simultaneus.

*Praevius* est influxus physicus et proximus Dei operantis, praevie ad actum secundum, ipsum agere causae secundae determinando transitum de potentia ad actum modo sive praedeterminante sive indifferenti.

*Simultaneus* est influxus physicus et proximus Dei operantis simul cum causa secunda ipsum actum secundum.

N. B. Si attente consideretur divisio praecedens, *concursus praevius* pertinet potius ad concursum mediatum, quia attingit directe et immediate solam causam secundam praevie ad actum secundum. Sed potest vocari immediatus secundum quid, nempe si comparatur cum concursu mediato per meram largitionem et conservationem potentiae activae: concursus enim praevius respicit magis directe operationem creaturae.

*Concursus* vero *simultaneus* est simpliciter immediatus, quia attingit immediate fieri effectus (actionem in passo in quo recipitur cooperatio divina simultanea) et inde etiam ipsum agere (actionem in agente) item ipsum effectum.

**1.186.** Concursus simultaneus potest considerari in actu 1.° et in actu 2.° *In actu 1.°* (oblatus...) est Dei influxus physicus et proximus iam paratus ad operandum simul cum causa secunda actionem et effectum. *In actu 2.°* (collatus, datus...) est influxus physicus et proximus actu operans simul cum causa secunda actionem et effectum.

Exemplum. Rex iubens filium occidere servum concurrit moraliter ad occisionem; tribuens ei gladium concurrit physice mediate; accipiens simul cum illo gladium cum iam est paratus ad percutiendum concurrit physice immediate in actu 1.°; cum iam percutit illum est concursus immediatus in actu 2.°.

Eodem modo concursus immediatus praevius potest considerari in actu 1.° et in actu 2.°

**1.187.** ACTIO in genere est causalitas seu exercitium causae efficientis. Est ultima formalis determinatio virtutis activae ut causet effectum et ipsius effectus ut exsistat dependenter a tali causa.

Actio potest considerari principiative et terminative.

*Principiative* est illa causalitas considerata ut est in agente. Agens cum agit non est idem ac agens cum non agit; unde actio etiam in hoc sensu est aliquid quamvis non sit realiter distinctum ab agente.

In Deo est virtus divina actu operans, (actus formaliter immanens virtualiter transiens), quae appositis praerrequisitis et remotis impedimentis, se coniungit immediate virtuti causae secundae, eam complet et ad agendum immediate applicat. In causa secunda est virtus creata actu etiam agens; non vero sine influxu virtutis divinae, quae dat illi esse et agere.

*Terminative* est illa causalitas considerata ut est in termino seu in passo. Est fieri rei, seu effectus terminative. Unde actio complexive sumpta infert secum: agens actu operans, productionem seu fieri rei; terminum seu effectum.

## 1.188. STATUS QUAESTIONIS.

*a)* NON EST QUAESTIO hic de causalitate morali sive efficiente sive finali. Certe Deus ut ultimus finis omnium motionum intervenit movendo causas secundas finaliter et sic dicendus est causa omnium operationum: Quatenus ipse est terminus obiectivus seu naturalis destinationis omnium motuum; et quatenus ipse sua providentia (scientia et decretis) omnia in fines particulares dirigit ab ipso liberrime et sanctissime clectos.

*b)* *Deus* ut causa prima efficiens physica *concurrit mediate* ad omnes et singulas operationes causarum secundarum eas creando eisque imprimendo appetitum innatum quo necessario tendant in bonum universale et in finem ad quem a Deo destinantur et insuper tribuendo et conservando potentias proximas quibus necessario vel libere operentur in prosequutione talis finis.

**1.189.** *c)* ITEM ASSERIMUS cum omnibus scholasticis Deum applicare causam secundam ad operandum eamque movere ut suum instrumentum. Hoc in concreto fit concurrendo Deus *efficienter, positive, physice et immediate* (non enim

sufficit concursus mediatus per meram largitionem potentiae operativae) ad omnes et singulas operationes creaturarum et quidem tum immediatione suppositi (quia suppositum divinum est praesens creaturae cum qua concurrit) tum immediatione virtutis (quia Deus non operatur solummodo per virtutes creatas, sed etiam immediate per suam omnipotentiam).

*Hic agimus solummodo de concursu simultaneo*, quem omnes sive thomistae sive scotistae sive molinistae admittunt et est omnino necessarius ut Deus dicatur cooperari immediate cum creaturis. Utrum etiam detur concursus praevius postea dilucidandum est.

**1.190.** *d)* SECUNDA PARS est corollarium primae partis: si enim omnis actio et omnis effectus causae secundae eget immediato concursu Dei, nihil est in actione aut in effectu creaturae quod non sit etiam immediate a Deo secus aliquid contingens non penderet immediate a Deo.

*e)* Agimus de actione creaturae considerando illam modo generaliori ut exercitium causae efficientis in quo omnes scholastici conveniunt, praescindendo ab illa quaestione in quo consistat formaliter actio. Et quidem de actione creaturae sive principiative sive terminative ita ut non solum fieri rei et effectus sit a Deo, sed etiam agere in ipso agente consideratum seu agens qua agens a Deo immediate dependeat.

*f)* Concursus divinus nequit demostrari argumentis physicis vel empyricis seu ex experientia, quia in ordine experimentali res se habet ac si actio procederet ex sola creatura.

## 1.191. SENTENTIAE.

*Prima sententia* est eorum qui negant concursum immediatum Dei, unde actio immediate procedit a sola creatura. Tales sunt:

DURANDUS (181) pro quo concursus Dei immediatus est innecessarius siquidem creatura est causa completa et inde sufficit conferre creaturis et conservare virtutes activas, quibus deinde ipsae solae agere seu producere suas operationes et effectus valeant. Est etiam metaphysice impossibilis quia duae causae completae nequeunt producere unum effectum sive duplici sive a fortiori unica actione.

EDUARDUS IGLESIAS, S. J. (182), negat etiam concursum immediatum Dei ad operationes creaturarum quia innecessarius, impossibilis; S. Thomas solum admissit concursum mediatum. Et sic posito concursu Dei mediato, applicatio ad agendum fit efficienter a sola creatura, non a Deo efficienter et immediate. Tamen verissime a Deo etiam fit hoc sensu, quatenus actionem causae secundae in aliam ad finem dirigit. Haec explicatio tollit difficultatem in conci-

---

(181) In 2, d. 1, q. 5.

(182) *De Dei operatione naturae et voluntatis operante* (México, 1946). *La operación de Dios en la operación de la criatura:* CyF (año III, 1947), n.° 9 y10, p. 34 ss.; *El concurso divino en las acciones sobrenaturales:* CyF (año III, 1947), n. 11 y 12; *De Deo creationis finem exequente* (México, 1951).

lianda libertate humana cum concursu divino. Item bene providentia divina explicatur, nam Deus cognoscit per scientiam conditionalium quid unaquaeque creatura ageret in quibuslibet adiunctis et Deus seligit eas circumstantias in quibus praevidit illam determinatam actionem eventuram in ordine ad finem a se sapientissime electum; unde tum vires naturales, tum actio causae secundae procedunt a Deo et ordinantur ad finem ab Ipso electum.

Etiam numerari solent inter auctores, qui negant concursum immediatum. NICOLAUS TRIVET, O. P.; PETRUS IOANNES OLIVI, MANYA (183), PAPAGNI...

**1.192.** *Secunda sententia* est eorum, qui sustinent concursum immediatum. Sic S. THOMAS: habitis enim prae oculis rationibus, quas afferunt STUFFLER et IGLESIAS censemus cum fere unanime consensu recentiorum S. THOMAM admittere certo concursum immediatum.

SCHOLASTICI COMMUNITER sive MOLINISTAE sive BANNEZIANI sive SCOTISTAE concursum immediatum acerrime defendunt. Culpa Scoti esse deceptos, ut ait Iglesias, possibile est, sed mirum. Unde iuxta ipsos agere et fieri et ipsa res facta a Deo efficienter et immediate pendent et generatim ita rem explicant ut concursus immediatus sit actio distincta ab actione conservativa et Deus toties addat illam actionem quoties creatura operatur.

P. IOANNES STUFFLER ait S. THOMAM negavisse omnem concursum immediatum. Quid ipse Stuffler sustinet? Auctores non sunt concordes in hac re: alii affirmant Stuffler certo negavisse concursum immediatum; alii vero putant verbis sustinuisse solum mediatum, re autem immediatum cum aliqua peculiari explicatione. Plane enim profitetur esse et agere et effectum causae secundae pendere ab immediato influxu Dei. Tamen ad hoc sufficit ut influxus conservativus Dei continuetur durante ipsa operatione causae secundae sine novo influxu ex parte Dei realiter distincto ab illo (184).

P. PALMIERI (185) ante Stuffler sic explicabat concursum immediatum. «Sicut enim concursus mediatus virtutem creatam efficacitate sua sustentat, ita cum causa creata se determinat, ope eiusdem concursus se determinat, qui proinde concursus eo ipso immediatus evadit, principium exsistens actus sive effectus eiusdem causae.»

In hac ergo explicatione, concursus mediatus esset influxus productivus et conservativus Dei quatenus potentiis dat et conservat esse; concursus immediatus in actu primo esset idem concursus mediatus quatenus paratus est ad concurrendum seu ad dandum potentiae agere in actu secundo; concursus immediatus in actu secundo esset idem concursus mediatus quatenus daret creaturae agere in actu. Sic potentia creata conservatur a Deo antequam operetur, nec potest operari nisi quatenus conservata a Deo, immo cum operatur et dum operatur virtus creata eget immediata conservatione Dei et eo ipso operari creaturae immediate a Deo pendet.

---

(183) *Theologumena, De Deo cooperante* (Dertosae, 1946).
(184) *Divi Th. Aquinatis doctrina de Deo operante* (Oenіponte, 1923); *Nouv. Rev. Theolog.* (1924), 121.
(185) *Inst. philosophiae*, t. II, p. 242.

**CENSURA.**

Est certa et communis quoad rem, quoad necessitatem absolutam omnem activitatem creatam a Deo efficienter et immediate procedere.

**PROBATUR.**

**1.193. 1.ª Pars.** I. *(Ex omniperfectione Dei.)*

Omniperfectio Dei postulat summum dominium supra omnes res et summam dependentiam creaturarum a Deo. Atqui concursus Dei immediatus fert secum maius dominium supra res ex parte Dei et maiorem dependentiam ex parte creaturae. Ergo concursus immediatus Deo asserendus est.

*Maior.* Dominium supra aliquam rem est aliqua perfectio; summum vero dominium summa perfectio, quae in omniperfecto adesse debet.

*Minor.* Plus dicit ens cum actu agit quam ens cum actu non agit; et plus dicit ipsum operari quam esse simpliciter, quia plus est actualitatis in actu secundo quam in facultate agendi. Ergo si interventus Dei attingit immediate etiam hoc augmentum actualitatis, dominium est maius et dependentia creaturarum a Deo etiam est maior, siquidem causae secundae non solum pendent a Deo quatenus sunt entia, sed etiam quatenus sunt entia agentia.

**1.194.** II. *(Ex contingentia rerum.)*

Omnis actio causae secundae et omne fieri suorum effectuum est ens participatum seu contingens. Atqui omne ens participatum et contingens eget immediato influxu efficienti et physico Dei ut exsistat in quolibet instanti. Ergo omnis actio causae secundae et omne fieri suorum effectuum eget immediato influxu Dei ut exsistat.

*Maior.* Constat ex Ontologia. Actio enim sive principiative sive terminative est aliquid reale positivum, ens participatum et contingens in creaturis.

*Minor.* Ut diximus in thesi de conservatione, omne ens contingens ex suis constitutivis est nihil in singulis momentis in ordine ad exsistentiam propriam. Inde eget influxu immediato Dei ut exsistat et influxu Dei *saltem mediato* ut operari possit.

Immo etiam immediate debet concurrere Deus ad omnem actionem et activitatem creaturae. Nam ille influxus *immediatus qua immediatus*, agere immediatum creaturae, actio creata, est aliquid positivum et inde ens. Tunc quaero: Illud provenit vel a sola creatura vel etiam a Deo.

1) Si qua immediatus est aliquod ens et provenit a sola creatura tunc habebit rationem sufficientem adaequatam immediatam in sola creatura contingente. Hoc autem repugnat quia res contingens v. c. Petrus in instanti A in quo operatur et dum operatur actum amoris, cum non habeat rationem sufficientem adaequatam ad suam exsistentiam, a fortiori nequit habere rationem sufficientem adaequatam ad operandum, quod supponit existentiam: agere sequitur esse unde operatio nequit habere illam independentiam qua neque esse rei gaudet.

2) Si immediate provenit etiam a Deo, tum Deus concurrit efficienter, physice et immediate ad omnes et singulas operationes creaturarum.

**1.195.** III. *(Ex omnipotentia divina.)*

Deus potest impedire quamlibet actionem et effectum creaturarum eas non destruendo nec opponendo earum actionibus actionem contrariam. Atqui hoc est impossibile nisi Deus concurrat physice et immediate ad omnes et singulas operationes creaturarum. Ergo Deus concurrit physice et immediate ad omnes et singulas operationes creaturarum.

*Maior.* Deus potest facere quidquid non implicat contradictionem. Iam vero non apparet ulla repugnantia in eo quod potentia operandi non operetur etiam praesentibus omnibus praerrequisitis. Item destruere causas vel opponere actionem contrariam actionibus earum, hoc etiam possunt facere entia creata.

*Minor.* Nam hoc fieri possit vel destruendo causas secundas, praerrequisita, obiecta...; vel per substractionem concursus. Atqui non primo modo, ex hypothesi. Ergo per substractionem concursus physici et immediati.

**1.196.** IV. *(Ex eo quod agentia creata sint incompleta).*

Omne ens sive necessarium sive liberum, quod est tantum in potentia ad operandum est agens incompletum et cum actu operatur suis actibus perficitur. Atqui causa adaequate sufficiens huius transitus et novae perfectionis non est ipsum agens incompletum creatum, potens agere et actu non agens. Ergo requiritur alia causa, quae non est nisi Deus physice et immediate concurrens.

*Maior.* Est evidens, nam actus secundus perfectior est quam actus primus: actu intelligens excedit in perfectione subiectum tantum in potentia intelligens, saltem sub ratione actualitatis.

*Minor.* Subiectum creatum solum cum concursu mediato est solum potens agere, unde si contineret illam perfectionem virtualiter adaequate, contineret etiam in actu formali sive eminenter sive formaliter et tum non esset in potentia, sed esset iam in actu.

*Consequens.* Quod illa causa non possit esse nisi Deus, patet, nam debet esse aliqua causa efficiens et physica, quae semper sit in actu.

**1.197.** V. *(Probatur concursus in actu 1.º).*

Deus in tempore concurrit immediate in actu 2.º ad omnes et singulas operationes creaturarum. Atqui quod Deus facit in tempore, ab aeterno decrevit facere. Ergo cxsistit ab aeterno decretum Dei (concursus in actu 1.º) concurrendi in tempore opportuno ad omnes et singulas operationes creaturarum.

*Maior.* Constat ex argumentis praecedentibus.

*Minor.* Patet ex absoluta immutabilitate Dei.

*Consequens.* Si concursus in actu 2.º cst virtus divina actu operans, concursus in actu 1.º erit eadem virtus parata ad concurrendum.

**1.198.** **2.ª Pars.** ACTIO EST UNA ET EADEM NUMERO.

Deus immediate concurrit ad omnes et singulas operationes et effectus causarum secundarum. Atqui non sic si aliquid actionis et effectus causae secundae non procederet a Deo. Ergo actio creaturae (et effectus) tota quanta procedit a Deo et a creatura.

*Maior.* Probata manet in prima parte.

*Minor.* *a)* Si in actione creaturae (sive principiative sive terminative) et in eius effectu aliquid assignari posset, quod non procederet totaliter a Deo

haberemus aliquod ens participatum et contingens productum a sola causa creata sine immediato concursu Dei, quod repugnat.

*b)* Si in actione et in effectu creaturae aliquid assignari possit, quod non procederet a creatura sed a solo Deo, creatura non ageret et essemus extra suppositum vel in Occasionalismum alibi refutatum incideremus.

*c)* Ergo non datur nec prioritas temporis nec naturae inter actionem Dei et actionem creaturae, quia est unica actio. Datur vero prioritas dignitatis et influxus cum Deus tangat ens contingens qua tale, creatura vero tale ens; et prioritas necessitatis cum Deus possit operari solus, creatura vero nullatenus valeat sola agere.

**1.199. SCHOLIUM I. De actione creaturae operantis et Dei cooperantis.**

Si consideratur actio modo generaliori ut est exercitium causae efficientis, praescindendo a quaestione in quo formaliter consistat, omnes in re capitali conveniunt, nempe in eo quod formale fieri effectus totum a Deo et simul totum a creatura indivisibiliter procedat. Cum vero ad determinationes descenditur, hinc inde difficultates exsurgunt emanantes praesertim ex diversis sententiis circa naturam actionis.

**1.200.** Thomistae generatim actionem non in passo sed in ipso agente collocant, quod modificat et perfecit. Pro ipsis *a)* actio Dei ad extra identificatur cum ipso Deo, siquidem non est nisi intellectio et volitio divina, unde est formaliter immanens et virtualiter transiens. Deus enim non habet ullam actionem formaliter transeuntem. *b)* Inde actio Dei cooperantis aeterna et actio creaturae operantis temporanea non potest esse eadem, quamvis communis effectus ex utraque procedat. *c)* Actio quidem creaturae procedit etiam a Deo, sed respectu ipsius non habet rationem actionis, sed rationem effectus. Unde pro his dantur duae actiones.

**1.201.** Praedeterministae in facto operationis creaturae cum cooperatione divina distinguunt:

*a)* Actionem divinam praeviam cuius effectus sit actio creaturae realiter distincta ab illa; *b)* Actionem creaturae operantis effectum, quae actio respectu Dei non habet rationem actionis, sed rationem effectus; *c)* Actionem simultaneam Dei cooperantis cum creatura effectum quae actio qua simultanea, est iuxta aliquos identificata cum actione creaturae; iuxta alios est realiter distincta ab actione creaturae. Unde potius erunt tres actiones.

**1.202.** Nos actionem, quae in fieri effectus consistit, ponimus in passo a quo differt iuxta aliquos cum Suárez modaliter; iuxta plures non nisi ratione sicque est terminus quatenus dicens relationem actualis dependentiae ab agente. Alii ex his considerant actionem in agente et in passo et dicunt in passo esse sive modum sive meram relationem effectus ad causam; in agente esse ipsum agens quatenus agit etsi nihil qua tale recipiat et quamvis physice non distinguatur a se ipso non-agente.

Iam vero si effectus unus est, etiam actio una erit. Inde actio creaturae identificatur, non cum virtute divina, cum actu Dei volendi seu cum actione Dei interna et immanenti, quae est principium actionis exterioris; sed identificatur cum actione Dei externa et transeunte, qua effectus formaliter emanat a Deo. Et vere. Nam: Actio non est nisi produci rei et est in re facta (aedificatio in aedificato). Atqui produci rei unum est. Ergo etiam actio una erit.

*a)* Actio est fieri termini, non est in agente sed in passo ut probatum est in Ontologia. Ergo Deus nequit ponere praevie in agente actionem qua agens operetur aliud. *b)* Si actio praevia daretur redundaret alia actio simultanea ex parte Dei i. e. eadem actio praevia in agente posita terminaretur immediate in effectum et Deus esset causa immediata effectus. Quare? Sicut enim una actio medians inter causam et effectum non reddit causam mediatam, sic nec duplex actio medians reddit causam mediatam aut influxum eius mediatum. *c)* Actio creaturae est vera actio respectu Dei, non solum effectus ut volunt thomistae, quia talis actio non est aliquid quod a Deo intendatur in se ut terminus in quo quiescat activitas divina, sed est via qua Deus attin-

git unum effectum communem utrique causae et qua effectus formaliter emanat a Deo. *d)* In sententia thomistica tolleretur libertas ut videbimus postea.

**1.203. SCHOLIUM II. De natura immediationis in concursu.** (186).

1. In genere.

a) *Agere immediate immediatione suppositi* (nullum suppositum datur post illud) datur cum inter suppositum agens v. c. A et actionem et effectum non mediat aliud suppositum in quo recipiatur virtus illius primi agentis. Unde virtus agentis immediate tangit effectum. Si vero inter suppositum agens A et actionem et effectum mediat aliud suppositum B in quo recipiatur virtus illius primi agentis, tum suppositum A agit in effectum mediatione alius suppositi; et virtus suppositi A non attingit immediate effectum.

*Exempla:* Cum Petrus ex se solo movet lapidem, inter Petrum agentem et motum lapidis non mediat aliud suppositum in quó recipiatur virtus Petri. Cum ignis calefacit ex se solo aërem sibi contiguum, inter ignem calefacientem et calefactionem aëris sibi contigui non mediat aliud suppositum in quo recipiatur virtus ignis. Cum Petrus movet baculo lapidem, inter Petrum agentem et motum lapidis mediat aliud suppositum, baculus, in quo recipitur virtus Petri.

b) *Agere immediate immediatione virtutis.*

*Vulgariter:* (nulla virtus datur post eam) datur cum virtus suppositi agentis non recipitur in alio supposito, sed attingit immediate effectum, quamvis talis virtus sit communicata ab alio.

*Sensu philosophico scholastico:* (nulla virtus praesupponit ante eam), datur cum suppositum agens iungitur effectui per suam virtutem propriam non communicatam ab alio in suo ordine, inde non eget sive absolute, sive saltem in suo ordine, virtute alius suppositi ad talem coniunctionem.

*Exempla:* Cum Petrus movet baculo lapidem, hanc movet solum immediatione virtutis, quia hic et nunc quatenus agens a nullo intra ordinem causae secundae accipit virtutem; non vero immediatione suppositi quia inter Petrum et lapidem mediat baculus. Baculus vero movet lapidem immediatione suppositi ut patet; non vero immediatione virtutis, quia agit per virtutem acceptam a Petro.

N. B. Nulla creatura in rigore potest aliam movere vel in aliam agere immediatione virtutis, siquidem omnem suam virtutem a Deo communicatam habet. Ideo cum dicitur creaturam agere immediatione virtutis intelligitur, virtutis non ab alio intra suum ordinem seu a nulla creatura communicatae.

**1.204.** 2. *Applicatio ad Deum iuxta praedictam terminologiam.*

*In concursu mediato* Deus concurrit ad operationem causae secundae semper mediatione suppositi et, ut diximus, immediatione virtutis. Tamen sub alio sensu virtus Dei in hoc casu attingit immediate solum causam secundam, non vero eius actionem et effectum.

*In concursu immediato praevio* quatenus est applicatio causac secundae ad agendum, Deus agit mediatione suppositi, quia inter suppositum divinum et agere creaturae et effectum mediat unum aut plura agentia creata; semper vero immediatione virtutis. Sed sub alio sensu virtus divina in hoc casu attingit immediate proprie causam secundam, non vero eius actionem et effectum.

*In concursu immediato simultaneo* Deus agit semper immediatione virtutis et etiam immediatione suppositi, cuius virtus non recipitur in alio supposito, sed immediate attingit actionem et effectum causae secundae.

*TANDEM—hoc bene notandum est*—Deus agit semper immediatione suppositi eo quod suppositum divinum est per suam immensitatem immediate praesens omni agenti; et immediatione virtutis; tum quia a nullo illam habet communicatam; tum quia operatur per suam omnipotentiam, non aliqua virtute diffusa per medium; tum quia virtus divina non distinguitur a supposito divino.

(186) S. Th., I. lib. I sent. dist. 12, q. 1, a. 3 ad 4; 3 CG, c. 70.—Gisquière, *Prael. Theod.*, 2, p. 243.

**1.205. SCHOLIUM III. De causa principali et instrumentali.** (187).

*Causa principalis* est illa quae ita est proportionata effectui producendo ut non egeat elevari a causa altiori. Effectus enim in casu est aut aequalis aut inferioris perfectionis.

*Proportionata* non significat quod eo ipso sit sufficiens ad effectum producendum. Sic v. c. pictor est causa proportionata ad pingendam imaginem, tamen est insufficiens ex se solo, quia semper eget concursu causae primae, aliquibus instrumentis et potest egere etiam influxu alius concausae principalis.

**1.206.** *Causa instrumentalis:*

*a)* Instrumentum *late* et improprie diversimode potest intelligi:

1) *Causa dependens* ab alia: Sic causae secundae dependentes et subordinatae Deo, qui est causa principalis. 2) *Principium quo agendi.* Sic natura humana, pedes, oculi, manus..., sunt instrumenta relate ad suppositum humanum, quod est causa principalis. 3) *Causa vicaria* vices gerens alterius in operando. Sic sacerdos vices gerit Christi, causae principalis in conferenda gratia.

b) *Causa instrumentalis stricto sensu* est illa quae ita est essentialiter improportionata ad effectum producendum ut egeat elevari a causa superiori. Effectus enim in casu est superior forma naturali causae; est ultra mensuram perfectionis et actionis causae. Sic penicillus ex se solo non potest producere imaginem pingendam nisi elevetur.

**1.207.** His positis iuxta nostram sententiam:

*a)* Instrumentum habet virtutem propriam seu instrumentalem, qua vere agit et secundum quam non elevatur. Secus non esset vera causa seu verum principium per se influens esse in aliud. «Securi competit scindere ratione suae acuitatis». S. Th. III, q. 62. a. 1 ad 2.

*b)* Instrumentum potest disponere materiam, sed eius causalitas non ad hoc solum est limitanda; sed potest attingere immediate effectum causae principalis. Sic penicillus attingit immediate imaginem pingendam.

*c)* Motio recepta in ipso instrumento non requiritur ad eius applicationem. Sic phantasma nihil recipit in se ut evadat instrumentum in productione speciei intelligibilis impresae. Immota serra, moveatur lignum, et serra scindit lignum, quod non est instrumentum.

*d)* Motio intrinsece in instrumento recepta praevia ad actionem causae secundae gratis fingitur; sufficit motio extrinseca instrumenti, intrinseca actioni et simultanea cum ipsa, per quam iam elevatur instrumentum.

e) *Causae secundae: comparantur ad Deum ut causa instrumentalis et principalis.* Nam: Omnis causa secunda est inadaequata, dependens et subordinata Deo, qui complet illam sub illa duplici ratione. Deus et causa secunda efficiunt unam numero actionem et effectum sub duplici respectu; sic causae principales et instrumentales unica actione unum effectum sub duplici respectu producunt.

*Nihilominus* causae secundae non sunt vere instrumenta causae primae: Causa secunda operatur virtute propria seu cum natura accepta; eius effectus non est superior ipsa causa; saepe potest operari libere ex propria determinatione; in actione causae primae cum causa secunda tota actio et totus effectus pendent a creatura et a Deo.

Instrumentum. in quantum elevatum, non operatur virtute propria, sed virtute causae principalis; effectus eius est superior essentialiter quam instrumentum; ordinario non operatur libere, sed ex determinatione causae principalis; in actione causae principalis cum causa instrumentali totus effectus non potest attribui utrique causae; sic actio secandi ligna, quae est una materialiter, quatenus secatio venit a serra, quatenus motio ab homine.

**1.208.** Pro scotistis: *Causa principalis* est illa quae attingit immediate effectum praecipue intentum. V. c.: pictor relate ad ipsam imaginem pingendam. *Causa instrumentalis* est illa quae disponit et praeparat materiam ad effectum praecipue intentum a causa principali. Unde ipsa non attingit effectum principalem sibi improportionatum, sed dispositive concurrit ad illum.

---

(187) Urráburu, *Ontologia*, p. 1.118; *Theol.*, 2, p. 764.—Mz. del Campo, *Theol. Nat.*, p. 373.—Cuesta, *Ontologia* p. 424.—Gisquière, *Prael. Theod.*, 2, p. 250.

Sic penicillus disponit materiam relinquendo colores in ipsa tabula ad veram imaginem effor-mandam.

**1.209.** Pro thomistis: *Causa principalis* est illa quae virtute propria influit in effectum; inde ad agendum non eget motione alterius. *Causa instrumentalis* est illa quae virtute aliena i. e. causae principalis effectum producit; inde solum agit ut mota a virtute aliena i. e. a virtute causae principalis a qua recipit in se virtutem superiorem et sic elevatur ad effectum sibi superiorem attingendum.

Tandem iuxta omnes: Deus non solum concurrit efficienter cum causis secundis efficientibus; sed etiam cum aliis causis, at solum tamquam causa efficiens: cum causa materiali et formali dando illis esse et concurrendo efficienter ad earum unionem; etiam cum causa finali, quatenus Deus est causa efficiens boni et appetibilitatis illius, quod est finis.

## 1.210. OBIECTIONES.

1. Ad agendum sufficit activa virtus. Atqui creatura habet virtutem activam. Ergo ipsa sola sufficit ad agendum.

Resp. Dist. mai. In ente primo C.; in ente participato Subd. sufficit absolute N.; in proprio ordine causae secundae Subd. semper N.; aliquando C.

Explicatio: Causa secunda principalis dicitur totalis et completa in suo ordine per comparationem tum ad causam instrumentalem, tum ad causas secundas partiales.

Sed in altiori ordine seu simpliciter est incompleta cum sit potens agere et actu non agens, agens per actum a se diversum, transiens de potentia ad actum.

Hinc omnis causa creata, etiam quando in suo ordine causae secundae est completissima eo quod habeat virtutem convenientem et omnia praerrequisita ad operandum ex parte creaturarum, adhuc debet dici essentialiter incompleta, quia adhuc indiget concursu Dei oblato ut possit operari et concursu dato ut actu operetur.

Atqui sufficit absolute. Ergo...

2. Creatura similis est Deo in quantum est actu et agit actu. Atqui si virtus agendi non sufficeret secunda similitudo periret. Ergo creatura sufficit absolute ad agendum.

Resp. Dist. mai. Est similis et simul dissimilis in quantum non est ipsum agere nec ipsum esse C.; est Deo perfecte similis N.

Atqui Ipsum agere dat posse agere absolute sufficiens creaturis. Ergo...

3. Qui dat naturam dat consequentia naturam. Atqui virtus sufficiens activa sequitur naturam. Ergo virtus sufficiens communicatur creaturis ab auctore naturae.

Res. Conc. mai.

Disting. min. Ita ut etiam si sit sufficiens in linea propriae causae secundae, tamen cum dependentia ab ente necessario C. Sufficiens absolute et cum independentia ab ente necessario N.

Atqui sufficiens absolute. Ergo...

4. Virtus est proportionata perfectioni causae. Atqui perfectio causae creatae saepe est aequalis aut altioris perfectionis quam effectus producendus. Ergo virtus creata est absolute sufficiens.

Resp. Conc. mai.

Disting. min. Proportionata, complete sufficiens et independens N.

Etsi sit proportionata et completa in suo ordine, semper tamen insufficiens C.

Disting. pariter cons.

Explicatio: Unde causae secundae sive sint proportionatae (inde agunt virtute propria) et completae in suo ordine relate ad effectum; sive sint proportionatae (agunt enim virtute propria) sed incompletae relate ad totum effectum, absolute loquendo semper sunt causae inadaequatae (nulla datur causa absolute adaequata nisi Deus) et semper sunt subordinatae et dependentes essentialiter a causa prima. Unde concursus divinus complet illas sub illa duplici ratione Aliud est aliquid esse effectui proportionatum, et aliud aliquid esse sufficiens ad effectum

producendum. Sic homo est causa proportionata ad litteram scribendam in tabula, quamquam non est causa sufficiens cum ad hoc indigeat instrumento et concursu causae primae.

Atqui virtus causae creatae semper est completa et independens. Ergo...

5. Causa quae non potest operari ullo modo sine influxu alterius est instrumentalis non principalis. Atqui creaturae sunt causae principales respectu suorum effectuum. Ergo possunt agere sine influxu alterius.

Resp. Dist. Mai... sine influxu alterius eiusdem ordinis C.; superioris ordinis subd. est proprie instrumentalis N.; improprie C.

Explicatio: Causae secundae sunt instrumentum Dei late sumptum quatenus sunt causae dependentes; non vero stricte instrumentum cum producant effectum sibi proportionatum et per virtutem propriam.

Atqui causae secundae essent proprie instrumentales. Ergo...

6. Deus ageret mediis causis secundis. Atqui medium in casu haberet rationem instrumenti. Ergo causae secundae essent proprie causae instrumentales.

Resp. Dist. mai. Deus ageret simul cum causis secundis C.; mediantibus causis secundis i. e. mediate N.

Atqui Deus non potest agere simul cum causis secundis. Ergo...

7. Causalitas et necessitas concurrendi duorum arguit insufficientiam utriusque. Atqui hoc saltem de Deo dici nequit. Ergo Deus et creatura non possunt simul operari.

Resp. Dist. mai. Si sunt eiusdem ordinis C.; si sunt diversi ordinis ita ut una sit alteri subordinata N. Necessitas in casu solum est ex parte creaturae.

Atqui si simul operarentur sufficeret concursus Dei. Ergo...

8. Si Deus simul et immediate concurreret cum creatura, operatio Dei sufficeret et esset superflua operatio creaturae. Atqui operatio creaturae non est superflua. Ergo Deus non concurrit simul et immediate cum creaturis.

Resp. Dist. mai. In ordine agentis universalis et causae primae C.; in omni ordine subd. absolute Trans. (non de actibus vitalibus); supposito quod Deus communicavit de facto activitatem causis N.

Explicatio: Causa prima est in omni ordine totalis, plenissima et sufficientissima. Ipsa sola potest totum effectum producere. Tamen cum agit cum causis secundis, effectum producit sub ratione universali entis, causa vero secunda illum producit sub ratione talis entis.

Cave ne hic modus loquendi te inducat in errorem dividendi effectum contra thesim. In re enim concreta non datur aliquid, quod sit ens et aliud quod sit ens determinatum, sed a parte rei duae istae rationes identificantur. Unde effectus quoad totam suam realitatem ab utraque causa procedit: quatenus ens producitur a Deo et a creatura, quatenus ens determinatum producitur a creatura et a Deo. Unde praedictus modus loquendi hoc sibi vult, quod Deus, utpote causa prima et universalissima, potest producere omne ens, omne contingens in omni campo realitatis; creatura vero solummodo potest producere tale ens, tale contingens intra sphaeram sui ordinis.

Audiamus Aegidium Romanum, *(De ente et essentia quaest. 5)*. «Concedimus eamdem rem esse causatam a Deo et a natura; sed non eodem modo: ut si Deus, mediante igne, causat ignem, ignis causatus, ut est ignis, est ab igne; ut est ens, est a Deo. Ignis ergo causat ignem et ens; et Deus causat ens et ignem. Sed ignis causat ens quia causat ignem; Deus autem e converso causat ignem quia causat ens... Ignis enim est et ens in igne non est nisi ignis; et ideo si ignis causat ignem, causat ens; et si Deus causat ens in tali materia, causat ignem». (Cfr. etiam S. Th. *De pot.* q. 1, a. 4 ad 3; q. 3, a. 7 ad 16; 3, CG, c. 66).

Atqui Deus et creatura simul non possunt operari. Ergo...

9. Quia operarentur una eademque actione. Atqui hoc est impossibile. Ergo non possunt simul operari.

Resp. Nego minorem.

Explicatio: Revera difficulter intelligimus vel potius imaginamur quomodo possit una actio vel realitas procedere a duabus causis quin partim sit ab una partim ab altera.

10. Una eademque actio nequit esse simul a duobus agentibus. Atqui Deus et creatura sunt duo agentia. Ergo non possunt agere una eademque actione.

Resp. Dist. mai. A duobus agentibus simpliciter completis eiusdem ordinis C.; vel Tr.; diversi ordinis et cum subordinatione unius ad aliud N. Deus est causa simpliciter completa et attingit effectum quatenus ens, quatenus contingens; creatura quatenus tale ens tale contingens; creatura est simpliciter incompleta, quamvis sit completa in suo ordine.

Explicatio: *a)* Controvertitur utrum duae causae secundae totales possint producere necne unum effectum; et si possint utrum duae coordinatae an saltem subordinatae, utrum naturaliter an supernaturaliter. *b)* Causa secunda principalis composita per unam actionem producit unum effectum compositum, adestque unitas naturae v. c. organum animatum producit sensationem. *c)* Duae causae secundae partiales per duplicem actionem partialem producunt duplicem effectum partialem v. c. Petrus scribens primam partem libri et Paulus secundam; vel unum effectum resultantem v. c. duo trahentes currum. (Cfr. M. del Campo, p. 368). *d)* In nostro casu Deus et creatura sunt causae diversi ordinis et cum subordinatione causae secundae Primae.

Atqui una eademque actio nequit esse simul a duobus agentibus etiam diversi ordinis. Ergo...

11. Ubi non est eadem virtus operandi ibi neque est eadem actio. Atqui Deus et creatura non habent eamdem virtutem. Ergo actio Dei et creaturae non est una eademque.

Resp. Dist. mai. Si causae non sunt invicem subordinatae C.; secus Subd. si actio consideratur principiative C.; si terminative Subd. ibi non est eadem actio materialiter spectata N.; formaliter i. e. non attingitur sub eadem formalitate ab utraque virtute C.

Atqui nec terminative actio est una sub diversa formalitate. Ergo...

12. Taleitas, quae produci dicitur a creatura est etiam ens. Si producitur a solo Deo evanescit causalitas causae secundae. Si a sola creatura, quoad hanc taleitatem, evanescit concursus immediatus. Si a Deo et a creatura reddit quaestio: taleitas prout facta a creatura, fit a Deo, a creatura, ab utroque? et sic in infinitum. Ergo nec terminative actio est una sub diversa formalitate.

Resp. Taleitas est ens ut quo, merus respectus, non est ens ut quod. Procedit a sola creatura, —et in hoc stat notio concursus immediati—, quae notio non perit, cum nihil ponatur sine Deo; sed unus effectus, sub respectu entis a Deo ponitur, sub respectu talis entis fit a creatura.

Atqui non potest esse una eademque actio. Ergo...

13. Illa actio esset simul creata et increata. Atqui hoc repugnat. Ergo actio Dei et creaturae nec terminative est una.

Resp. Dist. mai. Principiative sumpta Tr.; terminative N.; esset solum actio creata.

Atqui illa actio terminative sumpta non potest esse una. Ergo...

14. Actiones specificantur a causis vel a principiis. Atqui principia sunt diversa. Ergo etiam actiones.

Resp. Dist. mai. Si sermo sit de causis penitus completis et adaequatis Tr.; si sermo sit de causis, quarum aliqua quantumvis in suo ordine completa, absolute seu simpliciter tamen incompleta est et essentialiter requirit aliquod complementum i. e. causae simpliciter completae N.

Atqui a Deo et a creatura non potest procedere una eademque actio. Ergo...

15. Tum Deus esset causa partialis. Atqui hoc admitti nequit. Ergo a Deo et a creatura non potest procedere una eademque actio.

Resp. Dist. mai. Partialitate actionis et effectus N.; partialitate causae Subd. in proprio ordine causae primae N.; in quantum vult adhibere causas secundas Subd.; et hoc provenit ex indigentia N.; provenit ex liberalitate ac dignatione C.

Explicatio: Deus et creatura sunt duae causae partiales eiusdem totalis actionis et effectus, non coordinatae aut ordinis eiusdem, sed diversi ordinis, quarum una essentialiter alteri subordinatur. Deus est completissimus simpliciter in ordine causae primae; creatura, quamvis sit completa in suo ordine, absolute loquendo semper est incompleta et inadaequata.

16. Una actio prodit unam potentiam, unam substantiam, sic una sensatio unum organum animatum. Ergo Deus et creatura forent unum suppositum.

Resp. Dist. Antec. Unitas actionis terminative et principiative unitatem prodit potentiae... C.; solius actionis terminative inspectae N.; quia infert vel coniunctionem

causae principalis et instrumentalis, vel causae primae cum secunda sibi subordinata, quae est instrumentum late dictum.

17. Actio creaturae dependet ab actione Dei. Atqui quod dependet ab alio distinguitur ab eo. Ergo actio creaturae debet esse distincta ab actione Dei.

Resp. Dist. maiorem..., a virtute Dei C.; ab actione Dei N.

Explicatio: Est una eademque actio et sic nulla datur dependentia. Tamen illa actio dependet a virtute divina.

18. Deus et creatura agunt eumdem effectum sub diversa ratione seu obiecto formali. Atqui diversa obiecta formalia inferunt diversas actiones. Ergo actio Dei et creaturae realiter distinguuntur.

Dist. mai. quae obiecta formalia se habent sicut magis universale et minus universale C.; sicut obiecta disparata N.

Contr. min. si illa obiecta sunt disparata C.; si se habent ut magis universale et minus universale N.

19. Actio Dei non distinguitur a Deo. Atqui actio creaturae distinguitur a Deo. Ergo actio Dei non est actio creaturae.

Resp. Dist. mai. Actio interna i. e. intellectio et volitio Dei C.; Actio ipsa externa, quae est emanatio creaturae a Deo et dependentia actualis creaturae a Deo N.

20. Actio est perfectio agentis. Atqui Deus non potest perfici a re distincta. Ergo actio Dei non distinguitur a Deo.

Resp. Dist. mai. Actio interna C.; actio externa N.

21 Quilibet effectus dependet essentialiter a Deo per se ipsum sine media actione. Atqui nullus effectus creatus dependet a creatura per se ipsum, sed media actione. Ergo actio haec non est eadem actio seu dependentia a Deo.

Resp. Dist. mai... dependentia radicali et essentiali C. (Actio enim principiative sumpta est ipse Deus). Dependentia actuali et relativa N.

Conc. min.

Dist. pariter consequens. Si creatura dependeret a creatore actualiter per se ipsam sine ulla actione modali C.; sed si dependet a Deo etiam dependentia actuali modali N.

22. Si Deus immediate concurrit in operationibus creaturarum tribuit aliquid per quod virtus naturalis fit sufficiens principium operationis. Atqui potuerit illud idem tribuere simul cum virtute naturali. Ergo non est necesse quod Deus ulterius concurrat in operationibus creaturarum.

Resp. Dist. mai. tribuit aliquid quod est transiens C.; aliquid quod est permanens N.

Contr. min. In ratione rei transeuntis, N.; in Ratione rei permanentis Subd. Si non daretur subordinatio et dependentia essentialis creaturae a Deo C.; si datur N.

## ARTICULUS IV

### De natura concursus

### De concursu physice praedeterminante natura sua infrustrabili

**THESIS 49. Concursus physice praedeterminans natura sua infrustrabilis reiciendus est.**

1.211. **Bibliographia.** SUÁREZ, DM 22, s. 2; *Opusc.* 1. *De concursu*, l. 1, 2, 3; *De Gratia*, l. 3, c. 29 ss.—JOAN. A S. THOMA, *Cursus phil.*, *Phys.*, q. 25, a. 2, 3.—BILLUART, *De Deo*, diss. 5, a. 7.—GOUDIN, *Philosophia iuxta inconcussa...*, p. 4, q. 4, a. 2-7.—GONZÁLEZ, Z., *Filosofía elemental* (ed. 6), l. 6; *Theod.*, a. 4, parag. II.—ZIGLIARA, *Summa Phil.*, v. 2 (ed. 10), p. 493 ss.—URRABURU, *Theod.*, 2, p. 781 ss.—LOINAZ, *Prael. e Theol. Nat.*, p. 388; *Suma Teológica de Santo Tomás* (BAC, 1947), ap. II, p. 979 ss.—GONZÁLEZ ÁLVAREZ, *Teología Natural*, p. 540.—HELLÍN, *Theol. Nat.*, p. 800.—RAOUL DE SCORRAILLE, *Francisco Suárez* (Barcelona, 1917), t. 1, p. 331-438.—ASTRAIN, *Historia de la Compañía de Jesús en España*, 4 (Madrid, 1913).—LANGE, *De gratia* (Frib. Brisg., 1929), p. 445 ss.—MZ. DEL CAMPO, *Theol. Nat.*, p. 377.

**1.212. Nexus.** Egimus in praecedentibus de facto seu de exsistentia concursus; nunc incipimus agere de natura talis concursus et imprimis reicitur concursus praevius praedeterminans natura sua infrustrabilis.

### 1.213. NOTIONES.

*Concursus physicus in genere* est influxus physicus Dei operantis cum causis secundis.

*Concursus physicus praevius* est influxus physicus Dei in creaturam praevie prioritate naturae non temporis relate ad motum agenti impressum seu ad eius actionem seu activitatem.

a) *Active* sumptus est ipsum agere divinum.

b) *Passive* sumptus est impulsio mobili data distincta quidem ab actione ad quam datur et quae vere causatur ab ipsa facultate creata a Deo mota.

Concursus praevius potest esse indifferens et praedeterminans.

*Concursus praevius praedeterminans indifferens* est influxus physicus Dei in causam secundam praevie ad eius actionem seu activitatem, cui creatura potest aut resistere aut consentire pro sua libertate.

CONCURSUS PRAEVIUS PRAEDETERMINANS NATURA SUA INFRUSTRABILIS est impulsus physicus Dei in causam secundam praevie ad eius actionem seu activitatem, cui creatura non potest resistere.

Hic concursus potest considerari in actu 1.° et in actu 2.°

*C. in actu 1.°* est decretum dandi praedeterminationem et quidem decretum aeternum et absolutum natura sua efficax et metaphysice connexum cum operatione creaturae quam decernit pro priori ad eius exercitium.

Explicatio. Iam facta est in thesi de scientia divina, n. 910.

**1.214.** *Concursus in actu 2.°* est ipsa PRAEDETERMINATIO PHYSICA quae sic definitur: *Influxus causae primae receptus immediate in causa secunda, non quidem per modum virtutis in actu 1.°, sed per modum applicationis atque ultimae determinationis ut ab actu 1.° transeat ad secundum* (188).

EXPLICATIO.—*Influxus:* est quaedam entitas accidentalis physica, quae est influxus non mere moralis (qui movet causam liberam aut per influxum moralem efficientem praeceptis, minis etc.; aut per influxum moralem finalem seu per propositionem obiecti amandi ab intellectu factam). Has enim motiones morales, cognitiones, affectiones... praecedentes actionem causae liberae et invitantes ad illam, omnes admittimus.

*Physicus,* qui movet voluntatem per mutationem physicam in ipso agente factam: pertinet tamen ad ordinem metaphysicum τοῦ esse et principiorum entis.

*Fluens,* non permanens, huic actui determinato inserviens, hoc cessante cessans.

*Causae primae* i. e. prodiens a solo Deo titulo absoluti dominii Dei et dependentiae essentialis creaturae a Deo.

*Receptus immediate in causa secunda:* receptus in potentia activa mere passive; causa enim secunda nihil facere potest ut sibi donetur, nec datum recusare licet. Unde recepta praedeterminatione repugnat metaphysice ut actus non ponatur.

*Non quidem per modum virtutis in actu 1.°.* Causa enim secunda antequam accipiat praedeterminationem iam est completa ratione virtutis. Proinde hic concursus est aliquid quod est necessarium ex parte Dei postquam omnia praerrequisita et omnes naturales et supernaturales conditiones applicatae sunt.

In hoc stadio creatura non operatur, sed est in potentia ad operandum, est iam potens agere; adhuc non eget ullo concursu ex parte Dei; omnia explicantur per creationem et conservationem.

*Sed per modum applicationis* atque ultimae determinationis. Munus enim praedeterminationis physicae est formalis applicatio potentiae ad agendum ex parte solius Dei; est determinare transitum causae secundae ad activitatem, transitum ex non agere ad agere, transitum de potentia seu de actu primo ad actum secundum (actio in agente = el mismo pasar de la potencia de no obrar a obrar).

In hoc stadio et solum in hoc collocanda est praedeterminatio. Unde hic influxus praedeterminationis valde distinguitur ab omnibus illis conditionibus, motionibus, praerrequisitis, quae praeparant causam secundam ad agendum, sed non determinant immediate transitum potentiae ad activitatem.

*Ut ab actu 1.° transeat ad secundum.* Praedeterminatio solet concipi ut quid medium inter actum primum et secundum. Re vera.

*Pertinet ad actum primum:* nam est aliquod praerrequisitum quod praecedit natura actionem; vel est verum principium et causa, quae determinat transitum causae secundae ad activitatem seu actionem. Iam vero totum hoc est aliquid praevium ad actum secundum.

Non pertinet ad actum primum ratione virtutis. Nec est aliqua conditio aut praerrequisitum ex iis, quae praecedunt tempore actionem.

*Non pertinet ad actum secundum:* nam ipsa activitas causae seu agere actu (el estar obrando en acto), ipsum fieri actus secundi (actio in passo) et effectus productus per actionem, iam praesupponunt exercitam praedeterminationem.

In hoc stadio totum explicatur per concursum simultaneum Dei et causae secundae.

Praedeterminatio est omnino necessaria ad operandum: nullus enim actus sive bonus sive

---

(188) BÁÑEZ, In I, q. 14, a. 13.—MANCINI, *Elem. Phil.*, 2, p. 424.—ÁLVAREZ, D., *De auxiliis*, l. 3, d. 18, n. 20; l. 8, d. 18, n. 18 ad 1.—GONET, *Clypeus Thom.*, *De Praedestinatione*, d. 6, n. 67.—GOUDIN, *o. c.*—BILLUART, *De Gratia*, diss. 4, a. 2.

malus fieri potest a causa secunda nisi Deus illam praedeterminat ad talem actum et quidem independenter omnino a causa secunda.

**1.215.** Causa necessaria est illa quae est determinata ad unum, unde positis omnibus praerrequisitis ad agendum necessario agit.

Causa libera est illa quae est immunis a necessitate interna, unde positis omnibus praerrequisitis ad agendum manet indifferens ad agendum vel non agendum ad agendum hoc vel illud.

**1.216.** *Voluntas* est facultas appetiva boni ab intellectu propositi.

*Involuntarium* est illud, quod a voluntate non procedit sive simpliciter sive saltem secundum quid.

*Voluntarium* est illud quod procedit a voluntate sive necessario sive libere, sive mediate sive mediante eius imperio praevia intellectuali cognitione.

**1.217.** Libertas eiusque divisiones. Cfr. thesim 42.

*Actus liber* est ille qui cum libertate ponitur: unde liber denominat actum positum a potentia libera qua tali.

*Actus deliberatus* est ille qui ponitur cum advertentia rationis ad obiectum non undequaque bonum praevia deliberatione (seu consideratione aut iudicio indifferenti) diversorum respectuum obiecti. Unde deliberatus denominat ipsum actum liberum cuius praerrequisitum necesarium est deliberatio seu iudicium obiective indifferens. Hinc quamvis libertas formaliter sit dos libertatis, radicaliter est in intellectu.

*Actus indeliberatus* est ille, qui quamvis ponatur cum advertentia rationis, una vel alia causa sine deliberatione seu consideratione obiecti ponitur.

**1.218.** Peccatum est transgressio legis divinae.

a) *Peccatum materiale* est transgressio legis divinae indeliberata et involuntaria. Cum non datur advertentia ad regulam morum. b) *Peccatum formale* est transgresio legis divinae voluntaria et deliberata. Cum datur advertentia ad regulam morum.

In peccato formali distinguenda sunt:

a) *Materiale peccati* est entitas physica peccati formalis.

b) *Formale peccati:* est malitia specifica peccati; seu est actus peccati qua peccatum est.

*Peccatum commissionis* est quod committitur positione actus prohibiti v. c. cum quis dicit blasphemiam. *Peccatum omissionis* est quod committitur omissione actus praecepti v. c. qui omissit audire sacrum die dominica.

*Pura omissio*, si datur, non requirit concursum, unde est extra quaestionem.

## 1.219. STATUS QUAESTIONIS.

1. *Iam probavimus* in thesi praecedenti factum seu exsistentiam concursus Dei physici et immediati tum in actu 2.º tum etiam in actu 1.º ad omnes et singulas operationes creaturarum.

2. Omnes tum thomistae tum scotistae tum Molinistae admittunt illum concursum esse simultaneum cum operatione creaturae.

Sed magna exsurgit difficultas pro omnibus in eius explicatione, nam duae causae operantur simul. Unde aut Deus determinat creaturam et perit libertas creata et sanctitas Dei. Aut creatura determinat Deum et tum perit dominium et independentia Dei. Aut agunt ex conventione et tunc creatura faciet multa sine ulla cooperatione divina: ut conceptionem pacti, deliberationem, reiectionem aut acceptationem...; aut casualiter coincidunt, et hoc respectu Dei est omnino impossibile.

**1.220.** 3. Hic quaeritur hoc: praeter illum concursum simultaneum admittendus est etiam concursus praevius praedeterminans natura sua infrustrabilis ad omnes et singulas operationes creaturarum in ordine mere naturali?

Nos reicimus talem concursum praedeterminantem natura sua infrustrabilem.

4. *In prima parte* agimus de causis necessariis. Et pro illis asserimus praedeterminationem physicam infrustrabilem natura sua, non quidem repugnare, sed omnino inutilem esse sive sit possibilis sive non.

*In secunda parte* agimus de causis liberis et dicimus praedeterminationem physicam natura sua infrustrabilem esse tum inutilem tum nocivam libertati.

*In tertia parte* agimus de causis liberis et de concursu ad peccatum et dicimus praedictam praedeterminationem esse contra sanctitatem Dei.

## 1.221. SENTENTIAE.

1.ª Primi scholastici necnon ipsi antiqui thomistae, ut Caietanus et Ferrariensis (Franciscus de Sylvestris), videntur eam penitus ignorasse.

**1.222.** 2.ª Bartholomaeus Medina, Báñez, Didacus Álvarez, Ledesma... proponebant saeculo xvi doctrinam de praedeterminatione et paulatim evasit doctrina communiter recepta in schola dominicana, ut sola genuina S. Thomae (189).

Banneziani in solutione problematis:

1. *Prae oculis habent* in tuto collocare summum dominium Dei, summam dependentiam creaturarum a Deo et principia metaphysica inconcussa, quae nullam prorsus pati valent exceptionem. Iam vero totum illud exigit concursum praevium praedeterminantem ad omnes et singulas operationes creaturarum sive necessarias sive liberas tum bonas tum malas.

**1.223.** 2. Unde si aliquis conflictus oriatur inter dominium Dei et libertatem humanam potius esse corrigendam notionem, quam habemus libertatis nostrae quam deprimendum dominium Dei absolutum.

3. a) *Libertas in genere*. Pro thomistis est indifferentia dominatrix voluntatis erga obiectum ab intellectu propositum ut non undequaque bonum. Unde essentia libertatis ut sic non consistit proprie in indifferentia potentiali ad agendum vel non agendum, sed in habitudine

---

(189) Iuxta H. Schwamm doctrina praedestinationis physicae primo a scotistis adumbrata et a thomistis ante Báñez impugnata est.

non-necessaria voluntatis ad aliquod obiectum bonum particulare, ut tale ab intellectu voluntati propositum.

b) *Libertas humana in potentia.*

Voluntas humana iam completa ratione virtutis, cum adhuc non vult, gaudet hac libertate in potentia: potest subiective velle et non velle, velle hoc aut illud, siquidem non necessario trahitur ab ullo bono particulari. Tamen haec libertas in potentia est imperfecta, nam voluntas humana quamvis sit completa ratione virtutis, non habet capacitatem se determinandi ad actum sine praedeterminatione physica.

c) *Exercitium libertatis humanae.*

Voluntas humana ut transeat hic et nunc ad activitatem, de potentia volendi ad actum, ex nolitione ad volitionem eget praedeterminatione Dei physica, qua illa indifferentia potentialis actuatur seu determinatur ad libere volendum hoc prae alio bono particulari ab intellectu proposito. Certe in exercitio libertatis sub praedeterminatione physica aufertur illa indifferentia potentialis seu libertas in potentia, sed semper manet habitudo non necessaria ad obiectum non undequaque bonum, inde remanet quod est essentiale libertati. Unde transitus libertatis ex statu potentiae ad actum non est illam destruere, sed perficere.

d) *Voluntas humana*, cum vult actu caret iam libertate in potentia, supponit exercitam praedeterminationem physicam et exigit concursum simultaneum ut simul cum influxu voluntatis ponatur actus secundus libere utpote praedeterminatus a Deo sub illa habitudine non necessaria ad obiectum.

4. *Quoad concursum ad peccatum*, aiunt, Deus praedeterminat infrustrabiliter solummodo ad materiale peccati non vero ad formale peccati, et sic Deus non est auctor peccati creaturae.

**1.224.** 5. PP. Marín Sola et Muñiz mitigant hanc sententiam bannezianam rigidam et defendunt praedeterminationes physicas natura sua infrustrabiles, dependentes tamen ab actibus voluntatis positis sub praedeterminationibus physicis frustrabilibus. De hac sententia postea agemus.

**1.225.** 3.ª Molinistae et Suareziani ad solutionem problematis:

1. Prae oculis habent ex una parte factum inconcussum libertatis humanae; ex alia dominium absolutum Dei, summum quidem, sed solum possibile, non vero impossibile; item principia metaphysica certa, sed asserunt non systematice interpretanda.

**1.226.** 2. Unde orto conflictu inter factum inconcussum libertatis et dominium absolutum Dei videndum est utrum tale dominium sit possibile an impossibile. Insuper ne corrigatur notio libertatis ita ut plane auferatur; tandem valor et interpretatio quorundam principiorum accurate examinentur et mysterium, si adest, aptius reponi debet in Deo nobis imperfecte noto, quam in nobis, qui conscientiae facta primaria gaudentia evidentia experimur.

**1.227.** 3. a) *Libertas* pro ipsis est potestas seu indifferentia activo-electiva voluntatis, quae positis omnibus praerrequisitis (non solum his, quae praecedunt tempore, sed etiam illis quae praecedunt natura actioni) ad agendum, potest ponere et non ponere actum, hunc actum vel illum. Unde libertas in voluntate creata necessario dicit potentialitatem, indifferentiam activam, qua dempta necessitas aliqua semper habetur voluntati contraria. Habitudo vero non necessaria ad obiectum proveniens ex indifferentia iudicii et ex deliberatione intellectus ad libertatem certe requiruntur, sed eam non constituunt formaliter.

*b)* Libertas est dos formaliter voluntatis: et sic ut actus eius sit liber, praeter habitudinem

ratione obiecti non necessariam ad obiectum, necesse est ut actus diversus esse possit electione ipsius creatae voluntatis, quod non accidit sub praedeterminatione physica, siquidem stante indifferentia in iudicio perit indifferentia in voluntate.

**1.228.** 4. *His positis* reiciunt concursum praevium praedeterminantem natura sua infrustrabilem, ut inutilem pro causis necessariis et nocivum causis liberis et sanctitati Dei: si enim Deus praedeterminat ad materiale peccati praedeterminaret etiam ad formale peccati.

Et affirmant ad omnes et singulas operationes in ordine mere naturali sufficere concursum Dei simultaneum praestitutum a Deo in tempore opportuno sub scientia media. Posita enim causa secunda in actu 1.° completo constituta (virtus divina seu concursus simultaneus oblatus, virtus creata in actu 1.°, omnia alia praerrequisita ex parte causarum secundarum) est iam potens agere. Transitus vero de potentia ad actum, transitus ad activitatem, si causa secunda est necessaria necessario, si libera libere ab ea fit sine ullo praevio concursu ex parte Dei; tamen semper cum concursu simultaneo Dei a quo pendent et agere causae secundae seu actio in agente (sed non praevie ad actionem sicut in sententia banneziana), et fieri rei (actio in passo) et effectus productus.

**1.229.** 4.ª NON PAUCI AUCTORES (de quibus postea loquemur) admisserunt quamdam praemotionem physicam similem praedeterminationi bannezianae, excepta infrustrabilitate et dependenter ab scientia media.

**CENSURA.** Nobis videtur intrinsece certa.

## 1.230. PROBATUR.

**1.ª Pars.** PRAED. EST INUTILIS PRO CAUSIS NECESSARIIS.

Praedeterminatio physica inducitur ab adversariis:

1) Ut salvetur plenum dominium Dei et plena dependentia creaturarum a Deo in agendo; 2) ut creatura applicetur et determinetur ad agendum.

Atqui solo concursu simultaneo illa plene obtinentur sine ullo concursu praedeterminante. Ergo concursus physice praedeterminans in causis necessariis est prorsus inutilis.

*Maior.* Conceditur ab adversariis.

*Minor.* Quoad 1) In causa secunda agente possunt considerari haec: virtus agendi, omnia praerrequisita, actio, effectus. Iam vero

*Virtus agendi* inest creaturis per efficientiam Dei et perenniter a Deo conservatur. *Praerrequisita* ex parte causarum secundarum etiam data sunt a Deo concurrente cum causis secundis, quae posuerunt talia praerrequisita (v. c. admotio ignis ad stupam et effectio iudicii quo proponitur bonum voluntati priusquam ipsa velit). *Actio causae secundae*, ut saepe diximus, est una et eadem numero, quae provenit tota a Deo et tota a creatura. Unde etiam praesupposita virtute completa causae secundae in suo ordine omnibusque praerrequisitis, actio (sive in agente sive in passo) exerceri nequit sine influxu imme-

diato Dei in actu 1.°, qui coniungit causam primam cum causa secunda et eam constituit in actu primo complete constituta absolute.

*Effectus* sine immediato et simultaneo concursu Dei est metaphysice impossibile ut exsistere possit.

Ergo solo concursu simultaneo salvantur plene dominium Dei et dependentia creaturarum a Deo.

Quoad 2) Non requiritur praedeterminatio:

*Non titulo determinationis* (motionis, excitationis, applicationis...) *ad exercitium:* Nam causae secundae de quibus agimus, sunt agentia naturalia principalia; supponuntur completae ratione virtutis et omnium praerrequisitorum; sunt causae necessariae, quae per se seu natura sua sunt determinatae ad agendum quando iam adsunt omnia praerrequisita tum ex parte causarum secundarum tum ex parte Dei ita ut non habeant potestatem cohibendi actum secundum, sed ineluctabiliter ad eum ferantur solo concursu simultaneo in actu primo sine nova praevia impulsione.

*Non titulo determinationis ad speciem actus:* nam species actus non provenit ex concursu Dei, sed ex natura rerum; et concursus Dei determinatur a creaturis, non quia physice agant aliquid in Deum aut in concursum, sed quia postulant tale genus concursus et Deus se vult accomodare exigentiis creaturarum. Sic ex tritico procedit triticum, non quia Deus praedeterminet ad actiones triticeas, sed contra concursus erit ad actiones triticeas quia hae sunt determinatae ex natura tritici.

*Non titulo determinationis ad individuum.* Nam creatura determinat concursum simultaneum Dei quoad exercitium et specificationem mere obiective in actu primo et physice in actu 2.°; sed causa secunda est penitus indifferens ad infinitos actus individuos possibiles aequales, et tunc Deus sine ulla praedeterminatione recepta in causa secunda, sed solo concursu simultaneo, potest determinare individuum sic:

Si ego darem concursum ad omnes species possibiles actuum in illis circumstantiis, sed solum ad unam individuam actionem et unum effectum intra unamquamque speciem, creatura faceret talem speciem actionis et talem individuam actionem. Decerno igitur concurrere, quando creatura iam est determinata quoad exercitium et speciem, ad actionem individuam A et non ad aliam ex infinitis possibilibus.

**1.231. 2.ª Pars.** I. PRAED. PRO CAUSIS LIBERIS EST ETIAM INUTILIS.

Voluntas positis omnibus praerrequisitis ad agendum etiam concursu simultaneo parato ad concurrendum aequiparanda est in hoc causis necessariis. Atqui praedeterminatio pro causis necessariis est inutilis. Ergo etiam est inutilis pro causis liberis...

*Maior.* Nam voluntas natura sua semper est prona ad actum ex impressione divina in bonum. Eius indifferentia non est mere passiva, sed activo electiva, quae certe non est minoris efficacitatis ad ponendam operationem quam causa necessaria praesentibus omnibus praerrequisitis; si non sequitur actus non est ex defectu efficacitatis; sed ex perfectione et dominio actus; unde non

eget praedeterminatione physica (eget concursu simultaneo qui recipitur in ipsa actione) ut exeat ex statu illo indifferentiae. Et quidem

Non requiritur praedeterminatio physica ex titulis in 1.ª parte allatis ob easdem rationes.

Nec requiritur praedeterminatio ad vincendam rebellem voluntatem quae praevideretur a Deo non consensuram libere ullis invitationibus suis v. c. ad hoc ut convertatur in talibus circumstantiis. Mirum enim est Deum non inveniri ullum auxilium cui creatura libere consentiat. Si vero hoc accideret nulla difficultas est ut Deus tollat libertatem per praedeterminationem vel ex suo dominio divino permittat hominem sequi vias suas.

*Minor.* Probata manet in prima parte.

**1.232.** II. Praed. est nociva.

Libertas sine dominio sui actus et sine facultate expedita ad agendum vel non agendum, ad agendum hoc vel illud, non exsistit. Atqui haec omnia disparent sub praedeterminatione physica. Ergo libertas voluntatis humanae perit sub praedeterminatione physica.

*Maior.* Constat ex definitione libertatis ab omnibus admissa.

*Minor.* Quia voluntas numquam habet dominium sui actus sub praedeterminatione physica. Et sic probatur.

Voluntas humana. 1) *Est impotens* ad habendam vel non habendam et reiciendam praedeterminationem physicam v. c. ad actum A: praedeterminatio pendet a solo Deo. 2) *Est impotens* (non est indifferens potestate activo electiva) ut transeat ex se sola de potentia ad actum A, priusquam habeat praedeterminationem. 3) *Est impotens*, posita praedeterminatione, ut ei resistat vel resistere possit: voluntas enim sub praedeterminatione ponet de facto actum A et repugnat metaphysice ut illum non ponat. Hinc voluntas humana caret libertate in potentia et quidem non vi suae determinationis liberae, sed vi praedeterminationis irresistibilis.

4) Unde voluntas humana ex una parte dum vult actu caret iam libertate in potentia vi praedeterminationis irresistibilis. Ex alia vero parte, actus A sub influxu praedeterminationis ita positus est ut potestas non ponendi illum nullatenus possit umquam reduci in actum i. e. est potestas penitus illusoria. Hinc voluntas humana sub influxu praedeterminationis physicae amissit etiam libertatem in actu.

Ergo praedeterminatio physica tollit libertatem in potentia i. e. potestatem ad ponendum vel non ponendum actum; et etiam tollit libertatem in actu, i. e. actus ita positus est ut nullatenus potuisset non poni.

**1.233. 3.ª Pars.** Praed. est contra divinam sanctitatem.

Concursus physice praedeterminans est contra divinam sanctitatem, si facit Deum auctorem peccati. Atqui ita est. Ergo concursus physice praedeterminans est contra divinam sanctitatem.

*Maior*. Patet.

*Minor*. 1. SUB PRAEDETERMINATIONE PHYSICA: vel voluntas non potest vitare actum malum ad quem praedeterminatur et tum perit libertas et peccatum refundendum est in praedeterminationem et in Deum; vel potest homo vitare illum actum et esse liberum et tum potest resistere praedeterminationi natura sua infrustrabili, quod est contra naturam talis praedeterminationis.

**1.234.** 2. IUXTA THOMISTAS Deus efficit, praedeterminat, intendit, approbat materiale peccati seu entitatem physicam peccati. Ergo etiam efficit, praedeterminat, approbat et intendit formale peccati seu malitiam peccati. Nam qui vult antecedens vult et consequens quod ex eo inevitabiliter sequitur.

Nec voluntas creata intendit directe malitiam actus mali, tamen quoniam determinat, approbat et intendit entitatem physicam peccati, licet forte cuperet ne malitia turparetur, ei imputatur peccatum quia malitia inseparabiliter coniuncta est cum entitate physica peccati.

**1.235.** 3. *Deus est causa peccati commisionis.* Qui enim impellit aliquem hominem ad ebrietatem in illis circumstantiis in quibus datur advertentia ad malitiam et libertas est verus auctor et causa moralis peccati ebrietatis illius hominis. Ergo pariter Deus quoniam impellit voluntatem ad actum malum in illis circumstantiis in quibus malitia est inseparabilis ab actu malo, est verus auctor et causa illius peccati.

**1.236.** 4. *Deus est causa peccati omissionis*, quia ipse solus esset causa omissionis actus praecepti: Unde si quaeratur a Petro: quare omissisti sacrum die dominica? Respondere potest: quia non habebam praedeterminationem physicam; si enim habuissem non potuissem sacrum omittere. Et cur non habuisti praedeterminationem physicam? Quia Deus mihi eam non dedit. Ergo soli Deo debetur quod Petrus omittat sacrum.

**1.237. SCHOLIUM. De mente S. Thomae quoad praedeterminationem physicam.** (190).

S. THOMAS saepissime in suis operibus loquitur de cooperatione Dei ad actiones creaturarum. Sed hanc quaestionem ex professo non attingit. Et ita loquitur ut unaquaeque schola illum trahere ad suam sententiam conetur.

a) *Iuxta alios* sustinuit concursum praevium praedeterminantem natura sua infrustrabilem ad omnes actiones creaturarum sive necessarias sive liberas tam bonas quam malas. b) *Iuxta alios* docuit praedeterminationes physicas natura sua infrustrabiles solummodo ad actus difficiliores, ad bonum vel malum; sed dependenter a praedeterminationibus physicis frustrabilibus, quas Deus dat ad actus faciles. c) *Iuxta alios* admissit praedeterminationem moralem natura sua infrustrabilem. d) *Iuxta alios*, quoad actus liberos, defendit solummodo praemotiones physicas indifferentes. e) *Iuxta aliorum interpretationem* solummodo admissit concursum simultaneum. f) *Iuxta paucos* negat omnem concursum immediatum sive praevium sive simultaneum.

---

(190) URRABURU, *Theod.*, 2, p. 959.—BROSNAN, *Theol. Nat.*, p. 307.—HELLÍN, *Theol. Nat.*, p. 820.—GISQUIÈRE, *Prael. Theod.*, 2, p. 293 ss.—HONTHEIM, *Inst. Theod.*, p. 792.—DUMMERMUTH, *S. Thomas et doctrina praemotionis physicae* (1886).—FRINS, *S. Thomae Aq. doctrina de cooperatione Dei* (1892).

**1.238.** Legantur, inter alios plurimos, textus sequentes:

S. Th. I, q. 2, a. 3 ad 5; q. 19, a. 3, ad 5; q. 22, a. 3 ad 4; q. 49, a. 2; q. 83, a. 1 ad 3; **q. 105, a. 5, c. ad 3.**

I-II, q. 9, a. 1, c.; a. 4, c.; a. 6 ad 3; q. 10, a. 4, c.; q. 79, a. 2; q. 109, a. 1, c.; q. 113, a. 8, c.

In libr. Sentent. II, dist. 25, a. 1, ad 1. 2. 3.; II, dist. 37, q. 2, a. 2; II, dis. 39, q. 1, a. 1, 2, 6; III, dist. 27, q. 1, a. 4 ad 12; IV, dist. 49, q. 1, a. 3 ad 1;

1 CG, c. 68; **l. 3, c. 67. 89. 149;**

**De potent. q. 3, a. 7.**

De Verit. q. 22, a. 4 et 6 ad 1.

De Malo, q. 3, a. 2 ad 4.

## 1.239. OBIECTIONES. a) *Contra primam partem.*

1. Quidquid movetur ab alio movetur. Atqui causa secunda in theoria concursus simultanei non movetur a Deo. Ergo concursus simultaneus non sufficit, sed necessaria est praedeterminatio.

Resp. Disting. mai. si mere passive movetur C.; si etiam active se movet subd. ab alio solo N.; ab alio etiam iterum Subd. a Deo per concursum praevium N.; per concursum simultaneum C.

Contrad. min.

2. Causa prima et causa secunda coniungi debent ad operandum. Atqui haec coniunctio apte explicatur per praedeterminationem physicam. Ergo praedeterminatio physica est necessaria.

Resp. Conc. mai. et nego minorem.

Explicatio: Causa prima ratione suae immensitatis intime praesens est causae secundae; item conservat facultates et virtutes activas causae secundae cum operatur et dum operatur. Tandem virtus divina et virtus creata uniuntur in actione et in effectu. Quid amplius requiritur?

3. Causa necessaria est illa quae positis omnibus praerrequisitis ad agendum necessario agit. Atqui unum ex praerrequisitis necessariis ad agendum est praedeterminatio physica. Ergo praedeterminatio physica est necessaria pro creatura.

Resp. Conc. mai. et nego minorem.

Explicatio: Praedeterminatio non est unum ex praerrequisitis, quae praecedunt tempore actioni creaturae, siquidem creatura ante praedeterminationem est iam completa ratione virtutis. Hoc posito si causa secunda est necessaria, positis omnibus praerrequisitis ad agendum necessario aget. Causae enim necessariae praescindendo a praedeterminatione physica debent differre a causis liberis, nec possunt differre nisi quia natura sua sunt inclinatae ad agendum.

4. Causa secunda etiam necessaria non semper operatur, sed est in potentia ad operandum et indiget mutari ut transeat de potentia ad actum. Atqui hoc fit per praedeterminationem. Ergo praedeterminatio est necessaria.

Resp. Trans. mai. et nego minorem.

Explicatio: Causa secunda necessaria saepe est in potentia ad operandum; non semper operatur ex eo quod habeat aliquod impedimentum aut careat virtute adaequata vel praerrequisito, quod ab aliis causis sive prima sive secundis dependeat vel apponendum sit. Praesentibus omnibus praerrequisitis iam sine nova aliqua praemotione a solo Deo imprimenda, necessario agit.

5. Si causa necessaria non indiget physice moveri ad hoc ut transire possit de potentia ad actum, semper est agens.

Atqui hoc est falsum. Ergo semper indiget praemoveri.

Resp. Disting. mai. Si sola se ipsam determinaret et haberet omnes conditiones requisitas ad operandum tum ex parte Dei tum ex parte creaturarum C.; secus nego.

Contrad. min.

EXPLICATIO: Semper requiritur concursus Dei in actu primo (qui recipitur in ipsa actione); quo posito cum omnibus praerrequisitis, si causa est necessaria necessario aget; si vero causa est libera potest agere et non agere et cum agit libere se determinat per suam virtutem activo-electivam, sed cum concursu Dei ita ut agere creaturae etiam dependeat a Deo.

6. Causae secundae non agunt nisi motae et applicatae per virtutem causae primae. Atqui haec applicatio optime explicatur per praedeterminationem physicam. Ergo Deus omnes causas physice ad agendum praedeterminat.

Resp. Conc. mai. et nego minorem.

EXPLICATIO: Deus causis secundis tribuit et conservat potentias, virtutes et inclinationes ad certos fines et operationes. Item ipse solus vel simul cum causis secundis apponit praerrequisita necessaria ad operandum. Tandem per concursum simultaneum movet creaturas, siquidem hae sine illo concursu nihil facere possunt.

7. Omne agens ut actu agat, necesse est ut actu exsistat et non sit tantum in potentia. Atqui causa secunda est tantum in potentia ad operationem. Ergo nisi prius actuetur per physicam praedeterminationem nihil agere potest.

Resp. Conc. mai. et nego minorem.

EXPLICATIO: Agens ut actu agat debet exsistere actu et habere formam aut virtutem per quam agat. Iam vero causa secunda exsistens actu cum omnibus praerrequisitis, quamvis non operetur, est iam in actu cum virtute sua in suo ordine, non est mera potentia passiva, sed est in potentia activa completa et profundit actionem ponendo ipsum actum secundum sine ulla praedeterminatione. Quamvis ergo principium agens non sit in ipsa formali operatione, non eget maiori actualitate ut eam profundere valeat, siquidem iam supponitur habere totam illam actualitatem ex parte sua in suo ordine et etiam ex parte Dei.

8. Causae secundae sunt instrumenta causae primae. Atqui instrumentum non agit effectum causae principalis nisi praemoveatur.

Ergo causae secundae debent praemoveri per praedeterminationem.

Resp. Disting. mai. Sunt instrumenta proprie et univoce N.; improprie ac per analogiam C.

Contrad. min.

9. Deus facit ut creatura faciat vel agat. Atqui hoc non obtinetur solo concursu simultaneo. Ergo per praedeterminationem physicam.

Resp. Conc. mai.

Disting. min. Si concursus simultaneus sumitur pro ipsa operatione causae secundae Tr.; si concursus simultaneus sumitur pro divino decreto concurrendi vel pro virtute omnipotentiae actionem actu operante N.

Contr. min.

**1240.** b) *Contra secundam partem.*

1. Ad hoc ut praedeterminatio sit in nostra potestate non requiritur ut eam attrahere possimus, sed satis est ut Deus possit eam nobis dare, immo semper eam nobis dispensat secundum conditionem nostram. Atqui hoc accidit in nostra sententia. Ergo praedeterminatio physica est in potestate hominis.

Resp. Nego maiorem.

EXPLICATIO: Nullo modo est in nostra potestate. Nam non possumus eam obtinere, nec recusare, nec eam acceptam reicere; nec possumus cam nisi ad unam actionem ad quam datur adhibere.

2. Ea quae possumus pcr amicos nostros aliqualiter etiam per nos possumus. Ergo a fortiori id crit in nostra potestate quod habere possumus per Deum.

Resp. Trans. antec. et nego consequens in systemate praedcterminationis.

3. Praemotio non est in potestate creatae voluntatis tamquam in causa efficiente, est tamen in potestate nostrae voluntatis scipsam impcdire ne habeat illam motionem. Ergo praedeterminatio est in potestate hominis.

Resp. Nego antecedens.

Explicatio: Nam homo sine praedeterminatione nihil faciet, quia praedeterminatio requiritur absolute ad omnem actionem causae secundae; si datur a Deo non potest creatura eam recusare. Item cum praedeterminatione ad actum A, creatura necessario faciet actum A.

4. Receptio praedeterminationis non est in nostra potestate, sed voluntas nostra habet plenum dominium termini illius praemotionis semel receptae i. e. dominium actus, quem suspendere, revocare... etc... ad nutum potest. Ergo praedeterminatio quoad effectum seu terminum est in nostra potestate.

Resp. Nego antecedens.

Explicatio: Praedeterminatio recepta irresistibiliter determinat voluntatem ad unum. Utique actio, quae irresistibiliter sequitur praemotionem, post inceptionem suam suspendi potest, revocari potest si removetur praemotio iam data, quod a solo Deo fieri potest; et si recipitur in voluntate nova praemotio, quod iterum a solo Deo pendet et semel recepta voluntatem iterum ad unum determinat.

5. Tamdiu remanet libertas in voluntate quamdiu intellectus illi proponit obiectum appetendum cum indifferentia. Atqui indifferentia obiectiva in iudicio remanet sub praedeterminatione physica. Ergo etiam libertas remanet sub praedeterminatione physica.

Resp. Dist. Mai. Dummodo voluntas non privetur indifferentia activa contra suam naturam C.; si privatur, quod facit praedeterminatio physica Nego.

Conc. min. et distinguo pariter consequens.

Explicatio: Indifferentia iudicii et deliberatio requiruntur ad libertatem, sed eam formaliter non constituunt. Post deliberationem vel voluntas est domina actionis et libera vel neque domina neque libera. Libertas formaliter est dos voluntatis non intellectus.

Atqui sub praedeterminatione physica voluntas retinet suam indifferentiam activam. Ergo...

6. Non possunt coniungi haec duo: *a)* habere praedeterminationem ad actum amoris A; et *b)* omittere de facto actum A;

Sed possunt coniungi haec duo: *a)* habere praedeterminationem ad actum A; et *b)* retinere potestatem omittendi talem actum A, quamvis de facto non omittatur.

Ergo salvatur libertas seu indifferentia activa voluntatis sub praedeterminatione physica.

Resp. Disting. antecedens: Et illa potestas omittendi actum est illusoria, est plena impotentia, non est expedita ad agendum, ei repugnat antecedenter dissentire Conc., aliter Nego.

Atqui illa potestas omittendi actum A non est illusoria, sed vera potestas indifferentiae. Ergo...

7. Voluntas sub praedeterminatione ad actum A, non potest omittere illum actum in sensu composito, potest autem illum omittere in sensu diviso. Atqui hoc sufficit ad salvandam illam potestatem indifferentiae. Ergo illa potestas omittendi actum non est illusoria.

Resp. Nego maiorem.

Explicatio: *Interpretatio sensus compositi et divisi.*

*Primus sensus.* Ut servetur libertas non requiritur ut dum unum eligitur maneat potentia ad oppositum in sensu composito seu supposita hac electione, sed sufficit ut maneat potentia ad oppositum in sensu diviso i. e. modo cesset libere electio.

Exempla.—Petrus currens nequit dum currit seu in sensu composito cursus, libere simul sedere; tamen Petrus currens et non sedens, libere non sedet quia libere potest sedere in sensu diviso cursus i. e. modo cesset libere cursus. Petrus praedeterminatus ad amorem nequit dum amat (proinde defigendo mentem solummodo in facto amoris) seu in sensu composito amoris, simul non amare; tamen Petrus praedeterminatus ad amorem et actu amans est liber ad non amandum, quia libere potest non amare in sensu diviso amoris i. e. modo cesset libere amor.

R. Hoc totum est verissimum ex principio contradictionis, sed non est ad rem nostram. Necessitas quam infert sensus compositus in casu non est nociva libertati, quia voluntas habet in sua potestate illud ipsum in cuius sensu composito actus evadit necessarius.

*Secundus sensus.* Ut servetur libertas non requiritur ut voluntas sub praedeterminatione physica ad actum amoris, sit libera ad non amandum in sensu composito praemotionis ad amorem; sufficit ut maneat potentia ad non amandum in sensu diviso praemotionis ad amorem i. e. semota praemotione.

R. Voluntas praedeterminata ad amorem:

*a)* In sensu composito praemotionis ad amorem, voluntas necessario amat, unde non potest non amare et sic perit libertas, quia non est in manu voluntatis illud (praedeterminationem) in cuius sensu composito actus evadit necessarius.

Snppone hominem esse ligatum quoad manus et pedes: potestne persuadere illi in eius potestate esse ambulare vel non ambulare? Quid si diceres ipsi non habere potestatem ambulandi in sensu composito vinculorum, habere tamen in sensu diviso i. e. semotis vinculis? Respondet tibi: hic et nunc non habeo talem potestatem; dum vinculis alligatus sim illa potestas est illusoria. A pari in casu de praedeterminatione physica.

*b)* In sensu diviso praemotionis ad amorem i. e. semota praedeterminatione voluntas non potest amare; impotens est, ut liquet, ad amandum.

*c)* Aliud est non posse facere aliquid, quod accidit in casu; aliud vero posse non facere. Sicnt valde diversa sunt: non posse mori; et posse non mori.

*Tertius sensus.* Est communis thomistarum. Ut servetur libertas non requiritur ut voluntas sub praedeterminatione physica ad actum amoris, sit libera ad non amandum in sensu composito praemotionis ad amorem cum omissione actus amoris de facto aut cum potentia realizabili ad non amandum. Sufficit ut maneat potentia ad non amandum in sensu diviso i. e. cum potentia divisa ab eius realizatione seu cum potentia irrealizabili ad non amandum.

R. *a)* In sensu composito praemotionis ad amorem voluntas necessario amat: potentia enim non-amandi non exercebitur umquam et ratio est quia necessitatur ad illam non exercendam.

*b)* In sensu diviso seu cum potentia irrealizabili ad non amandum iterum necessario amat et proinde hic tertius sensus virtualiter coincidit cum secundo. Quid enim est illa potestas irrealizabilis nisi potentia illusoria?

*c)* Si vero distinctio sensus compositi et divisi ostendit hominem sub praemotione ad amandum habere potentiam ad non amandum eo quod habeat potentiam recipiendi aliam praedeterminationem ad quam recipiendam est pure passive indifferens, hoc non salvat libertatem; nam ut homo sit liber ad amandum debet esse active indifferens ad non amandum, non sufficit ut sit passive indifferens.

*Quartus sensus.* Sensus compositus intelligitur: Facultas cum omnibus praerrequisitis... et cum actu iam posito. Et in hoc sensu voluntas dum agit non potest omittere actum in sensu composito actus libere iam positi.

Sensus divisus intelligitur. Facultas cum omnibus praerrequisitis, sed divisa ab actu secundo. Et in hoc sensu voluntas etiam cum omnibus praerrequisitis potest omittere actum in sensu diviso, quia manet indifferens ad agendum vel non agendum.

Atqui illa potestas non est illusoria, sed vera libertas indifferentiae. Ergo...

8. In sententia concursus simultanei posita praescientia divina et posito decreto concurrendi ad actum, in sensu composito praescientiae et decreti repugnat ut talis actus non ponatur. Atqui tamen salvatur libertas. Ergo a pari salvatur libertas sub praedeterminatione per distinctionem sensus compositi et divisi.

Resp. Dist. mai. Rcpugnat ut actus non ponatur necessitate antecedente Neg.; Necessitate consequente actum iam positum C.

Contr. min. Salvatur libertas quia necessitas est consequens C.; si esset antecedens N.

Atqui etiam si determinatio actus proveniat a praedeterminatione salvatur libertas. Ergo...

9. Qui sedet dum sedet, non potest simul stare. Atqui libere sedet. Ergo a pari, qui facit aliquid sub praedeterminatione physica dum facit, non potest omittere illud et tamen libere facit.

Resp. Conc. mai.

Conc. minor. Quia antecedenter ad actum sessionis, nullam praedeterminationem habuit ut sederet, et dum sedet nullam praedeterminationem habet ut sedeat sed potest pro lubito surgere, quia nullis vinculis alligatus est, non vero si vinculis alligatus esset.

Nego Conseq. et paritatem: qui facit aliquid sub praedeterminatione non potest non facere illud; et dum facit non potest cessare pro lubitu quia alligatus est vinculo

praedeterminationis prorsus independente ab illo ut ponat actionem et non cesset ab illa.

Atqui vinculum praedeterminationis relinquit intactam libertatem. Ergo...

10. Deus movet causas secundas secundum earum naturam, necessarias necessario, liberas libere. Ergo vinculum praedeterminationis relinquit intactam libertatem.

Resp. Dist. antec. Movet illas causas ita per praedeterminationem physicam N.; aliter Tr. Nego consequens.

Atqui Deus causas liberas libere movet per praedeterminationem. Ergo...

11. Operatio Dei tam efficax est ut non solum determinet substantiam actus, sed etiam modum eius i. e. ut sit libere positus. Ergo causas liberas libere movet per praedeterminationem physicam.

Resp. Dist. antec. et intelligitur quomodo illud fieri possit per praedeterminationem physicam Neg. Non intelligitur Conc. Illa affirmatio est implicans et gratuita: si praemovet ad unum, non praemovet ad indifferens.

Atqui intelligitur fieri posse per praedeterminationem. Ergo...

12. Tu non intelligis, quia supponis modum agendi Dei univoce convenire cum modo agendi creaturarum, sed datur tantum analogia. Ergo iam intelligitur quomodo fieri possit ut salvetur libertas sub praedeterminatione physica.

Resp. Dist. antec. Et tali analogia in operando potest obtineri id quod naturae rei repugnat N.; aliter Conc.

Atqui non repugnat ut salvetur libertas sub praedeterminatione. Ergo...

13. Superior aliquis potest immobiliter aliquid iubere et tamen inferior libere oboedit. Ergo a pari in casu de praedeterminatione.

Resp. conc. antec. Nego consequens et paritatem. Disparitas enim est manifesta: non obstante iussu superioris, subditus retinet libertatem physicam ad faciendum contrarium, sed posita praedeterminatione manetne libertas physica ad contrarium faciendum? Non intelligitur.

Atqui etsi non intelligatur quomodo id fieri possit admittendum est.

14. Non intelligimus modum conciliandi libertatem Dei cum eius immutabilitate et tamen admittimus utramque. Ergo a pari loquendo de praedeterminatione physica.

Resp. Tr. maior. Nego consequens et paritatem. In antecedente extrema concilianda sunt certissima. Sed praedeterminatio physica certo admittenda est? Probetur.

Atqui admittendae et praedeterminatio physica et libertas. Ergo...

15. Conciliatio inter utramque est mysterium admittendum. Ergo...

Resp. Non licet tegere velo mysterii contradictionem, nec multiplicare mysteria sine necessitate.

16. Nisi Deus praevie agat ac praedeterminet omnes actus liberos non erit: *a)* primum agens; *b)* nec primum movens; *c)* nec primum liberum; *d)* nec primum determinans; *e)* nec causa prima totius entis; *f)* nec dominus creaturae, saltem liberae.

Ergo Deus debet praedeterminare omnes actus liberos.

Resp. Nego antecedens quoad omnes partes.

Explicatio: *a)* Deus est primum agens: Creat res et dat virtutes operativas, eas conservat, complet apponendo praerrequisita, decernit concurrere ab aeterno, dat concursum etc...

*b)* Deus est primum movens: patet ex eadem ratione.

*c)* Deus est primum liberum: quia ab eo procedit omnis creatura libera; exercitium libertatis creatae supponit exercitium libertatis divinae in omnibus quae necessaria sunt et sufficiunt ut creatura operetur.

*d)* Deus est primum determinans: Quia dat vires, conservat, et se determinat ad cooperandum cum creätura... Si praedeterminaret eam ipse solus se determinaret.

*e)* Deus est causa totius entis; respectus determinationis provenit a sola creatura ut postea explicandum est.

*f)* Deus est dominus perfectissimus creaturae; praecisa praedeterminatione physica: Creatura pendet a Deo tum in essendo tum in operando cum accipiat a Deo esse et virtutem

et concursum; quia potest omnem creaturam annihilare, et omnes actiones eius impedire solo subtracto concursu, etc...

*g)* Nec homo potest gloriari quod aliquid habeat non acceptum ex Deo praecisa praedeterminatione: Nam creatura nihil facit nec potest facere nisi per virtutem omnipotentiae divinae libero decreto applicatam, unde de nulla prorsus re sibi gloriandum est.

*h)* Ergo sequitur manifeste causam omnem creatam, quamvis non praedeterminetur, penitus causae primae subordinari eiusque esse instrumentum in largiori sensu.

**1.241.** c) *Contra tertiam partem.*

1. Deus esset auctor peccati si praedeterminaret voluntatem ad totum quod est in actu peccati. Atqui praedeterminat solum ad materiale peccati et hoc intendit, sed potest detestari malitiam et sic est causa actionis, sed non est causa cur actio sit cum defectu. Ergo non est auctor peccati.

Resp. Conc. mai.

Nego minorem in sententia praedeterminantium.

2. Peritus artifex est causa cur penicillus pingat non tamen cur male pingat. Anima est causa motus tibiae curvae, sed claudicatio pendet a curvitate tibiae. Ergo a pari in casu nostro, Deus est causa actionis, sed non est causa defectuositatis actionis.

Resp. Conc. antec. et nego consequens et paritatem. Nam penicillus et tibia ingenito vitio laborant et sic non potest ille pingere recte, haec recte ambulare. Homo vero etiam nequissimus potest honeste procedere.

3. Qui mere permittit peccatum non impellit ad illud. Atqui Deus praedeterminans non impellit ad malitiam peccati, sed mere permittit. Ergo non est auctor peccati.

Resp. Trans. maior. Nego minorem in sententia praedeterminantium, in qua Deus praedeterminat ad totum: ad materiale peccati et ad formale peccati.

4. Deus se accommodat exigentiis creaturae. Atqui creatura iam est prona ad peccandum, praesertim post peccatum Adami. Ergo Deus non determinat malitiam peccati.

Resp. Conc. mai.

Disting. min. illa pronitas non est determinatio ad peccandum hic et nunc; unde creatura adhuc, supposita illa pronitate, debet esse indifferens C.; secus N.

5. Malitia consistit in mera privatione. Atqui praedeterminatio physica non attingit negationes. Ergo nec peccatum.

Resp. 1) Ergo nec creatura est causa malitiae. Quisnam esset?

2) Concedo maiorem.

Disting. min... physice eas efficiendo Conc.; moraliter in quantum libere impellit ad aliquid quod hic et nunc est inseparabile a malitia N. Privatio non potest aliter causari imputabiliter nisi quatenus per se intenditur et ponitur actus cum praevisione malitiae, quae inde sequitur, nec aliter causatur malitia a creatura.

6. In sententia concursus simultanei Deus est causa entitatis physicae peccati. Atqui malitia inseparabiliter coniuncta est cum illa entitate. Ergo etiam est causa illius.

Resp. Disting. mai. permissiva C.; approbativa N.

Contr. minorem. Unde actio pendet a creatura quoad exercitium et specificationem. Contra in sententia thomistica Deus dat concursum solum ad materiale peccati et determinatio actus quoad exercitium et specificationem non dependet a creatura, sed a solo Deo.

7. Deus negavit praedeterminationem in casu peccati omissionis propter peccata praecedentia. Ergo peccatum est in homine.

Resp. Nego antecedens. Quaeram de primo peccato; quod non potest facere creatura sine praedeterminatione.

8. Deus negavit praedeterminationem ob defectibilitatem creaturae. Ergo ipse homo est auctor peccati omissionis.

Resp. Nego antecedens. Hoc non est peccatum creaturae, sed conditio essentialis, quae Deo debetur; siquidem est imitatio divinae essentiae in tali gradu et non in alio.

9. Deus negavit praedeterminationem ob praevisionem, quod si daretur non consentiret. Ergo culpa refundenda est in creaturam.

Resp. Nego antecedens. Impossibile est praevidere hoc; nam praedeterminatio est infrustrabilis.

10. Deus (iuxta Bannezianismum purum) praedeterminat positive ad materiale peccati (permissive quoad malitiam), sed postquam homo libere se determinavit ad formale peccati. Ergo Deus non est auctor peccati.

Resp. Nego Antc. Quomodo cognoscit Deus illam determinationem hominis ad formale peccati?

Explicatio: Datur contradictio: Nam: 1) Scientia (qua Deus cognosceret determinationem hominis ad formale peccati) antecederet decretum praedeterminans ad peccatum. 2) Decretum praedeterminans ad peccatum antecedit scientiam, quae in illo decreto fundatur et ab illo pendet.

## ARTICULUS V

### De aliis praedeterminationibus

**THESIS 50. Reiciendae etiam sunt aliae praedeterminationes sive natura sua infrustrabiles sive frustrabiles.**

**Nexus.** Exclusa physica praedeterminatione banneziana natura sua infrustrabili iuvat in trutinam revocare alias praemotiones.

**1.242. I. Condeterminatio scotistica seu praemotio extrinseca natura sua infrustrabilis.** (191).

*Decretum condeterminans* est decretum Dei aeternum, absolutum et efficax, metaphysice connexum cum creaturae operatione, quam condeterminat simul cum ipsa creatura. Dicitur: *decretum* i. e. actus voluntatis Dei; *aeternum*, Deus enim omnia ab aeterno decernit; *absolutum*, quia decernit aliquid independenter a conditione; *efficax*, quia de facto suum effectum obtinebit; et quidem efficax *ab intrinseco* seu natura sua; *non effective*, quia non est praemotio intrinseca recepta in voluntate creata; *sed affective*, quia est praemotio extrinseca ex naturali quasi sympathia voluntatis humanae erga voluntatem divinam, in qua illa radicatur et eminenter continetur et ad cuius nutum semper creatura movetur;

*Metaphysice connexum...* quia est infrustrabile natura sua, unde posito illo decreto metaphysice repugnat ut actus non sequatur, sed creatura vi subiectionis ad Creatorem infallibiliter facit illum actum, quem Deus absolute decernit;

*Condeterminat* simul cum creatura operationem, unde Deus decernit, non praemovere intrinsece voluntatem, sed concurrere simul cum creatura ad actionem, quam voluntas ponet iuxta indolem et naturam suam.

*Condeterminatio physica* est concursus physicus, simultaneus, necessarius, condeterminans infrustrabiliter actum secundum.

**1.243.** *Iuxta scotistas* concurrendo Deus per hanc condeterminationem, salvatur: *a)* Infrustrabilitas decretorum divinorum cx illa sympathia antea dicta, qua creatura infallibiliter faciet, quod Deus absolute decrevit; *b)* Dominium Dei, quia creatura nullo modo determinat decretum divinum, Deus enim non decrevit concurrerc, quia praevidit quid faciet creatura; *c)* Libertas creaturae, quia quamvis decretum sit prius detcrminatione voluntatis, non datur prioritas a quo seu prioritas causalitatis praeviae reccptae in ipsa voluntate ante dcterminationem, sed datur prioritas in quo i. e. dcterminatio voluntatis creatae eminenter contenta est in voluntate divina et Deus decernit agere id, quod voluntas aget iuxta naturam suam liberam.

---

(191) Suárez, DM 22, s. 2, n. 29; *Opusc.* 1, l. 1, c. 5; c. 12-13.—Mastrius, *De Divino intellectu*, d. 3, q. 3, a. 8, n. 116.—Urraburu, *Theod.*, 2, p. 892.—De San, *De Deo uno*, n. 195.—Beraza, *De gratia*, p. 528.—Van de Woestyne, *Cursus*, 2, p. 803.—Hellín, *Theol. Nat.*, p. 825.

**1.244.** *Argumentum contra praemotionem scotisticam.*

Decretum condeterminans (et illa sympathia, quae revera gratis fingitur) vel relinquit facultatem dissentiendi voluntati creatae et tum Deus caece concurrit; vel non relinquit illam facultatem dissentiendi et tum perit libertas et Deus esset auctor peccati. Ergo condeterminatio scotistica reicienda est.

1) *Tollit libertatem:* nam decretum condeterminans est antecedens exercitium libertatis, independens a voluntate nec ab ea determinatur obiective, utpote independens ab scientia media, et infert natura sua inevitabiliter actum secundum.

2) *Deus esset auctor peccati;* nam in hac sententia omittitur actus, qui poni debet unice quia non habetur decretum condeterminans et habere illum vel non habere pendet a solo Deo; item ponitur actus, qui vitari debet unice quia habetur decretum condeterminans et habere vel non habere tale decretum pendet a solo Deo.

**1.245. II. Praemotio psychologica natura sua infrustrabilis.** (192).

*Praemotio psychologica* est maior delectatio, quae actu datur in voluntate hominis independenter ab eo, natura sua seu ab intrinseco efficax et infallibiliter connexa cum actu ad quem movet;

IANSENISTAE dicunt hominem semper sive ad peccatum sive ad virtutem moveri infallibiliter (ita ut non remaneat libertas indifferentiae) maiore delectatione, quam actu habet, et eam habere non est in manu voluntatis. AGUSTINIENSES idem plus minusve sentiunt, sed salva libertate indifferentiae sub praemotione.

**1.246.** *Reicitur.* Sub maiore illa delectatione perit libertas et Deus esset auctor peccati. Ergo reicienda est.

*Antecedens:* 1) *Perit libertas,* quia delectatio maior victrix est aliquod antecedens, independens a voluntate, pendet enim a solo Deo vel a diabolo vel ex cursu naturae, et infert inevitabiliter actum. 2) *Facit Deum auctorem peccati:* nam actus qui debet poni omittitur, quia non habetur maior delectatio victrix et habere illam vel non habere non pendet a voluntate libera, sed a solo Deo vel directe vel saltem indirecte per naturam ex qua provenit illa maior delectatio. Item actus, qui debet vitari ponitur, quia habetur maior delectatio et habere illam vel non habere pendet a solo Deo directe vel saltem indirecte.

**1.247. III. Praemotio moralis natura sua infrustrabilis.** (193).

*Definitio:* Est motio a Deo proveniens, consistens in illustrationibus intellectus et in affectibus voluntatis trahentibus natura sua ab intrinseco et infallibiliter voluntatem ad actum, ad quem invitant, eo quod sint optime coaptati indoli et circumstantiis subiecti.

DOMINICANI non pauci ut ARAUJO, O. P., ALBERTINI, O. P., GONZÁLEZ ALBELDA, O. P. et *alii*... defendunt theoriam praemotionis intrinsecae moralis natura sua infrustrabilis ut doctrinam Angelici, antiquam traditionem O. P. et eam applicant praecipue ad actus salutares.

**1.248.** *Argumentum.* Efficacia talis praemotionis: *a)* Vel est tantum probabilissima et tunc Deus caece concurrit ad actum liberum et scientia Dei remanet coniecturalis. *b)* Vel eius efficacia est absoluta ita ut sub illa impossibile sit omittere actum et tunc perit libertas et Deus est auctor peccati.

---

(192) BERAZA. *De Gratia.* p. 468-484; et 533.—HELLÍN. *Theol. Nat.*, p. 826.

(193) BERAZA. o. c., p. 521.—HELLÍN, o. c., p. 826.—MZ. DEL CAMPO. *Theol. Nat.*, p. 383.

**1.249. IV. Praemotio physica frustrabilis independens ab scientia media** (194).

PRAEMOTIO PHYSICA FRUSTRABILIS est motio seu qualitas transiens a solo Deo prodiens, independenter ab scientia media, recepta in voluntate creata, applicans illam ad agendum sine qua creatura nequit agere, sed est frustrabilis seu impedibilis a voluntate creata.

PP. MARÍN SOLA et MUÑÍZ, O. P., videntes per sententiam Bannezianam non salvari sufficienter sanctitatem Dei nec libertatem creaturae in peccatis, defendunt praedeterminationes physicas infrustrabiles natura sua, sed dependentes ab actibus voluntatis factis sub praedeterminationibus physicis frustrabilibus.

**1.250.** HAEC SENTENTIA ad mentem eorum sic exponi potest:

1. Intellectus rationem boni in aliquo obiecto percipit per simplicem apprehensionem, quam sequitur in voluntate volitio indeliberata et necessaria illius boni. Deus praedeterminatione physica stricte dicta movet et applicat intellectum et voluntatem ad actus praedictos.

2. Quoad actum liberum et agendo de bono facile Deus dat voluntati creatae praedeterminationem frustrabilem et quidem independenter ab scientia media, quam isti auctores reiciunt.

3. In potestate voluntatis creatae est illa praedeterminatione, utpote frustrabili et data solum ad bonum, bene uti, quod si facit eo ipso etiam sunt in eius arbitrio praedeterminationes subsequentes; nulla igitur difficultas ut Deus det iam voluntati praedeterminationes infrustrabiles ad actus bonos difficiles salva libertate.

**1.251.** 4. Voluntas tamen potest male uti praemotione frustrabili et sic ponere impedimentum motioni divinae: Deus enim praemotione illa frustrabili semper movet voluntatem ad bonum et intellectum ad cogitationem aspectus honesti et etiam aspectus delectabilis rei oppositae et inhonestae ut intellectus possit deliberare. Sed voluntas potest movere intellectum ut omittat cogitationem rei honestae et retineat cogitationem rei delectabilis ita ut intellectus faciat iudicium v. c. furtum est faciendum.

Iam vero illa aversio, suspensio, omissio cogitationis honestae est aliquid pure negativum, non est peccatum ullum, sed certe est malus usus praemotionis ad bonum cuius causa non est Deus sed unice intellectus et voluntas hominis.

Deus cognoscit illum malum usum praemotionis frustrabilis ad bonum, non in decreto, siquidem est frustrabile, sed in praesentia aeternitatis.

5. Posita illa praevisione mali usus praemotionis frustrabilis ad bonum Deus praedeterminat infrustrabiliter voluntatem ad electionem furti seu ad peccatum, sed praedeterminat illam iam male dispositam ex malo usu praemotionis ad bonum, ex mala deliberatione.

Unde Deus praedeterminat ad materiale peccati et inde est causa actionis, sed non praedeterminat ad formale peccati et inde non est causa defectibilitatis actionis, quam solummodo permittit. Sola creatura est vera causa peccati, quod habet originem in mala deliberatione et consummatur in mala electione.

**1.252.** 6. Praeter motiones praedictas frustrabiles vel infrustrabiles ad bonum et ad malum dantur aliae praedeterminationes privilegiatae natura sua infrustrabiles solum ad bonum, quas Deus dat aliquibus, sive bene sive male utantur praedeterminationibus frustrabilibus ad bonum et quidem solummodo propter liberalitatem.

---

(194) MARÍN SOLA, O. P., *La Ciencia Tomista*, 32 (1935), 5-54; et 33 (1926), 5-74; 321-397; *Suma Teológica de Santo Tomás, Dios uno* (BAC, 1947), *Apéndice II*.—HELLÍN, *Theologia Nat.*, p. 826; HELLÍN, RazFe, 138 (1948), 386.—SAGÜÉS, *Reflexiones teológicas, ¿crisis en el Bañecianismo?*, EstEcle. 22 (1948), 699 ss.

**1.253.** 7. HAC EXPLICATIONE:

*Salvatur libertas* tum si agitur de bono difficile quia praedeterminatio infrustrabilis ad illud fuit in manu voluntatis propter bonum usum praedeterminationis ad bonum facile; tum etiam si agitur de peccato, quia in manu voluntatis fuit habere illam praedeterminationem infrustrabilem ad malum vel etiam ad bonum. Tum etiam si agitur de praedeterminationibus privilegiatis, quia in his casibus Deus non solum attingit actum, sed etiam modum eius, qui est libertas.

*Salvatur etiam sanctitas Dei*, quia solum dat praedeterminationes ad bonum et si dat ad malum est solum determinatus obiective a creatura.

**1.254.** *Argumentum.* Multa sunt incommoda in hac sententia. Ergo reicienda est.

*Antecedens.* a) *Deus in signo priori rationis* quam det decretum de praemotione frustrabili ad bonum facile, nescit certo quid ex suo decreto eventurum, utrum creatura consentiat necne, quod est aperte falsum et Deo indignum.

b) *Non salvatur libertas:* 1) Posita praedeterminatione infrustrabili etiam si sit dependenter a praemotionibus frustrabilibus, sive ad bonum difficile sive ad malum, voluntas privatur sua indifferentia, non habet dominium sui actus, quod requiritur etiam posita mala deliberatione. 2) Item iuxta ipsos Deus non potest ex se praedeterminare ad actum peccaminosum, quia non salvaretur sufficienter libertas creaturae. Ergo a pari non potest dare praedeterminationem privilegiatam salva libertate.

c) *Non salvatur plene sanctitas Dei*, quia ante praedeterminationem infrustrabilem Deus non determinatur obiective a creatura ad malum, siquidem illa adhuc nullum fecit peccatum et potest expedite non peccare. Sed Deus ex se solo dat praedeterminationem infrustrabilem, utique post malam deliberationem intellectus, sed ante electionem voluntatis et quidem in illis circumstantiis in quibus malitia est omnino inseparabilis ab actu propter advertentiam mentis ad regulam morum et propter libertatem.

d) Si sub praedeterminationibus frustrabilibus salvantur: determinatio seu excitatio ad agendum, efficacia decreti, infallibilitas scientiae divinae, dominium Dei, dependentia creaturae, providentia divina, et hoc ipsi fatentur, vacant semper praedeterminationes infrustrabiles.

**1.255.** DICES:

1) Iuxta P. MUNÍZ: Mala voluntas hominis posuit impedimentum motioni divinae in actu deliberationis, et sic illud impedimentum quod procedit solum ab homine, est causa aut conditio sine qua non, determinans praedeterminationem divinam ad materiale peccati non vero ad formale peccati. Ergo Deus non est auctor peccati, sed solummodo mala voluntas hominis.

Resp. Nego antecedens.

2) Illud impedimentum, i. e. aversio a bono honesto, suspensio, deviatio motionis divinae est aliquid pure negativum, a quo pendet peccatum formale et cuius causa est sola voluntas humana. Ergo Deus solum praedeterminat ad materiale peccati.

Resp. Nego antecedens.

EXPLICATIO. a) Quamvis illud quod creatura libere ponit et determinat sit aliquid pure negativum, homo vere determinaret decreta divina, quod admitti non potest in sententia banneziana.

b) Illud quod solum homo determinat: si est involuntarium, quoad responsabilitatem peccati remanet difficultas ut antea, Deus est auctor peccati. Si est voluntarium, ut expresse affirmat P. Muñíz, tunc ex ipsa definitione supponit actum voluntarium. Et tunc dico: Si Deus

praedeterminat voluntatem humanam ad illum actum, iterum Deus est auctor peccati. Si non praedeterminat, sola voluntas humana se ipsam determinaret sine praedeterminatione divina, quod non admittunt nec banneziani puri neque Muñíz.

c) Unde tandem aliquando: illa aversio, suspensio, deviatio motionis divinae (debet enim esse actus humanus, siquidem est impedimentum quod homo ponit motioni divinae et a quo pendet ut causa vel ut conditio sine qua non peccatum) est revera actio seu actus causaliter positivus.

3) Peccatum non est in mala deliberatione, sed formaliter in mala electione. Tamen

*a)* Si non praecedit mala deliberatio et Deus praedeterminat voluntatem humanam ad electionem, Deus esset auctor peccati.

*b)* Si praecedit mala deliberatio Deus iam praedeterminat voluntatem humanam ad actionem iuxta determinationem quam exigit natura impedimenti interpositi ab homine. Ergo iam apparet quomodo Deus non sit auctor peccati.

Resp. Nego. In utroque casu Deus esset verus auctor peccati. Voluntas nec magis nec minus potest facere quam quod illud ad quod praedeterminat decretum. Si in decreto infallibili creatura potest facere magis vel minus quam illud ad quod movet decretum tum scientia divina non explicatur infallibiliter.

## 1.256. V. Praemotio physica frustrabilis dependens ab scientia media (195).

Definitio.—Est motio seu qualitas transiens, a solo Deo prodiens, in voluntate recepta, applicans creaturam liberam ad agendum, sed quoad usum relicta in potestate voluntatis.

Patroni huius praemotionis sunt:

Ioannes Mz. de Ripalda (non est auctor ille de ente supernaturali), Pallavicini, De maría, Mattiussi, Billot, Van der Meersch, Parente, Remer, Pignataro, d'Alés, Gisquière...

Omnes in puncto capitali conveniunt quamvis in multis aliis dissentiant:

a) *Iuxta omnes* Deus videt per scientiam mediam quid faceret v. c. Petrus si eum poneret in determinatis adiunctis et si illum praedeterminaret physice quidem sed indifferenter. Tunc decernit ponere Petrum in illis adiunctis et dare ei praedeterminationem indifferentem.

b) *Iuxta alios* haec praemotio datur tantum ad actum indeliberatum voluntatis ut quid praevium ad actum liberum; et eo ipso sine nova praemotione iam voluntas habet sufficientem determinationem ad actum liberum.

*Iuxta alios* datur et ad actus voluntatis indeliberatos et ad actus voluntatis liberos.

*Iuxta alios* haec praemotio est indifferens et determinata a solo Deo ad talem actum; iuxta alios est indifferens et generalis ad omnes actus, quos tum potest ponere creatura; quod vero applicetur ad talem vel talem actum pendet a sola voluntate concurrente Deo.

**1.257.** *Argumentum.* Talis praemotio physica et indifferens:

a) *Est inutilis* in causis tum necessariis tum liberis ex iisdem rationibus, quas diximus loquendo de praedeterminatione banneziana: sine tali motione salvantur plenum dominium Dei supra causas secundas et plena dependentia creaturarum a Deo per concursum mediatum et immediatum simultaneum.

b) *Est insufficiens:* nam stante illa motione indifferenti, voluntas est in-

---

(195) Cardinalis Sforza Pallavicini, *De actibus voluntatis*, d. 6, 12.—De Maria, *Philosophia peripatetico-scholastica* (Romae, 1898), p. 365.—Billot, *De Gratia. Prolegomenon*, p. 1.—Urraburu, *Theod.*, 2, p. 894.—Mz. del Campo, *Theol. Nat.*, p. 383.—Hellín, *Teol. Nat.*, p. 826.—Gisquière, *Prael. Theod.*, 2, p. 286.—Curiosus tiro (pseudonimus), *Essai sur la determination exemplaire des futurs libres* (Paris, 1937), p. 68.—Hontheim, *Inst. Theod.*, p. 791.

differens ad agendum vel non agendum, ad ponendam hanc actionem vel aliam (secus non remaneret libertas). Quomodo tollitur haec indifferentia?

*Indigeret iterum alia motione* et haec alia et ita sine fine.

Si autem voluntas completa et corroborata per illam motionem potest vi sua nativa ex statu indifferentiae concurrente Deo transire ad actionem, non intelligitur cur ex propria natura et ex impressione in bonum ingenita a Deo non statim hoc possit per excellentiam suae virtutis activae.

c) *Multa sunt incommoda in hac sententia. Si inclinat* determinate, licet *indifferenter, ad actum malum*, Deus esset auctor peccati; si enim licet ei physice inclinare voluntatem ad peccandum, quare non liceret ei moraliter inclinare eamdem voluntatem suasionibus, etc... Hoc secundum reicitur. Ergo etiam primum. *Si inclinat* determinate, *licet indifferenter, solum ad bonum;* voluntas tamen in hoc casu potest eligere malum; si vero eligit et quidem non praemota ad malum, necessitas praemotionis iam non est universalis. *Si inclinat solum ad agendum*, praecisione facta ab eo quod actus secundus sit bonus vel malus et sola voluntas determinaret specificationem actus concurrente Deo hoc admitti non potest: nam tum voluntas creata praemoveretur a Deo, sed non a solo Deo, sed concurrente etiam creatura. Ad quid tum talis praemotio? Sufficiat ergo concursus simultaneus.

## ARTICULUS VI

### De concursu indifferenti

**THESIS 51. Concursus in actu primo seu decretum divinum concurrendi simul cum causa secunda libera in tempore opportuno, est intrinsece indifferens. Quare concursus in actu secundo principiative spectatus seu actualis cooperatio Dei determinationem actus voluntati creatae relinquit quin ideo voluntas volitionem aliquam sola efficiat.**

1.258. **Bibliographia.**—Suárez, DM, 22, s. 4, n. 14-26; *Opusc.*, l. 1, c. 14 et 17; *De gratia, Proleg.* 2, c. 8, n. 15-19; l. 3, c. 42.—Molina, *Concordia*, disp. 26.—Urraburu, *Theod.*, 2, p. 922.—Brosnan, *Theol. Nat.*, p. 325.—Loinaz, *Prael. e Theol. Nat.*, p. 397.—Lange, *De Gratia*, n. 626-649.—Schneeman, S. J., *Controversarium... initia et progressus* (Friburgi Br., 1881).—T. Regnon, S. J., *Báñez et Molina, bannezianisme et Molinisme* (1890).—Dumont, P., S. J., *Liberté humaine et concurs divin d'après Suárez* (Paris, 1936).—Bonet, *La filosofía de la libertad en las controversias teológicas del siglo XVI y primera mitad del XVII* (Barcelona, 1932).—Romeyer, S. J., *Libre arbitre et concurs selon Molina*, Greg (1942), 169-201. — Vansteenberghe, art. *Molinisme:* DTC, co. 2.095 ss.—Quillet, *Congruisme:* DTC, col. 1.120-1.138.—Hellín, *Theol. Nat.*, p. 834.—Mz. del Campo, *Theol. Nat.*, p. 387.—Gisquière, *Prael. Theod.*, 2, p. 268.

1.259. **Nexus.** Iam demonstratum est dari concursum immediatum tum in actu 2.º tum in actu 1.º et eo ipso demonstratum est dari concursum simultaneum. Etiam demonstratum est concursum esse solummodo simultaneum siquidem in thesibus praecedentibus reicimus omnem concursum praevium.

Haec thesis enuntiat veriorem solutionem, quae in indifferentia concursus simultanei consistit.

### 1.260. NOTIONES.

Concursus simultaneus in actu 1.º—Est decretum divinum, aeternum et absolutum, efficax et infallibiliter connexum cum operatione causae secundae, paratum iam ad concurrendum simul cum creatura in tempore opportuno.

*In triplici quasi stadio considerari potest* concursus in actu 1.º a) *In actu 1.º valde remoto* prout est virtus divina in decreto ab aeterno parata ante creationem et ante unionem virtutis cum creatura. b) *In actu primo remoto* post creationem creaturae et huic unita non praesentibus requisitis externis ad operationem. c) *In actu primo proximo* creaturae unita praesentibus externis requisitis sed in signo priori naturae ad operationem. Hoc sensu virtus divina est simul cum virtute causae secundae ut simul producant fieri effectus et effectum ipsum.

INDIFFERENS, i. e. non est determinativus humanae voluntatis, sed coniungibilis cum alterutro extremo libertatis.

INTRINSECE, i. e. spectata natura talis decreti voluntas manet indifferens ad agendum vel non agendum, ad agendum hoc vel illud.

**1.261.** CONCURSUS SIMULTANEUS IN ACTU 2.º (est concursus proprie dictus et est stricte simultaneus) est actualis cooperatio Dei simul cum creatura operante.

Potest considerari principiative et terminative.

*C. s. principiative* sumptus est virtus divina in actu 2.º operans simul cum creatura actionem seu fieri effectus et effectum ipsum. *C. s. terminative* seu passive sumptus est ipsa actio creaturae in quantum procedit a virtute divina in actu 2.º seu actu operante.

**1.262.** DETERMINATIO actus nihil aliud est quam positio huius actionis prae aliis possibilibus in determinatis circumstantiis facta ab illa causa, quae in signo priori naturae ad operationem ita operatur ut potuerit non operari.

Unde determinatio non est aliquid distinctum ab ipso actu 2.º, sed est ipse actus cum relatione seu connotatione ad causam liberam. Voluntas enim creata habens in actu 1.º omnia praerrequisita ad agendum non aliter se determinat nisi eliciendo actum secundum. Quaecumque alia determinatio prorsus superflua est et gratis fingitur.

## 1.263. STATUS QUAESTIONIS.

1) QUAERITUR qualis sit natura decreti divini seu qualis sit natura concursus in actu 1.º quo Deus coniungit suam omnipotentiam cum potentia creata ad producendum aliquam actionem et effectum.

2) DIFFICULTAS *generalis* seu pro omnibus in hac quaestione, ut iam diximus antea, est quomodo coniungi possint duae causae, causa prima et causa secunda ad operandum eandem actionem et effectum.

3) Difficultas *specialis* in systemate molinistico stat in modo quo Deus cognoscat futuribilia; et hanc quaestionem relinquimus iam solutam in praecedentibus. Et in modo quo coniungatur virtus divina cum virtute creata in eadem actione et in eodem effectu non modificando concursus divinus simultaneus in actu 1.º causam secundam intrinsece sed solum per assistentiam extrinsecam et cum subordinatione causae secundae ad primam et servatis attributis divinis et libertate creata. Hoc problema hic exponitur et solvitur.

4) INVESTIGAMUS insuper quis determinet efficienter et physice concursum in actu 2.º terminative spectatum seu ipsam actionem causae secundae.

5) In thesi defigimus mentem in actibus liberis, ubi adest difficultas; non vero in actibus necessariis, de quibus postea aliqua dicemus.

## 1.264. SENTENTIAE.

*1.ª sententia* est eorum, qui negant scientiam mediam et praeter concursum simultaneum admittunt aliquam praedeterminationem infrustrabilem natura sua. Sic *Banneziani, Iansenistae, non pauci dominicani* admittentes praedeterminationem intrinsecam moralem, *condeterministae...*

**1.265.** *2.ª sententia* est eorum qui propugnant scientiam mediam et concursum simultaneum indifferentem.

Ex his: a) *Aliqui* etiam requirunt aliquam praemotionem physicam indifferentem; b) *Alii* ut De San, Lahousse... dicunt sufficere concursum simultaneum indifferentem sed explicant peculiari modo activam determinationem voluntatis; est aliquid quod datur ante actum secundum volitionis; et non distinguitur realiter, sed tantum virtualiter ab ipso actu 1.º proximo volitionis, inde nec eget produci a voluntate creata, nec eget concursu divino, qui datur solummodo ad actum secundum et se accommodat activae determinationi, quae est natura prior ipso actu. c) *Quid sentiant generatim* Molinistae et Suareziani praesertim Molina, Bellarmino, Suárez, Lessio, etc... quoad essentialia, accurate iam exponendum est:

### 1.266. I. CONCURSUS MEDIATUS.

*a)* Deus movet voluntatem ad actionem, eam creando et ipsi dando inclinationem naturalem et necessariam in bonum qua tale et interpretative in beatitudinem ut ultimum finem.

*b)* Deus etiam facultatem conservat.

*c)* Eamque magis proxime movet concurrendo ad hoc ut bonum in particulari appetendum proponatur per intellectum, quod bonum sic propositum excitat in voluntate actus necessarios et indeliberatos (ad quemlibet actum deliberatum praesupponuntur necessario actus indeliberati intellectus et voluntatis v. c. complacentiae et desiderii, vel displicentiae et fugae) ut quid praevium relate ad actum liberum. Deus cum illis actibus necesariis etiam concurrit.

### 1.267. II. Concursus immediatus in actu 1.º, seu oblatus.

Insuper Deus debet esse paratus ad concurrendum ad actum secundum deliberatum seu ad liberam actionem voluntatis. Haec enim ad actionem transire nequit sine hoc concursu, qui est decretum applicativum omnipotentiae divinae seu est virtus divina parata ad concurrendum. Talis concursus est:

**1.268.** a) *Formaliter generalis*, tum quia datur sub titulo universali dependentiae creaturae a Deo tum quia inservit ad omnes et singulas actiones, quas tunc creatura efficere potest.

b) *Virtualiter particularis*, quia ad aliquam actionem particularem est virtualiter determinatus. Et quidem physice determinatur libere a sola voluntate divina; obiective vero determinatur a creatura quoad exercitium et specificationem eo quod creatura exhibeat suas exigentias seu actionem quam de facto poneret sub determinatis conditionibus et sub oblatione concursus ad omnia.

Cognita illa actione futuribilc a Deo per scientiam mediam, tum quia vult se accommodare exigentiis creaturae, non quia a creaturis moveatur ullo modo causaliter, statuit purificare illas conditiones et offerre concursum ad omnes et singulas operationcs quas tum potest ponere creatura et eo ipso vult virtualiter concurrere ad illam actionem particularem. Unde decretum non est nisi unum, quod est generale et simul virtualiter particulare.

**1.269.** c) *Formaliter indifferens intrinsece,* i. e. natura sua est coniungibilis cum omnibus et singulis actibus, quos creatura in illis circumstantiis ponere potest.

*Extrinsece* vero, illud idem decretum generale et indifferens intrinsece, est ut diximus virtualiter determinatum et particulare in quantum creatura illud de facto ad unum ex extremis adhibebit, quod Deus de facto praescivit per scientiam mediam.

**1.270.** d) *Efficax* et *infallibiliter* connexus cum actu determinato iam in actu 1.° in quantum est causa actus seu antecedenter ad futuritionem absolutam actus liberi et prius quam ille actus cognoscatur a Deo ut absolute futurus. Unde est infallibilis triplice infallibilitate: —*ontologica* quia decretum realiter et certissime coniungetur cum actu; —*intellectiva* quia Deus illam coniunctionem certissime cognoscit; —*affectiva* quia Deus efficaciter vult (sive intendendo sive permittendo) ut de facto talis actus particularis sequatur.

Sed, nota bene, efficacia et infallibilitas decreti provenit ab aliquo penitus extrinseco ipsi decreto, nempe ab exigentia creaturae (ab actione quam ponet de facto libere creatura) et ab scientia media per quam Deo manifestatur; et utrumque est in potestate voluntatis humanae.

**1.271.** e) *Est absolutus et categoricus* ex parte Dei et inde est realiter datus: decerno concurrere... sed simul est aequivalenter conditionatus, nostro enim modo concipiendi ita efformatur decretum: Decerno concurrere ad omnes actus possibiles et inde ad actum particularem A, si tu etiam concurris de quo non dubito siquidem certus sum per scientiam mediam.

f) *Non est simpliciter antecedens* liberam determinationem creaturae, ut est decretum praedeterminans, sed potius consequens quia supponit certam ac distinctam praevisionem per scientiam mediam eorum quae voluntas operatura sit si decernatur concursus.

### 1.272. III. Concursus immediatus in actu 2.°

Tandem venit ipsa actualis cooperatio divina cum actione creaturae seu concursus simultaneus in actu 2.°, qui terminative spectatus est ipsa actio creaturae prout a virtute divina procedit. Hic concursus terminative spectatus:

a) *Non est generalis aut indifferens* siquidem est, ut diximus, ipsa actio concreta, temporalis et finita creaturae.

**1.273.** b) *Determinatur efficienter et physice* a creatura et a sola creatura: a Deo enim pendet tamquam a causa efficiente, a creatura vero tamquam a causa efficiente et eligente:

—*quoad exercitium* eo quod creatura in signo priori naturae ante illam elec-

tionem habet in manu sua facere ut sit vel non sit actus; quod non est in manu Dei iam in illo signo, quia se obligavit libere facere quod exigat creatura;

—*quoad specificationem* eo quod in signo priori naturae ante illam actionem creatura habet in manu sua ut actus sit talis vel talis speciei.

*Quoad individuum determinatur a solo Deo*, quia creatura non habet ullum principium quo determinet magis unam individuam actionem quam aliam inter infinitas possibiles uniuscuiusque speciei. Deus per scientiam mediam cognoscit speciem actionis et actionem individuam, quam poneret creatura si daretur ei concursus ad omnes species possibiles actuum in illis circumstantiis et solum ad talem individuam actionem. Iam vero Deus dat creaturae concursum praedictum ad omnes species possibiles actuum in determinatis circumstantiis (et praesupposito quod creatura se determinet ad talem speciem actus, quod iam cognovit Deus per scientiam mediam) sed solum ad talem individuam actionem et sic determinat illam quin voluntas praedeterminetur antecedenter ad electionem speciei actus.

**1.274.** c) *Haec determinatio* seu positio talis actus a voluntate creata non est aliquid praecedens ipsum actum secundum, non datur volitio ad volitionem, sed est ipse actus secundus cum connotatione ad causam liberam in illo signo et illi ut responsabili adscribitur.

**1.275.** d) *Unde Deus et creatura agunt:*

—*simul tempore:* quia determinatio actus est ipse actus secundus, qui sine cooperatione divina poni non potest. Ergo causa secunda in nullo signo potest se determinare prius tempore quam adsit cooperatio divina; *simul natura* quia in effectione rei utraque causa simul agunt, et ab invicem suo modo dependent. Unde determinatio causae secundae non est causa cooperationis divinae, nec cooperatio divina in tali modo agendi, qui sit liber causae secundae, potest efficere eius determinationem ut talem, quae a solo influxu simultaneo causae secundae pendet. *Logice prius*, ut ita dicam, prius est determinatio causae secundae quam cooperatio divina: actio causae secundae fit secundum indolem ac determinationem creaturae; si est determinatio creaturae et cooperatio divina esse tenetur; si ipsa non est nec cooperatio esse tenetur. Et sic quod concursus divinus sit hic et non alius pendet ab electione creaturae tamquam a conditione obiectiva, entitativa, simultanea.

**1.276.** e) Tandem supposito decreto concurrendi, Deus ligatus manet ad concurrendum quoties causa secunda praesentibus requisitis agere velit, sed talis ligatio Dei est libera eo ipso quod voluit creaturam liberam.

Et si verum est quod terminus omnipotentiae divinae fit diversus secundum diversam decisionem voluntatis humanae, haec decisio pro Deo, ut paulo antea diximus, se habet non per modum causae, sed tantum ad instar conditionis.

## PROBATUR.

**1.277. 1.ª Pars.** DECRETUM EST INDIFFERENS.

Deus applicat suam omnipotentiam ad concurrendum cum creatura per decretum cohaerens cum libertate humana salvis etiam attributis divinis. Atqui

solus concursus simultaneus indifferens datus sub scientia media haec obtinet. Ergo admittendus est solus concursus simultaneus indifferens.

*Maior.* Patet.

*Minor.* 1) *Salvatur libertas humana:* causa secunda est vera causa siquidem vere agit; et quidem agit libere, quia antecedenter potest cooperationi divinae resistere expeditissime, eo quod nulla principia eam inffalibiliter ad unum determinent. Agit vero omnino dependenter a Deo, siquidem creatura sine cooperatione divina nihil facere potest.

2) *Salvantur Omnipotentia* et *dominium Dei:* quia omnia quae fiunt, fiunt dependenter a Deo: virtus creata, praerrequisita, actio causae secundae et eiusdem effectus, ut iam diximus, cadunt omnino sub dominio Dei; sicut in genere omnis cursus eventuum, quia posita scientia media, in manu Dei est verificare tales vel quales circumstantias et offerre vel non offerre concursum.

3) *Salvatur triplex infallibilitas decreti:*

a) *Ontologica*, quia supposita veritate futuribilis et purificata conditione per decretum, conditionatum infallibiliter de facto ex decreto sequetur; b) *intellectiva*, quia Deus cognoscit certo et veritatem futuribilis et purificationem conditionis per decretum. Ergo etiam cognoscit certo coniunctionem decreti cum conditionato; c) *affectiva*, quia Deus cognoscit veritatem futuribilis et vult efficaciter (approbative vel permissive si agitur de actibus malis) purificare conditionem. Ergo etiam vult efficaciter ut actus ex decreto sequatur.

4) *Salvatur independentia Dei*, quia creatura nullam causalitatem exercet in Deum, ut explicatum manet in expositione systematis; etsi verum sit quod supposito decreto Deus iam manet ligatus ad concurrendum quoties creatura agere velit, haec ligatio est libera ex parte Dei.

5) *Salvatur sanctitas Dei*, nam Deus est vera causa omnium eventuum per concursum physicum immediatum, sed diverso modo se habet moraliter relate ad illos. *Quoad eventus bonos* vult eos voluntate antecedente et est causa per se eos intendendo, approbando, exhortando ad illos et praestat concursum cum ea intentione ut actus bonus fiat a creatura, quae in hoc casu determinat concursum divinum iuxta voluntatem Dei antecedentem.

*Quod attinet ad actus malos*, Deus eos prohibet et detestatur voluntate antecedente. Est vera causa siquidem vere influit in illos, non tamen est causa per se intendendo et approbando illos, sed solum est causa per accidens mere permissiva et donat concursum generalem cum ea intentione ut vitentur cum libertate et merito. Unde sola creatura determinat actionem malam (determinando concursum Dei contra voluntatem antecedentem) et ipsa sola est responsabilis peccati, non Deus, quia in nostra sententia agendo de peccatis totum permittit tam entitatem physicam quam malitiam peccati.

**1.278. 2.ª Pars.** CAUSA SECUNDA DETERMINAT ACTUM.

Cum duae causae operantur unam actionem illa dicitur determinans quae in signo priori naturae ad illam ita operatur ut potuerit non operari. Atqui Deus et creatura operantur unam actionem et sola creatura in signo priori naturae ad actionem ita operatur ut potuerit non operari.

Ergo sola creatura determinat actum secundum.

*Maior.* Patet: ille enim dicitur eligere, determinare actionem qui efficit illam non quomodocumque sed qui efficit illam ita ut in eius potestate sit ut actio ponatur vel non ponatur.

*Minor.* Voluntas creata positis omnibus praerrequisitis ad agendum tum ex parte causarum ut sunt iudicium indifferens, vis propria voluntatis...; tum ex parte Dei ut concursus paratus ad concurrendum secundum exigentias creaturae... in signo priori naturae ad actionem habet in sua manu applicare vel non applicare suam virtutem (non sine concursu Dei); ponere vel non ponere actum, ponere hunc actum vel illum (non ex eo quod voluntas sola sit agens omnino completum et sit in actu virtuali adaequato et in potentia formali relate ad actum secundum; completur enim concursu simultaneo Dei per assistentiam extrinsecam et concursus recipitur non in voluntate creata, sed in ipsa actione et effectu) propter suam libertatem seu indifferentiam activo electivam. Unde operante voluntate creata, operatur simul et adiuvat illam Deus ut operetur; non operante voluntate creata nec Deus simul operatur nec adiuvat illam.

Deus in signo priori naturae ad actionem manet ex suo decreto ligatus ad concurrendum quoties causa secunda praesentibus omnibus requisitis agere velit.

**1.279. 3.ª Pars.** QUIN IDEO VOLUNTAS VOLITIONEM ALIQUAM SOLA EFFICIAT.

Si determinatio esset actus novus distinctus ab actu secundo volitionis, tum certe voluntas volitionem aliquam sola efficeret. Atqui determinatio non est novus actus, sed ipse actus secundus cum mera connotatione seu relatione ad causam indifferentem, quae ita operatur ut potuerit non operari. Ergo voluntas volitionem aliquam sola non efficit.

*Maior.* Patet, quia diximus in parte praecedenti determinationem sub ratione formali determinationis procedere a sola voluntate. Ergo si esset aliquis actus novus, aliqua entitas positiva in rerum natura procederet a sola creatura, quod admitti non potest.

*Minor.* Constat ex his, quae diximus in notionibus.

**1.280. SCHOLIUM I.—De concursu Dei ad peccatum** (196).

1. QUOAD ENTITATEM PHYSICAM PECCATI. Deus est *vera causa* et quidem conscia entitatis physicae peccati, nam vere influit immediato concursu in illam; *non mere unitur* ei qui influit sicut v. c. musicus unitur architecto in domo efficienda; *nec est mera occasio* ut v. c. constructor domus respectu litigii de domo suscitati; *nec concurrit casualiter* et inconscie ut v. c. ille qui interficit hominem putans esse belluam; *nec est causa determinativa illius*, nam ut diximus actus secundus voluntatis humanae pendet a Deo tamquam a causa efficiente; a creatura vero tamquam a causa efficiente et eligente et inde etiam determinante actionem; *nec est causa per se*, quae intendat et inde approbet illam, sed solum est causa per accidens, quae nec intendit nec approbat sed illam mere permittit, quatenus non vult impedire terminum ab alio electum et determinatum.

---

(196) LOINAZ, *Prael. e Theol. Nat.*, p. 408.

**1.281.** 2. QUOAD IPSAM MALITIAM PECCATI. Deus non est causa ullo modo peccati formaliter sumpti seu ipsius malitiae: eam nec facit nec intendit ullo modo, sed mere permittit.

**1.282.** 3. *Unde Deus in nostra sententia* totum, quod est in actu malo, tam entitatem physicam quam ipsam malitiam mere permittit. Permittere autem peccatum non fert secum esse auctorem peccati si dentur bonae rationes ad illud permittendum et potest stare in Deo cum sincera illius aversione ac detestatione, quae vere nolit illud fieri, non quidem nolitione vel odio simpliciter efficaci secus enim illud impediret, sed tantum inefficaci; aut etiam, si vis, efficaci quantum ex parte sua salva libertate.

Si vero intenderet antecedens seu entitatem physicam peccati etiam intenderet consequens seu ipsam malitiam inseparabiliter coniunctam cum entitate et tum esset verus auctor peccati.

**1.283.** 4. *Quaenam tandem est causa responsabilis peccati?*

Solus homo seu sola libertas humana, quae utrumque causat et intendit: et quidem per se intendit entitatem physicam actus mali; per accidens etiam intendit ipsam malitiam formaliter sumptam.

**1.284. SCHOLIUM II.—De concursu Dei cum causis necessariis** (197).

*Scientia simplicis intelligentiae conditionalium* versatur circa ea quae causa necessaria operaretur necessario in determinatis adiunctis. *Scientia media* versatur circa ea quae causa libera operaretur libere in determinatis adiunctis. Age vero 1) Deus scientia simplicis intelligentiae cognoscit determinatum futurum conditionatum necessarium seu quid faceret causa secunda necessaria in determinatis circumstantiis si haberet concursum quem exigit natura sua. 2) Deus decreto absoluto decernit ponere causam secundam in illis circumstantiis et offerre illi concursum quem exigit natura sua.

*Hoc decretum:* est determinatum *obiective* a causa secunda quoad exercitium et specificationem.—Est *indifferens* hoc sensu, non quia sit coniungibile pluribus actibus in illis circumstantiis, tantum unicus actus est possibilis, sed quia est decretum *accommodatum* a Deo exigentiis creaturae.

3) Est *absolutum* et *categoricum* quia Deus decernit absolute et categorice dare illum determinatum concursum unice ad talem actum determinatum necessarium; agitur enim de causa necessaria, quae pro singulis circumstantiis non potest facere nisi unum. Et sic decretum hoc non est aequivalenter conditionatum: «Si tu etiam ponis actum vel si tu ponis hunc actum et non alium», ut diximus loquendo de causis liberis, quae possunt pro lubitu facere multa in illis circumstantiis.

4) *Concursus in actu secundo terminative* spectatus seu ipsissima actio causae secundae necessariae determinatur efficienter et physice a creatura concurrente Deo.

**1.285. SCHOLIUM III.—De praedefinitionibus** (198).

1. *Praedefinitio* est decretum divinae voluntatis quo positive, absolute et efficaciter statuit ut aliquid fiat in tempore v. c. volo absolute ut Petrus faciat actum amoris.

Tale decretum est actus immanens Dei et datur ab aeterno in Deo independenter et antecedenter ad liberam determinationem creaturae absolute futuram et ad praescientiam actus absolute futuri.

*Quidam prisci* scholastici negant tales praedefinitiones.

*Alii* admittunt solum praedefinitiones virtuales.

---

(197) SUÁREZ, DM 22, s. 4, n. 3-9.

(198) SUÁREZ, *Opusc.* I, l. 1, c. 16; l. 2, c. 7; l. 3, c. 17; item II, l. 1, c. 6, n. 4-7; *De Gratia*, l. 5, c. 50.—VÁZQUEZ, In I, d. 99, n. 43.—BERAZA, *De Gratia*, p. 582.—LANGE, *De Gratia*, p. 653.—URRABURU, *Theod.*, 2, p. 273.—HELLÍN, *Theol. Nat.*, p. 858.—DALMAU, *De Deo uno* (BAC, 1952), p. 207.

*Alii* admittunt praedefinitiones sive virtuales sive formales, sed non consentiunt inter se utrum Deus praedefiniat omnes actus bonos sive ordinis naturalis sive supernaturalis, nec conveniunt circa modum illos praedefiniendi.

*Multi* censent non omnes actus bonos ordinis naturalis praedefiniri sed illos tantum qui necessarii sint aut de facto ordinantur ad finem aliquem efficaciter intentum a Deo.

*Auctores satis communiter* agnoscunt praedefinitiones singillatim ad omnes actus supernaturales quamquam circa modum adest varietas sententiarum.

Quod detur aliqua praedefinitio actuum bonorum, saltem virtualis est certissimum. Nulla autem certitudine constat quod dentur praedefinitiones formales.

**1.286.** 2. *Praedefinitio virtualis* est illa, quae intendit absolute et efficaciter immediate auxilia sub quibus ille actus praevidetur verificandus; et simul ratione vel melius mediate consequenter, virtualiter vult etiam absolute et efficaciter actum, sed solum in quantum infallibiliter est connexus cum tali auxilio.

Unde praedefinitio virtualis sive in essendo sive in operando debet esse dependens a scientia media ut salvetur libertas creaturae. Sic: Video per scientiam mediam Petrum facturum talem actum si ipsi darentur talia auxilia: Volo absolute illum actum in quantum cum his mediis video obtinendum, si vero cum his mediis adhuc non viderem obtineri talem actum, non darem alia media.

*Iuxta multos auctores iesuitas:*

a) *Dantur solum praedefinitiones* virtuales dependentes ab scientia media in essendo in operando *circa omnes* et *solos actus bonos*, qui de facto fiunt et quidem in particulari et cum omnibus circumstantiis et non solum in genere et in communi.

Deus enim habet voluntatem antecedentem, veram et sinceram, sed inefficacem ut omnes homines bene operentur.

Item per scientiam mediam videt quid quisque homo faceret in singulis circumstantiis cum concursu proportionato.

Sub scientia media dat decretum generale et indifferens quo Deus vult absolute, efficaciter et immediate purificare conditiones (hoc ex solo Deo dependet), ponere creaturam in determinatis adiunctis et offerre concursum ad omnia in illis circumstantiis et sic dare auxilia apta sub quibus vidit actus bonos esse faciendos.

Quoniam illud decretum est simul virtualiter particulare, vult virtualiter concurrere ad talem actum A particularem.

Unde Deus vult absolute et efficaciter mediate omnes actus bonos et in particulari actum A priusquam tales actus cognoscantur a Deo ut absolute futuri. Iam vero in hoc consistit praedefinitio virtualis.

b) *Circa actus malos*, qui fient, nulla datur praedefinitio virtualis. Deus enim habet voluntatem antecedentem prohibentem illos et quidem veram et sinceram, sed inefficacem, ne fiant. Item per scientiam mediam cognoscit quid quisque homo faceret in singulis circumstantiis cum concursu proportionato.

Deus dat decretum generale et indifferens sub scientia media quo vult immediate purificare conditiones seu offerre media apta ut fiant actus boni.

*Circa actus bonos, qui non fient*, datur in Deo voluntas antecedens, et inefficax ut fiant. *Si vero fiant actus mali* a creatura determinati, Deus prohibet illos moraliter, sed non cohibet physice, mere permittit, non vero praedefinit illos.

**1.287.** 3. *Praedefinitio formalis* est illa quae absolute et immediate intendit actum a creatura eliciendum; mediate vero et per modum consequentiae vult media seu auxilia salutaria ad eius effectionem necessaria.

Unde prius ratione Deus absolute et efficaciter vult actum creaturae, quam Deus in particulari decernat auxilium per quod hic actus efficiendus est.

**1.288.** A) *Praedefinitio formalis absolute independens ab scientia* media tam *in essendo* seu in intentione quam *in operando* seu in executione: est illa quae est simpliciter antecedens et efficax ab intrinseco: volo absolute, praelucente scientia simplicis intelligentiae, hunc actum fieri a Petro; ad eius executionem do aut decretum praedeterminans aut praedeterminationem physicam aut decretum condeterminans.

Tales praedefinitiones formales ad omnes actus tam bonos quam malos omnino independentes ab scientia media admissae a thomistis et scotistis reiciendae sunt:

quia tollunt libertatem creatam et faciunt Deum auctorem peccati: absolute enim Deus decernit actum et etiam seligit media, quae absolute et essentialiter ex natura sua inferunt illum.

**1.289.** B) Praedefinitio formalis *independens ab scientia media in essendo, dependens vero in operando*, in exsecutione: est illa, quae determinat absolute, antecedenter et independenter ab scientia media actum bonum et postea quaerit per scientiam mediam auxilia apta, quibus illum actum obtineat efficaciter et libere et illa media eligit. Tales praedefinitiones quoad omnes et solos actus bonos sunt minus congruae libertati creaturae, siquidem sunt absolutae et infrustrabiles ab intrinseco utpote independentes in essendo ab scientia media. Ergo etiam reiciendae sunt.

**1.290.** C) *Praedefinitio formalis dependens ab scientia media in essendo* et *in operando* est illa quae et datur sub scientia media et sub illa etiam exsecutioni mandatur. Sic:

Deus cognoscit per scientiam mediam auxilium A, si daretur, obtenturum esse talem consensum seu actum Petri. Hoc posito: Volo absolute ut Petrus ponat hunc actum bonum et ad hoc dabo illi auxilium A, quod per scientiam mediam vidi futurum efficax.

**1.291.** Haec praedefinitio potest esse:

*Omnino absoluta*, si Deus omnino efficaciter absolute intendit ut Petrus ponat talem actum ita ut de se dispositus esset ad exhauriendum universum

thesaurum auxiliorum et teneatur auxilium efficax ex omnibus possibilibus eligere ut actus obtineatur.

*Absoluta secundum quid:* si Deus efficaciter intendit ut Petrus ponat talem actum, dependenter tamen a determinato numero auxiliorum, quae si Deus non videat efficacia non vult iam actum. Hoc sensu reducitur ad praedefinitionem virtualem.

Hae praedefinitiones sive ad omnes et solos actus bonos, sive saltem ad quosdam actus bonos v. c. ad actus B. M. Virginis, apostolorum, plurimorum sanctorum, etc...:

*Si sunt omnino absolutae* videntur iuxta plures pugnare cum libertate creata. *Si sunt absolutae secundum quid* (reducuntur ad praedefinitiones virtuales) non sunt nocivae libertati creaturae et communiter accipiuntur ab auctoribus S. J., quia quamvis duratione praecedant actum in tempore ponendum a voluntate creata, cum tamen praesupponant scientiam mediam, non sunt simpliciter antecedentes sed intentionaliter ac logice posteriores sunt ac proinde non imponunt necessitatem simpliciter antecedentem, sed tantum consequentem.

**1.292.** N. B.—Datur aliqua discrepantia inter congruistas (SUÁREZ, BELLARMINO, LUGO, R. DE MONTOYA et multi alii...) et puros molinistas.

Illi ante decretum generale et indifferens de offerendo concursu ponunt praedefinitionem formalem ad actus bonos: hi vero nullam ponunt praedefinitionem formalem ad actus bonos ante decretum generale et indifferens de offerendo concursu, sed solummodo voluntatem antecedentem seriam, sed inefficacem ut omnes homines bene operentur.

Sed differentia, ut vides, non attingit decretum offerendi concursum et insuper concurrendi in tempore opportuno.

**1.293.** 4. *Praedefinitiones tum virtuales tum formales dependentes omnino ab scientia media:*

*Sunt medium aptum*, si dantur, ut Deus cognoscat in illis libera absolute futura. *Non* vero sunt medium *universale:* non enim praedefiniuntur omnes actus, saltem actus mali. *Praesupponunt* et fundantur in scientia media, unde non possunt esse prima ratio cognoscendi illa futura.

*Praedefinitiones formales* non sunt necessariae ad explicandam providentiam divinam: omnia optime explicantur per decretum absolutum generale et indifferens datum sub scientia media offerendi concursum et concurrendi in tempore opportuno.

*Utrum de facto admittendae sint* est quaestio solvenda ex documentis theologicis a quibus praescindimus, amandando ad theologos hanc questionem.

**1.294. OBIECTIONES** contra thesim.

1. Si concursus est indifferens Deus caece concurrit. Atqui hoc magnam imperfectionem importat in Deo. Ergo concursus non est indifferens.

Resp. Disting. mai. Si intrinsece et extrinsece indifferens est et qua talis paratur C.; si extrinsece plene determinatus est idque Deo innotescit N.

Conc. min. et disting. cons.

Atqui concursus non potest esse intrinsece indifferens. Ergo...

2. Si concursus est indifferens ad actum A, accidere posset ut actus A non sequatur. Atqui hoc admitti non potest. Ergo concursus non potest esse intrinsece indifferens.

Resp. Disting. mai. spectata natura talis concursus... C.; extrinsece seu si spectetur quatenus subest scientiae mediae, de facto continget illud N.

Contrad. min.

Atqui si concursus est extrinsece plene determinatus etiam intrinsece potest esse talis. Ergo...

3. Deus inutilia non decernit. Atqui si Deus vidit per scientiam mediam quem actum voluntas eliceret, et tamen decernit dare concursum ad alios actus possibiles in illis circumstantiis, inutilia decernit. Ergo si concursus est extrinsece plene determinatus, etiam intrinsece potest esse talis.

Resp. Conc. mai. et nego minorem.

Explicatio: Deus praescit actum, si offerat sufficientem concursum ad omnia sine quo nihil potest voluntas operari. Hic autem sufficiens concursus ad omnia, ut in hac conditionali inclusus, talis esse debet ut etiam in statu absoluto sit indifferens et sufficiens pro aliis actibus, secus periret libertas.

Atqui concursus intrinsece indifferens facit Deum dependentem a creatura. Ergo non datur.

4. Concursus intrinsece indifferens omnipotentiam divinam ad placitum nostrum determinaret. Atqui hoc admitti non potest. Ergo nec concursus intrinsece indifferens.

Resp. Disting. mai. physice et subiective N.; extrinsece et obiective subd. ex necessitate Deo a creatura imposita N.; ex libera dignatione Dei iterum subd. sub absoluto dominio Dei C.; secus N.

Contrd. min.

Atqui omnino dependeret Deus a creatura. Ergo...

5. Causa concurrens iuxta placita alterius, ab hoc altero omnino pendet. Atqui in sententia concursus simultanei Deus semper concurrit ad placitum creaturae. Ergo a creatura omnino pendet.

Resp. Disting. mai. Si ita concurrit ex propria natura et indigentia C.; si ex dignatione subd. si tolleretur dominium supra illam C.; secus N.

Contrd. min.

Atqui si concursus est indifferens Deus semper ex indigentia ageret ad placitum creaturae. Ergo...

6. In tua sententia Deus concurrit semper determinatus a creatura. Atqui qui concurrit semper determinatus ab alio ex indigentia hoc facit. Ergo in tua sententia Deus semper ageret ex indigentia, ad placitum creaturae.

Resp. Disting. mai. proprie atque effective, causaliter N.; obiective et improprie subd. ita ut causa decernendi sit exigentia creaturae N.; ita ut sit... quia Deus vult C.

Contrd. min.

Explicatio: Determinatio propria et effectiva importat dependentiam et subiectionem in illo, qui determinatur, siquidem peragitur per quamdam motionem in eo causatam, quae est motivum actus. Determinatio pure obiectiva non importat ullam motionem causatam in eo, qui determinari dicitur, sed solum ille, qui determinat exhibet rationem seu exigentias suas vel conditionem extrinsecam ut aliquis se libere ad aliquid faciendum applicet aut determinet.

Atqui Deus determinaretur proprie et effective a creatura. Ergo...

7. In sententia concursus simultanei indifferentis Deus exspectat determinationem voluntatis humanae ut concurrat, nec concurrit nisi sub conditione quod illa se determinet. Atqui hoc infert determinationem propriam et effectivam. Ergo Deus determinatur proprie et effective a creatura.

Resp. Disting. mai. Exspectat in sensu proprio (i. e. exspectatione causali quasi creatura aliquid ageret in Deum vel sine Deo; vel exspectatione temporali quasi Deus non ab aeterno decreverit omnia, quae fiunt) N.; in sensu improprio eo quod Deus respiciat exigentias creaturae et illi se accommodet ita ut non velit prius quam voluntas inchoare actionem, nec aliam speciem actionis elicere nisi quam praevidit fore concursu a se oblato C.

Contrad. min.

Explicatio: Voluntas se determinat: *a)* Non prius tempore quam cooperatio exsistat, ut patet; cooperatio enim simul tempore cum operatione est; determinatio autem eadem operatio est cum connotatione. *b)* Nec prius natura quam cooperatio divina quia determinatio non causat cooperationem.

*c)* Sed concurrunt simul, actio vero fit secundum indolem ac determinationem creaturae, non secundum determinationem et indolem determinatam a Deo et ita explicanda est locutio: ego concurro si tu etiam concurris.

Unde Deus debet praescire prius determinationem futuribilem factam cum concursu hypothetico Dei ut accommodet ad illam concursum actualem, sed non debet prescire determinationem futuram vel actualem. Unde creatura se determinat physice sed non sine concursu Dei; et determinat obiective non physice concursum seu decretum Dei.

Et sic datur plena simultaneitas inter determinationem creaturae et cooperationem divinam et plena identitas realis actionis creaturae et actionis Dei.

8. Deus haberet maius dominium si non haberet tales exspectationes, accommodationes, determinationes... ad placitum creaturae.

Ergo theoria concursus simultanei minuit dominium Dei.

Resp. Dist. antec. maius dominium et compossibile cum libertate humana et necessarium ex exigentia dominii N.; aliter Tr.

9. Si admittitur solum concursus simultaneus Deus esset agens extrinsecum respectu voluntatis, siquidem influit immediate in actionem et effectum non in facultatem. Atqui hoc admitti non potest. Ergo non sufficit determinatio impropria per concursum simultaneum.

Resp. Dist. mai. Deus esset agens plane extrinsecum N.; partim intrinsecum partim extrinsecum, C.

Explicatio: Verum est quod Deus praecise ut immediate concurrens in actu secundo, solum immediate in actionem et in effectum, non in voluntatem influit. Sed est agens intrinsecum cum:

*a)* creet causam secundam et conservet, det facultates et virtutes easque conservet cum causa secunda operatur et dum operatur;

*b)* per suam immensitatem sit intime praesens voluntati;

*c)* insuper per concursum immediatum in actu primo oblatum vel etiam in actu secundo seu iam datum principiative sumptum compleat causam secundam ita ut sine illo concursu nihil creatura possit agere, posito illo concursu creatura potest agere, nam facit ut creatura faciat. Unde virtus divina et virtus creata immediate simul tempore et natura sive causalitate influunt ita ut unus sit effectus, una actio quae est via ad effectum.

10. Conditio est prior conditionato. Atqui cooperatio creaturae est conditio et cooperatio divina est conditionatum. Ergo non concurrunt simul.

Resp. Conc. mai. et nego minorem.

11. Si decretum est indifferens et actus tam bonus quam malus determinatur a creatura, tum Deus eodem modo vult actus bonos et malos. Atqui hoc est contra sanctitatem Dei. Ergo decretum indifferens non salvat sanctitatem Dei.

Resp. Nego maior.

Explicatio: Cfr. argumentum I—salvatur sanctitas Dei—.

12. Cum aliqua propositio conditionalis est vera et purificatur conditio necessario sequitur conditionatum. Atqui propositio de futuribilibus liberis est vera et decretum absolutum indifferens purificat conditionem. Ergo futuribile necessario sequitur.

Resp. Dist. mai. In propositione stricte conditionali C.

In propositione late conditionali Subd. necessario sequitur conditionatum necessitate antecedente N; necessitate consequente positionem actus C.

Conc. min. et dist. pariter consequens.

13. Qui efficit determinationem determinat. Atqui Deus efficit determinationem. Ergo Deus determinat actum.

Resp. Disting. Maior. Qui efficit determinationem utcumque, determinat Nego. Qui efficit determinationem cum potestate hic et nunc omittendi illam Concedo.

Explicatio: Deus creaturae dat esse et operari, sed non ideo actus immanentes creaturae sunt actus immanentes Dei. Deus facit actum vitalem sed Ipse non eo vivit. Deus efficit tuam sensationem et intellectionem nec tamen dici potest per actum illum sentire, intelligere; Deus

efficit operationem per quam mereris, nec tamen meretur, facit tuam deambulationem nec tamen deambulat. Cur ita?

Quia denominationes istae non solum important causalitatem et efficientiam sensationis, intellectionis... scd praeterea certum aliquem modum vel respectum efficientiae significant. Eodem modo determinare aliquem actum dicit efficientiam et respectum quemdam, qui tribuendus est illi, qui ponit actum ita ut in illo signo sit in sua potestate non ponere illum.

14. Voluntas positis omnibus praerrequisitis ad agendum etiam cum concursu simultaneo iam parato, adhuc est in potentia ad operandum.

Atqui aut sola voluntas determinat transitum de potentia ad actum et tum est agens omnino completum et est in actu virtuali adaequato et in potentia formali ad actum; aut transitus de potentia ad actum determinatur etiam a Deo et tum Deus etiam determinat actum secundum contra dicta. Ergo illa determinatio actus non apparet a quo proveniat.

Resp. Conc. mai.

Disting. min. Actus determinatur a sola voluntate creata concurrente Deo C.; a sola voluntate non concurrente Deo N.

Explicatio: Virtus creata et virtus divina sunt causa completa actionis causae secundae. Sed, ut diximus, concursus divinus non recipitur in voluntate ante actionem, sed in ipsa actione; unde voluntas creata antequam actu agat cooperante Deo est indifferens ad agendum vel non agendum propter suam libertatem, est potens agere et actu non agens, inde est incompletum agens, unde non est in actu virtuali adaequato et in potentia formali respectu actus secundi.

15. Electio seu determinatio actus vel est aliquid vel est nihil. Si primum aliquid in rerum natura ponitur independenter a Deo. Si secundum creatura non determinat concursum.

Resp. Unica adest realitas, quae est actio creaturae concrete exsistens, hinc actio determinata, quae producitur ab utraque causa; respectus vero singuli singulis causis necessario attribuendi sunt.

Unde electio est aliquid, sed non est aliquid realiter distinctum ab ipso actu, sed tantum ratione et addit supra actum relationem quamdam; unde actus totus quantus efficienter provenit a Deo et a creatura et sic etiam electio seu determinatio provenit efficienter a Deo; a creatura autem tamquam a causa efficiente et eligente.

16. Electio seu determinatio est aliqua connotatio. Ergo tota responsabilitas ponitur in mera connotatione.

Resp. Concedo Ant. et nego consequens.

Actus dicit connotationem ad causam liberam, quae est vere responsabilis: libertas enim proprie est dos intrinseca voluntatis; actui vero et effectui tribuitur per connotationem extrinsecam ad voluntatem liberam seu ad facultatem ita illos elicientem ut potuerit non elicere. Unde responsabilitas pendet ab illa connotatione et a voluntate libere eligente.

17. Iuxta Lahousse, De San et alios activa determinatio voluntatis non est identica cum actu secundo, sed natura prior tali actu et procedit a sola voluntate creata. Ergo non est verum quod determinatio sit ipse actus secundus cum aliqua connotatione.

Resp. Conc. antec., sed nego consequens, illa enim sententia est falsa.

18. Haec activa determinatio non dicit entitatem distinctam ab actu primo proximo, sed distinguitur ab eo tantum distinctione rationis ratiocinata. Est tantum nova formalitas, non vero entitas nova... inde non eget concursu divino. Ergo...

Resp. Nego antecedens.

Explicatio: Causa secunda non se determinat nisi ponendo actum secundum; omnis alia determinatio superflua est et gratuita. Si iam plene determinata sit voluntas praevie ad actum secundum volitionis, ad quid requiritur adhuc actus secundus?

19. Arguo cum Thoma de Molina (pseudonimus): Solus Deus operatur per nos omnia elementa positiva actus liberi sive boni sive mali. Utrumque impedire possumus, si non impedimus nobis adscribitur. Et quidem in hac omisssione voluntaria actus oppositi habetur elementum formale libertatis.

Resp. Nego totum, siquidem omnes partes creaturae in suis operationibus in aliquo mere negativo reponuntur; quod es falsum.

## ARTICULUS VII

### De Providentia et gubernatione divina

**THESIS 52. Deus de omnibus rebus, praesertim de homine, providentiam gerit et omnia etiam immediate gubernat.**

**1.295. Bibliographia.**—S. Th., 1, q. 22, a. 1-4; q. 103; *De Verit.*, q. 5, a. 1-8; 3 CG, c. 64 et 71 ss.—Suárez, *De Deo uno*, l. 3, c. 10; *De Praedest.* l. 1, c. 17; l. 6, c. 4.—Ruiz de Montoya, *De providentia*...—Petavius, *De Deo uno*, l. 8, c. 1-5.—Piccirelli, *De Deo*, DM, p. 463.—Urraburu, *Theod.*, 2, p. 1.041 ss.—Hontheim, *Inst. Theod.*, p. 804 ss.—Billot, *De Deo uno* (1935), p. 279 ss.—Beraza, *De Deo creante*, p. 653.—Brosnan, *Theol. Nat.*, p. 349.—Muncunill, *De Deo uno*, n. 663.—Loinaz, *Prael. e Theol. Nat.*, p. 414 ss.—Mz. del Campo, *Theol. Nat.*, p. 412. — Hellín, *Theol. Nat.*, p. 869.—Dalmau, *De Deo uno*, p. 167.—D'Ales, art. *Providence:* DAFC.—Garrigou-Lagrange, *Providence:* DTC, col. 985 ss.

**1.296. Nexus.** Egimus in praecedentibus de operatione Dei ad extra cooperatrice ad omnes et singulas operationes creaturarum. Nunc venit consideranda operatio Dei providens et gubernans.

### 1.297. NOTIONES.

**Providentia:** *vi vocis* venit:

*a)* A verbo *praevidere*, i. e. ante vel procul videre; usu autem non quaecumque videre, sed solum practica seu eorum, quae in praxim venire possunt. *b)* A verbo *providere*, i. e. in favorem alicuius videre.

*Realiter: in genere:* est ordinatio statuens dirigere res aptis mediis ad suos fines.

*Divina:* est ordinatio divina statuens dirigere creaturas aptis mediis ad suos fines.

Explicatio.—*Ordinatio*, i. e. conceptio, dispositio et electio mediorum ad finem. Est *conceptio* et *dispositio* seu actus intellectus cognoscentis media in ordine ad finem et iudicantis de aptitudine mediorum ad finem et de convenientia ea applicandi in ordine ad finem. Providus enim non dicitur ille, qui concipit seu contemplatur cognitione mere speculativa ordinem mediorum ad fines, sed ille qui cognoscit cognitione practica.

Est etiam *electio* (exsecutio, reductio in opus pertinet ad voluntatem) seu actus voluntatis volentis ordinem conceptum et dispositum exsecutioni mandare et sic eligentis alia media prae aliis in ordine ad finem obtinendum.

*Creaturas:* hoc verbo significantur omnia et singula entia seu totus mundus.

*Aptis mediis:* Media praeordinata ab aeterno sunt: conservatio rerum, omnia praerrequisita ad operationem, concursus tum physicus tum moralis (ut lex, praecepta, consilia, poenae, praemia) et omnia alia quae Deus velit ponere sive miraculose sive alio modo supernaturaliter.

*Ad suos fines:* fines ad quos media debent proportionari sunt: *finis proximus entium irrationalium* est ut se ac species suas conservent sive perficiant, attamen tanquam media ad bonum hominum ordinata; *finis proximus hominis* potissimum est ut se conservet et ordinate perficiat simulque bonum aliorum per consentaneam vitam socialem promoveat; *finis ultimus secundarius* et conditionatus creaturae rationalis est eius perfecta beatitudo in Dei perfecta cognitione et amore; *finis ultimus primarius*, quem Deus in omnibus operibus suis prosequitur, ad quem proinde omnes creaturae ordinandae sint est bonitas divina non quidem augenda, sed communicanda et manifestanda, i. e. gloria externa; et quidem pro creaturis rationalibus gloria formalis praestanda per cognitionem et agnitionem Dei; pro creaturis vero irrationalibus gloria obiectiva et ministerialis in hoc sita quod entibus intellectualibus vestigia bonitatis divinae ostendant iisque nutriendo, vestiendo, habitaculum parando aliisque modis serviant.

**1.298.** DIVISIONES PROVIDENTIAE DIVINAE:

1. Universalis et particularis.

*Universalis:* si ordinatio divina ad omnia omnino magna et parva, nulla re excepta, se extendit. *Particularis:* esset si ordinatio divina ad aliqua tantum sese extenderet et reliqua Deus nullatenus curaret.

**1.299.** 2. Immediata et mediata.

*Immediata:* si ordinatio divina vel Deus solus excogitet et decernat omnia media etiam particularissima circa omnia et singula individua eorumque partes. *Mediata:* esset si Deus ipse solus excogitaret et decerneret media generalia pro omnibus vel saltem pro aliquibus rebus et relinqueret creaturis excogitare et decernere media magis particularia circa singula individua.

**1.300.** 3. Physica et moralis.

*Physica* seu communis si illa ordinatio divina versatur circa entia physica quatenus sunt entia quaedam. Vocatur communis quia datur relate ad omnia entia sive animata sive inanimata, sive libera sive necessaria.

*Moralis* seu specialis: si illa ordinatio divina versatur circa entia moralia qua moralia, quae habent finem specialem obtinendum solummodo mediis moralibus: lege naturali, praeceptis, consiliis, oblatione poenarum, praemiorum, etc...

**1.301.** 4. Naturalis et supernaturalis.

*Naturalis:* si illa ordinatio versatur circa media apta ad ordinem naturalem vel circa illa quae conveniunt rebus creatis secundum suam naturam. Sic conservatio et concursus mere naturalis. *Supernaturalis:* si illa ordinatio versa-

tur circa media apta ad ordinem supernaturalem v. c. praedestinatio et voluntas salvifica Dei.

5. Simplex providentia et praedestinatio.

*Simplex providentia:* si ordinatio divina versatur circa media sufficientia ut entia rationalia possint obtinere suum finem ultimum, sed eorum culpa illum finem non obtinebunt. *Praedestinatio:* si ordinatio divina versatur circa media sufficientia ad finem ultimum obtinendum et de facto entia rationalia illum finem obtinebunt. Cum hac divisione coincidit sequens.

**1.302.** 6. Efficax et inefficax.

*Efficax* est illa quae versatur circa media quibus de facto obtinebitur finis v. c. praedestinatio electorum ad gloriam. *Inefficax* est illa quae versatur circa media sufficientia ad finem obtinendum, sed de facto finis non obtinebitur. Sic voluntas salvifica Dei est inefficax erga illos qui damnantur.

7. Frustrabilis et infrustrabilis.

*Frustrabilis*, si ordinatio divina versatur circa media apta ad finem obtinendum, sed ex impedimento causarum secundarum, ad illum de facto non conducunt. Hoc saepe accidit in consequendis finibus particularibus. *Infrustrabilis* si ordinatio divina versatur circa media sub quibus Deus praevideat creaturam obtenturam suum finem. Sic providentia: circa fines particulares, qui certo obtinentur; circa beatitudinem pro electis; circa finem absolute ultimum, qui semper impletur.

**1.303.** 8. Necessaria et libera.

*Necessaria* est illa, quae versatur circa media, quae Deus non potest omittere in hypothesi quod creet res easque conservet. Sic v. c. providentia moralis naturalis pro entibus rationalibus: ferre leges, praecepta, sancire ea praemiis vel poenis. *Libera* est illa quae versatur circa media, quae Deus potest omittere etiam in hypothesi quod Deus creet res et conservet v. c. media supernaturalia vel naturalia specialia v. c. bona valetudo, multae divitiae, etc.

**1.304.** 9. Approbativa et permissiva.

*Approbativa* est illa quae providet media ad fines, quos Deus non potest non probare siquidem sunt primaria intentione electi. Sic media et fines ut homines bene operentur et salventur. *Permissiva* est illa quae providet media ad fines, a sola creatura electos cooperante Deo, qui illos reprobat, sed non impedit. Sic providentia circa actus malos hominum.

10. Absoluta et relativa.

*Absoluta* est illa quae versatur circa res, quae ordinantur soli Deo, non vero aliis rebus creatis, v. c. providentia circa angelos, circa animas hominum. *Relativa* est illa, quae versatur circa res quae ordinantur non soli Deo, sed etiam aliis rebus creatis v. c. pr. circa entia irrationalia, circa corpus hominum.

**1.305.** 11. Suavis et violenta.

*Suavis* est illa quae providet media ita proportionata ad suos fines ut res agant secundum suam indolem et interventus Dei vix appareat. Ita generatim gerit Deus providentiam. *Violenta* est illa quac non providet media porportionata ut res agant secundum indolem suam et sic interventus Dei clare manifestatur. Talis est providentia divina in casibus miraculosis.

**1.306.** 12. Providentia provisoris particularis et provisoris universalis.

*Prov. provisoris particularis* est illa quae ita providet rebus commissis ut ab illis, quantum potest, omnia mala avertat. Sic providentia alicuius custodis circa aliquam villam.

*Prov. provisoris universalis* cst illa, quae ita providct rebus suis intcr se diversimode subordinatis ut non tencatur avertcrc omnia mala ab cis siquidem conscrvatio unius exigit sacpe interitum alterius. Sic dominus villae tempore opportuno occidit animalia ad suos filios nutriendos.

**1.307.** Gubernatio est actualis actio transiens et temporalis qua res singulae creatae diriguntur de facto per media apta iam in tempore subministrata ad suos fines ita ut tales fines consequantur de facto vel consequi possint. Unde gubernatio est exsecutio temporalis providentiae divinae.

*Gubernatio mediata:* esset exsecutio temporalis providentiae divinae per causas secundas interpositas ita ut ipse proxime nihil interveniat sua actione physica.

*Gubernatio immediata* est exsecutio temporalis providentiae divinae concurrendo Deus semper efficienter physice et immediate sive solus v. c. in conservatione rerum subsistentium, in inspirationibus, illuminationibus ordinis supernaturalis, sive simul cum causis secundis principalibus suarum operationum vel etiam cum causis instrumentalibus ut in sacramentis conficiendis.

**1.308.** Providentia *lato sensu* prout includit providentiam et ipsam gubernationem sic definitur: ordinatio illa praedicta in Deo ab aeterno exsistens et eius exsecutio in tempore per quas omnes res apte et congruenter diriguntur in suos fines.

## 1.309. STATUS QUAESTIONIS.

Thesis habet quattuor partes.

1) *In prima parte* asserimus dari in Deo providentiam stricte sumptam. Agimus de providentia naturali, quae, si agitur de homine, est materialiter contenta in providentia supernaturali. Insuper providentia divina est immediata siquidem solus Deus ab aeterno per se omnibus et singulis rebus finem constituit et ordinem in finem concepit praeparando media apta.

2) *In secunda parte* affirmamus providentiam divinam esse universalem ne minimas quidem praeteriens res aut viliores: omnes omnino res nulla excepta cadunt sub providentia divina sive approbativa sive permissiva.

3) *In tertia parte* dicimus Deum habere specialem providentiam de homine, utpote ens nobilius cunctis rebus.

4) *In quarta parte* agimus de divina gubernatione, quam asserimus esse immediatam: omnes enim res, nulla excepta, Deus immediate gubernat vel ipse solus vel simul maxima ex parte cum causis secundis: ut filios simul cum parentibus, omnes homines simul cum Ecclesia, principibus, praepositis, magistris, etc...

5) *Argumenta praecipua* sunt argumenta a priori; argumenta a posteriori praebent nobis facta innumera et optima quae optime explicantur per providentiam a priori iam cognitam.

## 1.310. ADVERSARII.

1) Materialistae et athomistae veteres (ut Leucippus, Democritus, Epicurus...) negant providentiam divinam siquidem affirmabant omnia fieri a motu aeterno, caeco et necessario athomorum.

2) Pantheistae et evolutionistae etiam negant providentiam divinam, quia pro Deo ponunt inconsciam naturam sese necessario evolventem.

3) Deistae: H. de Cherburg; Schaftesburgy; M. Tindal; J. Toland; Voltaire... admittunt Deum, qui de rebus ab ipso creatis non amplius curet.

4) Fatalistae omnia per fatum absolutum explicabant; inde omnia tam entium rationalium quam irrationalium absoluta necessitate eveniunt.

5) Stoici admittebant providentiam divinam solum pro rebus excellentibus, non pro rebus minimis.

6) Maimonides et Averroistae restringunt etiam providentiam divinam, nam iuxta ipsos incorruptibilia cadunt sub providentia Dei; corruptibilia tantum quoad species, nisi agatur de homine cui etiam singulariter providet Deus.

7) Rationalistae, ut T. Simon, negant providentiam divinam esse immediatam: Deus enim singulis providet tantum per leges universaliores.

**CENSURA.**

Thesis est certa in philosophia. De fide divina catholica et definita in Theologia «Universa vero, quae condidit Deus providentia sua gubernat». D. 1784

**PROBATUR.**

**1.311. 1.ª Pars.** Datur in Deo Providentia stricte dicta et immediata.

I *A priori.*

Providentia divina est ordinatio ab aeterno in Deo exsistens statuens dirigere creaturas aptis mediis ad suos fines. Atqui talis ordinatio ab aeterno datur in Deo. Ergo datur in Deo providentia.

*Maior.* Est definitio providentiae divinae.

*Minor.* Nam Deus est agens intellectuale sapientissimum, unde quidquid condidit propter finem aliquem condidit et vult ut res conditae hunc finem consequantur vel consequi possint.

Hoc posito dantur in Deo omnia elementa ad providentiam immediatam. Et quidem datur:

*Actus intellectus cognoscentis* et quidem ab aeterno media in ordine ad finem, quia est infinite sapiens nec potest hoc ignorare. Sed haec cognitio non est mere speculativa in Deo ut est manifestum. Inde datur etiam

Actus intellectus *iudicantis* de aptitudine mediorum ad finem et de convenientia ea applicandi in ordine ad finem obtinendum ex eadem ratione, quia est agens sapientissimum.

*Actus voluntatis* volentis illum ordinem conceptum et dispositum exsecutioni mandare et inde subministrare suo tempore media apta ut res suum finem consequantur vel consequi possent: nam si creat res et ordinat eas in finem, et vult ut res suos fines obtineant vel saltem possint obtinere; et non vult exsecutioni mandare ordinem conceptum nec subministrare eis media apta ad illum finem

obtinendum, hoc argueret in eo insipientiam et impotentiam, quod de Deo dici nequit et hac de causa ab aeterno decrevit res singulas conditas conservare immediate et ad singulas earum operationes etiam immediate concurrere. ERGO DATUR IN DEO PROVIDENTIA IMMEDIATA SIQUIDEM OMNIA ILLA EXCOGITANTUR ET PRAEPARANTUR A SOLO DEO.

**1.312.** II. *A posteriori.*

Datur in mundo ordo praestantissimus, non solum rerum omnium inter se verum etiam respectu earum in finem qui ordo arguit supremum ordinatorem, Deum. Atqui Deus nihil facit in tempore quod non decreverit ab aeterno. Ergo datur in Deo ab aeterno ordinatio statuens dirigere creaturas aptis mediis ad suos fines seu datur in Deo providentia.

**1.313. 2.ª Pars.** PROVIDENTIA DIVINA EST UNIVERSALIS.

Non minus se extendit divina providentia quam causalitas. Atqui causalitas divina ad omnia se extendit. Ergo etiam providentia se extendit ad omnia.

*Maior.* Quia Deus est agens perfectissimum, proinde omnia quae agit propter finem agit et omnia in finem ordinat subministrando media ut talis finis obtineatur vel obtineri possit. Ergo non minus se extendit divina providentia quam causalitas.

*Minor.* Quia Deus est prima causa et universalis omnium et conservat immediate omnes res et concurrit immediate ad omnes et singulas operationes creaturarum. Ergo causalitas divina ad omnia se extendit.

**1.314. 3.ª Pars.** PROVIDENTIA DE HOMINE EST SPECIALIS.

Deus providet rebus secundum dignitatem, nobilitatem, amorem, finem et necessitatem earum. Atqui homo habet specialem dignitatem, nobilitatem, amorem, finem, et necessitatem iuvaminis Dei. Ergo Deus habet specialem providentiam circa hominem.

*Maior.* Quia Deus est agens sapientissimum et inde omnia ordinatissime agit.

*Minor.* *a)* Homo est ens dignius et nobilius cunctis rebus inanimatis et irrationalibus: ille participat perfectiones divinas per modum imaginis; et potest possidere Deum intellectu et voluntate eum cognoscendo et amando; haec vero participant perfectiones divinas solum per modum vestigii et non possunt eum cognoscere et amare; et insuper ordinantur ad bonum ipsius hominis.

*b)* Providentia consequitur amorem, hinc ubi specialis amor ibi etiam providentia specialis. Iam vero Deus inter omnes res creatas speciali amore benevolentiae et amicitiae diligit hominem. Ergo illi speciali modo providet.

*c)* Homo habet finem specialem: finis ultimus conditionatus est eius perfecta beatitudo; finis vero absolute ultimus est glorificare formaliter Deum, quem finem irrationalibus non imposuit.

*d)* Homo patitur difficultates speciales propter suam libertatem tum quoad media, tum quoad fines non excepto fine ultimo unde ab illo se avertere potest.

Quod, ne fiat salva libertate, singularia requiruntur praesidia ex parte Dei: lex naturalis, praecepta et leges domesticae et civiles, praemia, supplicia... et praesupposita elevatione hominis ad finem supernaturalem, innumerabilia etiam media supernaturalia.

**1.315. 4.ª Pars.** DEUS OMNIA ETIAM IMMEDIATE GUBERNAT.

I. *A priori.*

Deus gubernat omnia et quidem immediate sive solus sive simul cum causis secundis, si ipse actione sua physica intervenit immediate in omnibus quae in tempore fiunt secundum ordinationem divinam ab aeterno. Atqui Deus actione sua physica intervenit immediate in omnibus quae in tempore fiunt secundum ordinationem divinam ab aeterno. Ergo Deus gubernat omnia immediate.

*Maior.* Patet ex definitione gubernationis, quae est executio temporalis facta a Deo secundum ordinationem ab aeterno.

*Minor.* Praesuppositis creatione rerum et earum ordinatione in finem;

1) Deus iam in tempore conservat efficienter physice et immediate omnes res et etiam concurrit efficienter physice et immediate ad omnes et singulas operationes earum. Item agendo de entibus rationalibus etiam influit per concursum moralem. Ergo Deus intervenit immediate in omnibus quae fiunt in tempore.

2) Deus omnia quae facit in tempore, facit utpote ens sapientissimum secundum divinam ab aeterno ordinationem, quae statuit dirigere creaturas aptis mediis ad suos fines sive proximos sive remotos. Ergo hoc etiam intendit Deus in tempore, nempe per media apta, per conservationem rerum et concursum ad omnes earum operationes, dirigere creaturas iam de facto ad suos fines.

3) Et sic per conservationem et concursum immediatum omnibus subministrat iam de facto in tempore media apta ut omnia consequantur vel consequi possint suos fines a Deo sapientissime ab aeterno electos.

**1.316.** II. *A posteriori.*

Datur in mundo ordo complicatissimus, constans et uniformis. Atqui hoc factum arguit sapientissimum gubernatorem, Deum. Ergo Deus etiam omnia immediate gubernat.

*Maior.* Probatur in Cosmologia. Etiam in 5.ª via S. Thomae ad probandam exsistentiam Dei.

*Minor.* Ille ordo exigit causam efficientem, per se, intelligentem, extramundanam, quam Deum nominamus.

**1.317.—SCHOLIUM I.—Quomodo differat Providentia ab aliis actibus divinis.**

a) *Ab scientia simplicis intelligentiae:* haec respicit omnia possibilia, inde quemlibet finem possibilem et quaelibet media possibilia ad finem. Providentia vero versatur solum circa res exsistentes in aliqua temporis differentia et excogitat determinatum finem et determinata media ad illum obtinendum eligendo alia prae aliis.

**1.318.** b) *A decreto creandi:* quo decernit condere res et eas ordinare ad suos fines. Providentia vero, supposito decreto creandi et ordinandi res ad suos fines, excogitat media quibus res obtineant de facto vel obtinere possint suos fines et decernit ea media apta tempore opportuno subministrare.

c) *A lege aeterna:* lex aeterna sensu lato est suprema ordinatio secundum quam Providentia omnia entia sive irrationalia sive rationalia ordinat ac gubernat. Inde lex aeterna dictat regulas generales (v. c. bonum faciendum, parentes honorandi...) per quas inditas naturis, creaturae omnes ad finem ducantur. Providentia particularia disponit media pro unoquoque casu ut lex impleatur et finis obtineatur. Unde in ordine signorum lex antecedit Providentiam.

d) *Ab scientia visionis:* haec scientia versatur circa finem praestitutum et circa dispositionem mediorum. Providentia vero non versatur nisi circa media concepta et disposita ab intellectu et electa a voluntate ad finem iam statutum.

**1.319.** e) *Ab arte* seu ab ideis exemplaribus: Ideae exemplares dirigunt effectionem rerum creabilium et ordinabilium in suos fines exhibendo typos seu formas ad quarum similitudinem res faciendae sunt; sed nihil dicunt de habitudine rerum inter se, nec de mediis aptis ad fines earum. Providentia excogitat illas ordinationes mutuas, media apta ad fines determinatos eligendo alia prae aliis.

f) *A creatione:* est actio temporalis, qua Deus condit res et ordinat ad fines. Providentia est actus immanens et aeternus Dei circa media ad fines.

**1.320.** g) *A gubernatione:* Gubernatio est actualis actio transiens et temporalis qua vel solus Deus vel simul cum causis secundis res omnes creatas dirigit iam de facto ad suos fines per media apta. Providentia vero est actus immanens et aeternus solius Dei consistens in decretis Dei aeternis quae a solo Deo eliciuntur.

**1.321. SCHOLIUM II.—De constitutivo formali Providentiae** (199).

*Omnes* affirmant requiri ad Providentiam tum actum intellectus tum actum voluntatis prout iam vidimus in explicatione definitionis Providentiae.

*SED QUAESTIO est* in actu cuiusnam potentiae sit reponenda ratio formalis Providentiae. Ad hoc diversimode respondent auctores.

*Alii*, ut COMPTON, MUNCUNILL, VAN DER AA, LOINAZ... reponunt rationen formalem providentiae completae sumptae in actu intellectus et in actu voluntatis.

**1.322.** *Alii* dicunt rationem formalem Providentiae consistere in solo actu intellectus, quamvis semper interveniat etiam actus voluntatis. Huic sententiae videtur favere S. THOMAS 1, q. 22, a. 1, ad 3.

Auctores qui sustinent in genere hanc sententiam dividuntur inter se cum agitur de determinatione actus intellectus in quo praecise consistit Providentia:

*Plurimi molinistae* et *suareziani* ut MOLINA, ARRUBAL, MENDIVE, BERAZA, BOEDDER, URRABURU... dicunt consistere in solo actu intellectus concipientis ordinem mediorum ad finem et iudicantis de aptitudine eorum ad finem et de convenientia applicandi ea ad finem.

THOMISTAE *generatim* contendunt Providentiam formaliter sumptam consistere in actu intellectus prout est actus imperii (qui sequitur post actum intellectus concipientis et iudicantis de aptitudine et de convenientia applicandi media ad finem; et post actum voluntatis eligentis talia media prae aliis ad talem finem) imperantis ut totum fiat prout a voluntate electum est.

**1.323.** *Alii* ut S. BONAVENTURA, SCOTUS, AUREOLUS, SUÁREZ etiam favet huic sententiae, HELLÍN... putant essentiale constitutivum Providentiae consistere in solo actu voluntatis praesupposito actu intellectus concipientis ordinem mediorum ad finem et iudicantis de aptitudine eorum et de convenientia ea applicandi.

---

(199) S. TH., 1, q. 22, a. 1 ad 3.—SUÁREZ, *De Deo uno*, lib. 3, c. 10; DM 19, s. 6; D. 30, s. 16; *De Praed*, l. 1, c. 17.—GONET, *Clypeus*, I, tr. 4, d. 8.—BILLUART, *De Deo uno*, diss. 9, a. 1.—BERAZA, *De Deo creante*, p. 656.—URRABURU, *Theod.*, 2, p. 1.046.—LOINAZ, *Pr. e Th. Nat.*, p. 417.—HELLÍN, *Theol. Nat.*, p. 879.

**1.324. SOLUTIO:** Quamvis Providentia significet curam et sollicitudinem eorum quibus providendum est; cura vero et sollicitudo pertineant ad voluntatem, probabilior nobis videtur communior sententia, quae reponit rationem formalem Providentiae in solo actu intellectus. Nam:

a) *Etymon vocis* hoc commendat.

b) *Hic modus loquendi* est frequentior inter auctores.

c) Providentia *est pars Prudentiae*, quae est virtus intellectualis.

Et quidem actus intellectus intelligitur prout est iudicium practicum de mediis quibus finis a Deo intentus obtineatur vel obtineri possit. Nullo modo intelligendus est actus intellectus prout est actus imperii, quod iam reiectum est cum egimus de scientia Dei practica.

**1.325. SCHOLIUM III.—Diversa signa rationis in Deo** (200).

*A.* In systemate banneziano.

1. *Scientia simplicis intelligentiae.* Deus scientia simplicis intelligentiae cognoscit omnia possibilia inde cognoscit ut possibilem mundum A cum finibus et mediis possibilibus et fixis. Item cognoscit omnia conditionata futura in decretis subiective absolutis et obiective conditionatis.

**1.326.** 2. *Decretum creandi mundum.* Sub scientia divina simplicis intelligentiae voluntas divina decernit creare hunc mundum A prae aliis possibilibus ad certos et determinatos fines sive proximos sive ultimum tam secundum quid quam absolute ultimum, qui est gloria extrinseca Dei omnino determinata. Insuper Deus habet voluntatem antecedentem ut omnes salventur et operentur bene iuxta rectam rationem.

3. *Praedestinatio absoluta*, reprobatio et praedefinitio formalis. Voluntas divina statuit absolute et independenter ab scientia media et ante praevisa merita uniuscuiusque: *praedestinare* tales in concreto ad salvationem et gloriam (praedestinatio absoluta);

—*non admittere* tales in concreto in caelo (reprobatio negativa); *praedefinire* actus in particulari a singulis faciendos sive bonos (praedefinitio formalis actuum bonorum) sive malos solum quoad materiale peccati (praedefinitio actuum malorum, quam ipse dicunt permissionem peccati).

**1.327.** 4. *Providentia* divina. Intellectus divinus ab aeterno excogitat et iudicat de aptitudine mediorum ad finem et de convenientia ea applicandi. Voluntas divina ab aeterno eligit talia media prae aliis ad bonitatem Dei manifestandam. Intellectus divinus practicus imperat ab aeterno executionem illorum mediorum. Decernit enim dare praedeterminationes physicas ex natura sua infrustrabiles ad omnes actus sive bonos sive malos, sed agendo de malis solum ad materiale peccati. (In actu imperii iuxta plerosque thomistas consistit formaliter Providentia divina).

5. *Scientia visionis.* Deus scientia visionis videt absolute futura in decretis praedeterminantibus et in praesentia eorum in aeternitate.

**1.328.** 6. *Creatio.* Deus mandat executioni decretum creandi seu creat mundum in tempore ad fines ab Ipso sapientissime electos sub n. 2.

7. *Gubernatio.* Deus in tempore immediate conservat omnes res et concurrit etiam immediate ad omnes et singulas operationes creaturarum dando illis praedeterminationes physicas iuxta dicta sub n. 5.

8. *Retributio finalis.* Tandem venit retributio actualis finalis iuxta merita facta ex praedeterminationibus physicis: caelum aut infernus.

**1.329.** *B.* In systemate molinistico.

1. *Scientia simplicis intelligentiae.*

Deus scientia simplicis intelligentiae cognoscit omnia possibilia, inde cognoscit ut possibi-

(200) Loinaz, *Prael. e Theol. Nat.*, p. 419.—Gisquière, *Prael. Theod.*, II, p. 409.—Hellín, *Philosophiae Schol. Summa*, 3, p. 302.

lem mundum A cum finibus et mediis fixis et possibilibus. Item cognoscit omnia futura conditionata necessaria.

**1.330.** 2. *Scientia media.*

Deus scientia media cognoscit omnia futuribilia libera seu cognoscit quid quisque homo libere ageret cum his et sub his mediis ac hypothesibus in mundo possibili A si crearetur.

**1.331.** 3. *Decretum creandi.*

Deus decernit absolute creare hunc mundum A prae aliis possibilibus ad tales determinatos fines et ad talem gradum gloriae.

Et habet voluntatem antecedentem ut omnes salventur et operentur iuxta rationem.

*Iuxta Congruistas* (SUÁREZ, BELLARMINO, RUIZ DE MONTOYA, LUGO et alii...) hic datur signum speciale congruismi:

Praedestinatio absoluta, reprobatio, Praedefinitio formalis: Deus statuit absolute dependenter ab scientia media et ante praevisa merita absolute futura uniuscuiusque: *praedestinare* tales in concreto ad salvationem et gloriam (Praedestinatio absoluta); *non admittere* tales in concreto in caelo (reprobatio negativa). *Praedefinire* actus bonos faciendos a singulis in particulari (praedefinitio formalis actuum bonorum); et solum permittere actus malos faciendos a singulis in particulari (permissio mali).

**1.332.** 4. *Providentia.*

Voluntas divina decreto absoluto generali et indifferenti dato sub scientia media decernit absolute:

—*purificare conditionem* sc. ponere creaturam in determinatis circumstantiis; et offerre illi concursum ad omnia. Et sic (illud decretum est aequivalenter, virtualiter determinatum et particulare) praedefinire actus bonos singillatim (praedefinitio virtualis) et solum permittere actus malos (permissio mali).

In hoc decreto generali et indifferenti, quod antea considerabatur ut modus coniungendi omnipotentiam cum causa secunda ad concurrendum cum ea et nunc consideratur sub modo adiuvandi creaturas ad suos fines aptis mediis excogitatis et dispositis ab intellectu divino et electis a voluntate consistit providentia divina stricte sumpta.

5. *Scientia visionis.* Deus cognoscit omnia absolute futura et ea contemplatur ut exsistentia in aliqua temporis differentia.

6. *Praedestinatio et reprobatio.*

Post praevisa merita vel demerita absolute futura decernit absolute dare caelum (praedestinatio post praevisa merita) vel infernum (reprobatio).

**1.333.** 7. *Creatio.*

Deus creat mundum in tempore ad fines sapientissime a se electos sub n. 3.

8. *Gubernatio.* Deus res iam creatas efficienter physice, immediate conservat et etiam concurrit ad singulas earum operationes.

9. *Retributio finalis.* Tandem venit retributio actualis finalis iuxta merita vel demerita liberrime contracta: caelum aut infernus.

**1.334. SCHOLIUM IV.—De fato, casu et fortuna.**

*Fatum absolute* seu stricte sumptum est necessitas omnium rerum actionumque, quam nulla vis rumpat (Seneca). Inevitabilis necessitas omnis eventus, ita ut quidquid accidit necessitate absoluta accidat et aliter contingere non potuerit. Destruit libertatem Dei et libertatem creaturarum. *Fatum secundum quid,* sensu latiori definitur cum S. Thoma: ordinatio causarum secundarum ad effectus divinitus praevisos.

*Casus* est eventus qui accidit praeter praevisionem et intentionem causae intelligentis aut praeter ordinationem causae operantis; unde casus dicitur tum relate ad agens intellectuale v. c. concursus casualis duorum hominum, tum relate ad agens naturale v. c. lapis de tecto cadens casu occidit hominem.

*Fortuna* (species casus) est eventus, quo praeter praevisionem et intentionem agentis, quod per electionem operatur, aliquid bene vel male accidit v. c. ita fit per bonam fortunam ut quis fodiens in agro thesaurum inveniat.

Age vero respectu causarum secundarum dantur tum casus tum fortuna bona vel mala, non vero respectu Dei. Ut enim aliquid casu et fortuna accidat respectu causae primae necesse est ut accidat praeter cognitionem ex parte Dei et praeter eius intentionem tum approbantis tum permittentis. Atqui nihil in mundo fieri potest inscio Deo et praeter eius voluntatem saltem permissivam. Ergo casus et fortuna dari non possunt respectu causae primae.

**1.335. SCHOLIUM V.—De conciliatione Providentiae divinae cum malis mundi** (201).

1. Mala physica mundi cadunt sub Providentia divina.

Deus causat et intendit per se illa, quae sunt intra ordinem tum realitatis tum honestatis v. c. angelum, naturam hominis, omnes actus bonos, etc...

*Mala physica formaliter sumpta* v. c. caecitas, mors agniculi... sunt intra ordinem honestatis sed extra ordinem realitatis: quia malum formaliter sumptum est privatio boni. Iam vero haec Deus causat et intendit per accidens solummodo ratione boni cui insunt aut inserviunt.

*Unde mala physica non sunt:*

*Contra sanctitatem Dei:* quia cadunt intra ordinem honestatis.

*Contra iustitiam:* quia sicut libere creavit creaturas et ordinavit eas ad fines sapientissime a se electos, liberum etiam ipsi est determinare conditiones ad illos fines obtinendos.

*Contra sapientiam:* sequuntur enim ex miris legibus naturis sapienter a Deo inditis et a Deo ordinantur ad bonum totius universi.

*Contra bonitatem:* quia resultant naturaliter ex bono et melius est bona haec habere etiam malis admixta quam ambobus carere. Utilissima esse possunt homini ad poenam et poenitentiam peccatorum, ad materiam virtutis, ad finem eius ultimum seu ad vitam aeternam in cuius comparatione haec praesens vita brevissima est.

*Nec Deus tenetur* illa minuere aut supprimere ita ut mundum omnium optimum facere debuisset, tum quia mundus optimus repugnat tum, quia etsi esset possibilis mundus optimus tamen Deus est liber ad extra.

**1.336.** 2. Mala moralia cadunt etiam sub Providentia divina.

*Entitas physica peccati* est intra ordinem realitatis et aliquo sensu extra ordinem honestatis. Malitia ipsa peccati est extra ordinem realitatis et extra ordinem honestatis. Iam vero.

—*quoad entitatem physicam peccati:*

Deus est vera causa illius quia est verum principium per se, vere influit in illam et non mere unitur ei qui influit. Sed nullo modo est causa per se quae intendat et approbet neque per accidens illam; mere permittit quia concursus Dei solum intendit bonum.

Homo vero est vera causa illius non solum quia vere causat illam, sed quia est causa per se, quae intendit et approbat illam;

**1.337.** —*quoad malitiam ipsam peccati:*

Deus nullo modo cst eius causa, nec facit eam, nec approbat aut intendit illam ullo modo neque per accidens, sed mere permittit.

Homo seu libertas creata est sola causa illius, sed causat et intendit illam solum per accidens, nempe quatenus malitia unitur seu inseparabilis est a physica peccati entitate, quae et vere causatur et pcr se intenditur a peccatore, quin tamen malitia directe terminet nec causationem nec intentionem.

Unde homo causat et intendit utrumque et entitatem physicam et malitiam: entitatem per se, malitiam autem per accidens et sic est verus auctor cui ut responsabilis adscribitur.

Deus vere causat entitatem physicam peccati, non vero ipsam malitiam; neutram intendit, totum mere permittit (solummodo intendit et quidem per se permissionem tum actus tum malitiae eius) et quidem iure hoc potest faccre quin contradicat ulli ex suis attributis.

(201) Hontheim, *Inst. Theod.*, p. 243.—Loinaz, *Prael. e Theol. Nat.*, p. 195.—Hellín, *Theol. Nat.*, p. 432 et 877; idem, *Dios y la razón del mal:* Pens (enero-marzo, 1953).—Jolivet, *Le problème du mal d'après S. Agustin* (Paris, 1936).—Philips, *La raison d'être du mal d'après S. Agustin* (Louv., 1927).—Romeyer, art. *Providence et mal:* DPCR.

**1.338.** *Unde mala moralia non sunt:*

—*contra sanctitatem Dei:* quia Deus statuit legem et sanctionem et propter bonas rationes mere permittit agere contra illam quin ulla macula ei adveniat: malum enim Deus detestatur, ab hoc malo deterret mediis sufficientibus sed non trahentibus necessario voluntatem ad unum.;

—*contra iustitiam:* Deus nullis legibus tenetur vitare hoc: supposito quod velit finem dat media sufficientia ad vitanda peccata. Retributio vero iuste ab eo fit secundum opera uniuscuiusque libere facta;

—*contra sapientiam:* nam agens sapientissimum ordinat res ad fines et dat media apta ut illum obtinere possint salva libertate. Supposito vero magno dono libertatis, illa mala moralia sunt consectaria illius et in suppositione quod fiant ab hominibus contra voluntatem Dei antecedentem, ordinantur a Deo ad magna bona ut sunt punitio, paenitentia, humilitas peccantium; manifestatio divinorum attributorum iustitiae, clementiae, patientiae in peccatores...

—*contra bonitatem:* nam Deus dat media sufficientia hominibus ad legem divinam adimplendam et ad finem ultimum consequendum. Item retributio est consequenter ad praevisa merita vel demerita. Tandem Deus non tenetur illa mala minuere aut supprimere ita ut debuisset mundum omnium optimum facere, homini possibilitatem peccandi tollere eique summam gratiam possibilem dare, ut constat ex rationibus alibi expositis.

—*contra omnipotentiam:* hoc enim attributum postulat, non ut Deus vitet de facto omnia peccata, sed ut possit, si velit, ea omnia vitare...

**1.339.** 3. *Sed in ordine actualis providentiae:*

Deus obtinet salutem hominis cum innumeris et ingentibus malis sive physicis sive moralibus. Immo Deus ab aeterno scit multos homines, etsi culpabiliter, in aeternum perituros et tamen eos creat, dat libertatem, ponit eos in fatalibus adiunctis...

Si vero eamdem salutem hominis potuisset obtinere sine ullis malis aut saltem cum paucis et sine ullius damnatione aut solum cum condemnatione paucorum:

**1.340.** —QUAERO: a) *Potuit Deus* revera eligere sine ulla reprehensione hunc ordinem actualem? Ita sane, nam Deus

—*est liber ad extra* unde in manu sua est non creare vel creare creaturas defectibiles, utpote finitas, sive irrationales sive rationales eo fine ut bene operentur secundum rationem;

—*voluntate antecedente* merita vel demerita nostra vult vere et sincere salutem omnium hominum, sed vult eam tantum conditionate, i. e. si ipse homo illam velit, non vero absolute nisi supposita libera et bona hominis electione;

—*ad illum finem obtinendum*, utpote agens sapientissimum, dat media abundantissima, sufficientissima et per se efficacia et quidem hac sola intentione ut homo bene operetur;

—*homo vero ex abusu libertatis* libere determinat et committit peccatum agendo contra concursum Dei generalem, qui datur ut homo bene operetur;

—*et sic Deus concurrit permissive* ad peccatum; sed non eo fine ut bonum obtineatur v. c. ostensio attributorum divinorum: vellet enim saltem indirecte peccatum; sed supposito peccato, quod Ipse nec intendit nec approbat, vult eius occasione compensare peccata magnis bonis;

—*consequenter ad peccatum finale* hominis, quod Deus certo ab aeterno praescivit, Deus iam non vult vere et sincere salutem illius, siquidem damnatio hominis est iam necessaria necessitate non antecedente sed consequente, unde si damnatur homo, solum culpa ipsius damnatur.

**1.341.** b) *Cur Deus de facto elegit* hunc ordinem cum potuerit eligere alium in quo non essent tot mala?

Sine dubio Deus infinite sapiens optimas habuit rationes ad talem electionem, quae rationes nobis imperviae sunt. Enumerantur aliquae explicationes ab auctoribus: ut ostensio aliquorum attributorum, patientiae, iustitiae, misericordiae... in peccatores; ostensio virtutum ex parte hominum, fortitudinis in martyrio, in tentationibus, in infirmitatibus... Haec et alia similia non quietant animum. Unde ultima responsio est recursus ad iudicia altissima et inexcrutabilia Dei, qui, supposito quod in obiecto volito nulla sit irreprehensibilitas; et suppositis optimis rationibus a solo Deo cognitis et nobis imperviis, elegit hunc ordinem prae alio quia ipse voluit.

*Tamen semper manet haec quaestio:* Deus habet infinita media quibus efficaciter possit vitare peccata hominum. Si vero Deus est pater amantissimus, cur non facit hoc ex sua bonitate?

Revera summa bonitas Dei cum permissione peccati a parte rei conciliari debet ex probatis; positiva vero conciliatio nobis impervia manet, repugnantia vero inter illas duas res ostendi non potest.

## 1.342. OBIECTIONES.

1) Quod est determinatum ad unum non indiget providentia alius regentis. Atqui res naturales per propriam naturam sunt determinatae ad unum. Ergo non indigent providentia Dei regentis.

R. dist. maior. Non indigent providentia regentis humani vel naturalis Tr. Non indigent providentia regentis superioris N. Non sunt determinata, ordinata a se, sed ab alio ideoque necesse est ut ab eo regantur. Providentia non ponitur solum ut res constanter agant; apponit enim praerrequisita, etc...

Atqui nec providentia regentis superioris indigent. Ergo...

2) Providentia regentis superioris debet res perpetuo servare. Atqui multa (corruptibilia) non perpetuo servantur. Ergo non datur providentia regentis superioris circa illa.

R. Dist. mai. In his, quae propter se atque ex primaria intentione providentur et proinde non sunt res ordinatae ad aliud C.; in aliis, quae solum propter aliud, in bonum illius et secundario providentur N.

Contr. min. Non perpetuo servantur secundum species quae propter se ac primario intenduntur N.; non secundum individua, quae non propter se intenduntur nec primario C.

Atqui Deus providus teneretur omnes res perpetuo servare. Ergo...

3) Non sunt facienda mala ut eveniant bona. Atqui si Deus non servaret perpetuo res, faceret mala ut evenirent bona. Ergo Deus providus teneretur res perpetuo servare.

R. dist. mai. Non mala physica... N.; non sunt facienda mala moralia Subd.

Non sunt permittenda N.; non directe facienda C.

Atqui Deus si esset providus nec posset permittere mala. Ergo...

4) Pater providus debet, quantum potest, a filiis omnia mala removere. Atqui Deus id non faceret permittendo mala. Ergo si Deus esset providus nec posset permittere mala.

R. dist. mai. Si est provisor particularis Tr.; si est provisor universalis Subd. si obtinendum sit maius bonum N.; secus Tr.

Debet avertere mala, sed salva eius natura, salva libertate C.; secus N.

Atqui Deus non est provisor universalis et rectus. Ergo...

5) Boni in hoc mundo saepe miseriis et aerumnis affictantur; flagitiosis autem omnia prospere et feliciter succedunt. Atqui si Deus esset provisor universalis et rectus deberet praemia et poenas pro merito distribuere. Ergo Deus non est provisor universalis et rectus.

R. Transeat maior; non raro contraria eveniunt.

Dist. min. In ordine ad felicitatem huius vitae N.; in ordine ad ultimum finem C.

Distributio praesens bonorum malorumque aptissima esse potest in ordine ad ultimum finem.

Atqui nec attento ultimo fine Deus est provisor universalis et rectus. Ergo...

6) Provisor universalis et rectus dirigeret omnes res ut finem praestitutum obtineant. Atqui peccatoribus, qui damnantur non ita providit. Ergo Deus non est provisor universalis et rectus, etiam attento ultimo fine.

R. dist. mai. ut finis absolute volitus, i. e. gloria Dei obtineatur C.; conditionate volitus, i. e. beatitudo Subd. si non amittitur ex culpa ipsorum C.; secus N.

Non enim ex defectu auxilii suficientis, sed culpa ipsorum amittitur beatitudo.

7) Necessitas antecedens est illa, quae antecedit actum.

Atqui decreta Providentiae divinae antecedunt actum. Ergo necessitas illius est antecedens.

Resp. Dist. mai. si antecedit actum duratione non vero logice N.; si antecedit actum tum duratione tum logice quia non praesupponit scientiam mediam C.

Contrd. min.

**1.343. APPENDIX. De dominio et cultu Dei.**

I. DOMINUS dicitur (a dominio) ille, qui dominio gaudet.

DOMINIUM in genere est ius seu facultas moralis gubernandi vel disponendi de re tamquam sua.

*Dominium iurisdictionis* est ius suos subditos gubernandi praecipiendo, vetando, permittendo, iudicando, puniendo, praemiando...

*Dominium proprietatis* est ius supra bona externa materialia utcumque de illis disponendo. Hoc dominium multiplex esse potest:

1. *Perfectum* seu plenum, universale, quoad substantiam, usum, dispositionem, exclusionem aliorum ab usu... *Imperfectum*, si non est plenum inde caret aliquo ex elementis requisitis ad ius perfectum. Hoc autem dicitur *directum*, si est ius in substantiam rei, non vero in usum, qui est penes alium; *indirectum* seu utile si est ius ad usum aut ad usufructum.

2. *Imparticipatum* (supremum, absolutum) seu essentiale, est illud, quod ex ipsa dominii essentia domino competit, unde est omnino independens et universale. *Participatum*, est illud quod domino competit ex participatione ab alio, ultimatim a domino absoluto supremo.

**1.344.** *Deo* titulo creationis, conservationis et ultimi finis... competit dominium *iurisdictionis et proprietatis* ex absoluta dependentia omnium creaturarum tum rationalium tum etiam irrationalium; *perfectum, universale* sine ulla restrictione in omnes creaturas; *imparticipatum, supremum*, absolutum, essentiale ex ipsa sua essentia nascens.

**1.345.** II. RELIGIO est virtus inclinans hominem ad debitum cultum Deo praestandum. Includit igitur religio doctrinam speculativam de Deo ut causa prima, de relatione Dei ad creaturas et de ordinatione creaturarum ad Deum exterius quodammodo manifestata.

*Cultus Dei* est omnis actus quo Deo honorem et obsequium praestamus propter eius excellentiam.

*Veneratio* est reverentia alicui praestita propter eius dignitatem, qua fit ut eum honoremus et honorando in veneratione habeamus.

*Honor* est testificatio excellentiae alicuius tam inferioris (sic Deus sanctos suos honorat) quam superioris.

*Adoratio* est testificatio excellentiae alienae et propriae submissionis; unde adoratio versatur tantum erga superiores. Vocatur: *dulia* si respicit excellentiam supernaturalem et finitam sanctorum; *hyperdulia* si respicit excellentiam B. M. Virginis; *latria* si versatur circa excellentiam increatam et infinitam. Haec adoratio latreutica est actus maxime proprius religionis, sed multi alii numerantur actus qui plus minusve arcte cum cultu Dei cohaerent: tales sunt (actus interni intellectus et voluntatis) amor, gratitudo, spes, fiducia, timor, oboedientia, contritio et poenitentia...; item (actus externi, signis sensibilibus manifestati) genuflexio, sacrificium, iuramentum in iudicio, fidelis de rebus externis voti impletio...

**1.346.** *Dominus* ius habet ut servus ei honorem et reverentiam exhibeat. Atqui Deus est dominus absolutus omnium rerum, quae a Deo tamquam a prima causa creante, conservante, concurrente, et a causa finali ultima... absolute pendent. Item Deus est infinite perfectus, unde eius excellentia est summa; est maximus benefactor, cui gratias agere debemus; excellens propitiator a quo veniam implorare, sacrificiis placare debemus; auxiliator, a quo adiutorium petere debemus...

Ergo habet ius supremum et absolute perfectum ut omnis creatura suam subiectionem erga Deum agnoscat et veneratione, honore, adoratione latreutica non tantum interius sed etiam exterius manifestet.

# INDEX NOMINUM

(Numeri marginales indicantur)

# INDEX RERUM

(Numeri marginales indicantur)

